S. W. Z. No. 194.

2222
2222
XXIX-6
2.011 (I-II)

MONUMENTA ANTIQUA

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SACRATISSIMÆ VIRGINIS

MARIÆ

Ex variis Authoribus Antiquis tam Manuſcriptis, quàm olim impreſſis, ſed qui vix modò reperiuntur.

Digeſta & in unum collecta ſtudio & labore R. A. P. Fr. PETRI DE ALVA & ASTORSA, *Ordinis Minorum olim Procuratoris Generalis in Curia Romana, & Lectoris Jubilati &c.*

TOMUS PRIMUS.

NOVISSIMUS.

PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL VALENCIA

LOVANII,
Ex Typographia Immac. Conceptionis, ſub ſigno Gratiæ. M. DC. LXIV.

Superiorum permiſſu.

MONUMENTA ANTIQUA

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

SACRATISSIMÆ VIRGINIS

MARIÆ

AD LECTOREM.

BEnevole Lector, in noſtra *Miliția*, pro immaculata Beatæ Virginis Conceptione, dedimus ſex mille Auctores, cum advertentia tamen (utì hìc iterum ingenuè fatemur) non omnes eſſe, nec loquutos fuiſſe clarè, & expreſsè in favorem, maximè qui de ſacro Ordine Prædicatorum, ſed quòd locum dederint, & habeant ſanæ, & piæ interprætationis: ibi tantummodò eorum citavimus Opera, quorum aliqua jam typis mandavimus, ſub titulo; *Monumenta antiqua Conceptionis*, quod nomen ſemper fuit proteſtativum piæ ſententiæ. Tomus primus prodiit in folio, ex duodecim Authoribus Ordinis noſtri, quem proindè nuncupavimus; *Monumenta antiqua Seraphica*. Deindè duos Tomos in quarto, ſub titulo; *Monumenta antiqua Immaculatæ Conceptionis Sacratiſſimæ Virginis* MARIÆ. Ex novem Authoribus antiquis Primus. Secundus verò, ſub titulo: *Monumenta Italo-Gallica*, ex tribus Auctoribus, raris, & antiquis, olim quidem impreſſis, ſed modò propter raritatem, quaſi non editis,

quia vix reperiuntur. Eamdem ſimiliter ob cauſam imprimi curavimus alterum Tomum in 4 ex quatuor Auctoribus ſacri Ordinis S. P. N. Dominici; cui titulum præfiximus : *Monumenta Dominicana*, ut orbi conſtaret, quòd non totus Ordo in communi contrariam tenuerit, aut tenet ſententiam.

Nunc verò producimus duos Tomos, ſimiliter in 4°, quibus agmen piæ militiæ claudere ſtatuimus; quorum aliquos à ſæculis in pulvere ſepultos, à blattis, tineiſque exæſos, luci publicæ reſtituimus; aliquos etiam tractatus manuſcriptos, qui nunquam uſuram lucis viderant, & habuerant, ac veluti mortui inter vivos jacebant, ad vitam revocavimus. Veritati namque conſulitur, pariterque devotioni Fidelium, dum tales ab interitu vindicantur, & conſervantur. Habet enim neſcio quid auguſtius, & venerabilius ſimplex, rudis, horrida, & inculta Antiquitas, quæ ut elegantiæ in ſermone fuerit negligentior (quòd experimur in ipſa S. Scriptura, omneſque agnoſcimus) rerum tamen pondere, ac ſententiarum gravitate, cryticæ orationis affectatam pulchritudinem non exæquat modò; verùm in animo veritatem deſiderante & quærente, quò minùs deſideretur, longè melius efficit: pluris quippe res ſunt, quàm verba; ac tantò majoris, quantò theſaurus, arcâ, quâ includitur, eſt pretioſior.

Ita-

Itaque ſcopus unicus noſter fuit, benevolo Lectori manifeſtare, quid Antiqui ſuis temporibus dixerint, ſcripſerint, ac locuti fuerint de hoc myſterio, quidque etiam ſenſerint. Undè abs re non erit, gratumque obſequium me præſtiturum arbitror, ſi Antiquitatem hujus Feſti, ejuſque originem in Eccleſia Dei breviter propoſuerim, & quomodò tandem in noſtra Europa ſolemnizari cæperit.

In Eccleſia Græca ab immemorabili celebratur feſtivitas ſub nomine Conceptionis S. Annæ, vel Conceptionis Virginis MARIÆ, ut conſtat ex Ritualibus, Kalendariis, Menologiis, Orationibus, Concionibus & Hymnis antiquorum Patrum, non ſolùm Græcorum, ſed etiam omnium Orientalium, ut latè in noſtra *Militia*; at quo anno, & die incæperint, numquam aſſequi potuimus. Hoc principio per ſe noto, ſuppoſito, per ſeriem annorum, quo motivo, occaſione, ac titulo in Græca initium ſumpſerit, refert Joannes de Mandeville, in ſuo ſermone, quem hic impreſſum damus, ſic dicens. *Undè, cùm in partibus Græciæ, die octavâ menſis Decembris, plures Sancti Eremitæ in loco unius eorum convenirent, ut de verbo ſalutis ſimul conferrent; cùmque de vita, & paſſione* CHRISTI *diu tractaſſent, de laude B.* MARIÆ *tractare cæperunt. Audientes autem in Cœlo cantus dulciſonos Angelorum, & melodiam, dixit unus Fratrum: Credo quòd aliqua ſancta anima ab Angelis*

gelis in Cœlis recipiatur. Alius verò, inquit: forsitan habent in Cœlo festum nobis ignotum. Tertius ait: silete: non enim nostrum est desuper Cœlestibus judicare, sed oremus, ut nobis miseris causam solemnitatis istius revelet clemens Dominus. Ipsis ergo orantibus, venit Angelus dicens: Quid miramini, si festum solemne in Cœlis fiat? omnes enim beatorum Spirituum ordines lætantur, & exultant cantantes, atque laudantes Deum de solemnitate hodiernæ festi Conceptionis Sanctæ Virginis MARIÆ, *in qua Conceptione semita facta fuit, per quam Deus descendit, & venit in mundum perditum, ut in se credentes salvos faceret. Vos itaque omni anno hoc festum celebretis, & solemnizari ab aliis procuretis. Et his dictis disparuit. Fratres ergo Patriarchæ Constantinopolitano audita narraverunt, & sic est festum ubique divulgatum.* Hæc de Ecclesia Græca.

Pro Ecclesia Latina, quidam Hilarius, qui composuit librum Hymnorum Ecclesiasticorum, impress. Coloniæ 1492. in 4°, qui tractat de eorum expositione, incipitque: *Iste liber dicitur Hymnorum*, narrat hoc miraculum. *Item nota. Quidam vir sæcularis, operi rustícali deditus, & aliis mundanis studiis occupatus, qui multis pravis actibus fuit intentus, etiam dum terram suam excoleret, quantùm poterat, vicinis suis insurgebat, & metas suas transgrediens, terram aliorum furtivè sibi appropriabat, & apposuit. Hic tamen B. Virginem in mente habebat, & sæpiùs eam devotè salutavit. Cùm iste moreretur, dæmones vene-*

venerunt, ejus animam rapere cupientes; affuerunt etiam Angeli, qui cùm proferrent pauca ejus bona opera, cæperunt dæmones contraria mala proferre innumerabilia. Cùmque exultantes diaboli putaverant se vicisse: intulit unus ex Angelis, quòd cum magna devotione sollicitus fuisset B. Virginem salutare. Diaboli audientes nomen B. Virginis, timuerunt valdè; & libenter ivissent, si potuissent, ne eorum conturbatio augmentaretur. Tunc accedens B. Virgo, dixit ad defunctum; Vis dæmonis horribilitatem evadere? Vis in mundo diutiùs vivere? Qui se talia optare respondit. Cui B. Virgo; promitte mihi, ut festum Conceptionis meæ velis celebrare: qui dixit se nescire diem hujus festi. Cui B. Virgo dixit: tantùm sabbatis diebus memoriam hujus festi peragas, donec à Sacerdotibus hoc festum fuerit manifestatum, & celebratum, &c. Undè hæc revelatio videtur prior, quàm illa de Ecclesia Græca: quia ibi per Angelos signatur dies octava Decembris; in hac verò declarandus expectatur: undè præcessisse illam, ac etiam alteram factam Venerabili Abbati Helsino, videtur. Et hoc de principio, & occasione hujus festi in Ecclesia Latina.

Quantùm ad annum determinatum: Luitprandus Toletanus, in suo Chronico, Era 714. reducit hujus festivitatis principium, à Christi Nativitate anno 37. de cujus authoritate plures Scriptores agunt pro, & contra. Noster Petrus Galatinus lib. 4. cap. 4. de Arcanis, ait incæpisse tempore Nazianzeni, circa

ca annum 390. Alii ad annum 630. eò quòd in Concilio Toletano 4. fuerit inſtituta tempore Siſinandi; ſive ad annum 670. tempore Regis Wambæ; de quo affirmat Rodericus Hiſpalenſis lib. 2. cap. 12. fuiſſe acerrimum defenſorem. Alii tenent, ætate Joannis Damaſceni, qui floruit circa annum 721. ut cum Angelo Roca refert P. Monfort. fol. 651. vel anno 731. quia invenitur in Kalendario V. Bedæ: idem affirmat Sigibertus in ſuo Chronico. Alii credunt cæpiſſe circa annum 884. tum quia illo tempore floruit ille Fredericus, frater Regis Hungariæ, qui, relictâ Sponſâ, factus fuit Abbas, & poſteà Patriarcha Aquilejenſis, ac primus, teſte Anſelmo, inchoavit celebrationem Immaculatæ Conceptionis. Tum etiam, quia in Kalendario extat Caroli Magni, diſpoſito ab Alcuino, qui eodem tempore vixit.

At relinquendo iſta dubia, certiſſimum eſt, per totum Septentrionem feſtum fuiſſe celebre, cum proprio quidem officio circa annum 1090; at quale illud individualiter fuerit, authenticè non conſtat: probabiliter ſupponi poteſt, fuiſſe de die Nativitatis, nomine mutato, quod colligitur ex Officio S. Anſelmi, in cujus principio ſic dicitur: *Sexto Idus Decembris, qui eſt octavus dies Kalendarum ipſius menſis, & celeberrimus dies feſtus Conceptionis Beatiſſimæ Dei Genitricis* MARIÆ, *qui noviter revelatus eſt, & cuidam Re-*

ve-

verendo Abbati, revertenti per Britannicum Oceanum, à Dacia in Angliam, non sinè magno miraculo ostensus..... in ipsis Occiduis Regionibus valdè celebratur; atque per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normanniam, & Germaniam, magna cum devotione colitur; colendumq; per omnes mundi partes, Deo gratias largiente, porrigitur; illud nimirùm devotè custodiendum est, & omne officium, quod in ejus Nativitate agitur &c. Mortuo itaque anno 1109. S. Anselmo, primo, ac præcipuo in Occiduis Regionibus Patrono, promotore, & zelatore hujus festivitatis, etiam ad Galliarum Ecclesias paulatim se extendere incæpit, licèt in Epistola 174. S. Bernardi non exprimantur; ait enim: *Et ante quidem apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde, & amore Virginis veniebat.* Sed anno 1136. Ecclesia Lugdunensis etiam amplexa est, ut constat ex testimonio authorizato, quod nobis exhibuit Illustriss. D. D. Andræas Saussay, Episcopus Tullensis.

Post viginti septem annos à morte S. Anselmi, cernens S. Bernardus sanctam Lugdunensem Ecclesiam, quæ cæteris præeminebat, prædictam assumpsisse, & introduxisse festivitatem, scripsit ad Canonicos celebrem, & notissimam istam 174. Epistolam, illos de tanta novitate arguendo, & varias alegando rationes, quare celebrari non deberet: prin-

cipalem tamen difficultatem ſtatuebat, quòd inconſultâ Sanctæ Sedis authoritate, ità præcipitanter imperitorum ſimplicitatem ſequebantur; concludens: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

Hoc eſt primum ſcriptum, quod oppoſitum fuit myſterio, & quo cæteri impugnatores in ſuis libris, tamquam ſcuto uſi fuerunt, dicentes: *ita S. Bernardus* &c.

Deinde valdè mirabile, ac notabile eſt, minimè inveniri Bernardum, vel minimum repoſuiſſe, & muſcitaſſe, aut quemquam ex ſanctiſsima, & litteraliſsima iſta familia, cauſam, aut patrocinium Patris ſui contra aliquem præfatorum ſuſcepiſſe, ſed tam ipſe Bernardus, quàm omnes filii ejus, quaſi muti tacuerunt, & ſiluerunt, uti non habentes in ore, aut calamo redargutiones, ubi tamen tot viris eminentibus, ſcientiâque clariſſimis abundabant, & florebant. Cellenſis quidem caſtigavit Epiſtolam Albani, præcipue quoad maculam, quâ poſt mortem, hic refert, eum apparuiſſe. Loquendo verò de feſto Conceptionis, & devotione erga B. Virginem, ait: quòd ſolveret cataractas Cœli ad illam laudandam,

dam, ſed quòad feſtum ejus, quoniam Eccleſia Romana illud necdum inſtituerit, ſicut præcepit Nativitatis ipſius, de levitate notari non velit; inhærendo per omnia menti, & ſenſui ſui Patriarchæ. Repugnantia ergo conſiſtebat, non in ſubſtantia formaliter contra feſtum ipſius, ſed in modo tantùm, id eſt, quia non legitimè adhuc intimatum fidelibus, inſtitutum, aut pro more præceptum.

Alterum notabile & valdè ſingulare eſt: Anſelmum per 4. tractatus promulgaſſe dictam revelationem, in uno eorum ordinando officium pro dicta feſtivitate, ſicut in Nativitate ejuſdem; nulluſque invenitur, ipſo vivente, ſcripto contradixiſſe, aut minimam oppoſitionem feciſſe. Bernardus verò 27. annis à morte Anſelmi eſt primus qui per ſuam Epiſtolam ad Canonicos Lugdunenſes inveh. feſtivitatem oppugnaſſe & reprobaſſe. Sed illicò ipſe vidit contra ſe ſex viros nominatiſſimos, non vulgares aut imperitos, ſed authoritate, ſcientiâ, imò ſanctitate eminentes (ſi Poſſevino, Pitſeo & aliis nomenclatoribus credendum) inſurrexiſſe tamquam gigantes, & calamum ſtrinxiſſe, videlicet Nicolaum Albanum, Petrum Comeſtorem, Petrum Cantorem, Petrum Abeilardum, & Richardum à Sancto Victore.

Nicolaus Albanus, qui prius fuerat Bernardi A-

manuenſis & Secretarius, fuit etiam omnium primus qui ſcripto illi ſe acriter oppoſuit, præ nimio zelo ferre non valens quæ ad Canonicos Lugdunenſes ſcripſerat contra feſtum Sacratiſſimæ Virginis. Ex illo forſitan motivo Albanus Bernardo valedixit, Ordinemque Ciſterſienſem reliquit, & ad Benedictinos tranſiit.

Dixi, *ſex viros*. Loquendo ex opinione qui Nicolaum Albanum diſtinguunt à Nicolao Clarevallenſi. Ex quo fit evidens, defenſores à principio hujus controverſiæ numero fuiſſe ſuperiores, neque etiam merito inferiores.

Et licet Univerſitas Pariſienſis videatur propendiſſe, aut clauſtraliter tenuiſſe ſententiam Bernardi; tamen ſub Benedicto XI. poſtquam Scotus, Theologiæ Aquila, anno 1303. portentoſam ac non ſatis memorabilem diſputationem illam coram præfata Academia Pariſiis publicè inſtituerat & ſuſtinuerat, reſumendo cum ſtupore omnium ducenta argumenta, eo ordine quo propoſita fuerant, quæ tamquam alter Sampſon ſolvit & diſſolvit; unde Doctor ſubtilis promeruit appellari, & tunc Almam iſtam Univerſitatem, quæ eſt mater cæterarum totius Europæ, fortiter in piam traxit ſententiam, & ex tunc ſuaviter inclinavit, adeo ut qui inpoſterùm in ea gradum accipere velint, clauſtraliter ſtatuerint

rint jurare prius, ut notum eſt, in verba & ſententiam ſcholæ ſolemniter habeant & debeant, tuendi myſterium Immaculatæ Conceptionis, eandemque feſtivitatem celebrandi; cujus exemplum & devotionem cæteræ poſteà Univerſitates ſecutæ ſunt. Illamque admirabilem tantòque acclamatam Scoti diſputationem fundatiſſimè exiſtimo cauſam fuiſſe, cur Eccleſia Romana, quæ tot annis, & tunc in Gallia Avinione reſederat, & reſidebat actualiter, feſtum Conceptionis ex devotione ſolemniter celebrare cæperit, aliiſque Eccleſiis per orbem ſeſe conformaverit; ſeu potius per ſuum exemplum in devotione confirmare voluerit.

At cùm anno 1316. Joannes XXII. aſcendiſſet ad apicem ſummi Pontificatûs, qui in minoribus exiſtens, in omnibus ſuis ſermonibus *affirmativam* docuerat & tenuerat (ſi nempè ipſe ſit verus author eorum) Doctores illi Ord. S. P. N. Dominici, qui Pariſiis in diſputatione Scoti ante tredecim annos ſuperati remanſerant, neque reponere poterant, tentarunt & ipſi diſputationem alteram ſolemnem coram iſto Pontifice inſtituere, vel antiquam reſumere, promittentes ſibi infallibiliter victoriam, judicantes certiſſimè ſe habituros ſupremum organum Spiritûs Sancti, ac Vicarium CHRISTI Judicem in hac re propitium, faventem, neque minùs præven-

ventum & occupatum. Citarunt proinde Fratres Minores coram ordinatione Joannis XXII. ſed Deo mirabiliter diſponente, præter utriuſque partis opinionem res planè aliter ſucceſſit, eamque hiſtoriam refert Pater quidam Benedictinus anonymus in M. SS. quod ſummâ curâ & veneratione aſſeruatur Gandavi in Belgio in Abbatia S. Petri, ſub titulo *Chronodromus* fol. 557. errato, ſed correcto 549. noſtræ impreſſionis, ſic loquens: *Quarè partem adverſam, poſteros, ſcilicet, filiorum Minoris, poſteri filiorum Majoris citantes coram ordinatione, ſcilicet, Papæ Ioannis XXII. ſupradicti, pariter convenerunt: litè conteſtatâ, poſteri filiorum Majoris producunt in teſtem Apoſtolum ad Romanos 3. Omnes peccaverunt, & egent gratiâ. Alii producunt Evangelium, dicens;* MARIAM *plenam gratiâ, Lucæ 1. & dicunt Apoſtolum non plus dicere contra Reginam in illa auctoritate, quàm in iſta poſita ſumpta eodem capitulo: Omnis homo mendax. Durat proceſſus litigii per dies multos. Tandem Papa divinâ illuſtratus gratiâ: omnes (inquit) fatemur cum Gabriele,* MARIAM *plenam gratiâ; cùm ergo gratiæ ſint ampliandæ ſecundùm leges, & Canones,* MARIAM *ſinè originali peccato aſſero conceptam, & ejus feſtum Conceptionis judico eſſe celebrandum. Undè & ab illo tempore, ut à majoribus traditur, Curia Domini Papæ, & per conſequens univerſalis Eccleſia feſtum glorioſæ Conceptionis Virginis devotè celebrat.*

Quod

Quod autem Joannes XXII. & Curia Romana, quæ Avinione in Gallia reſidebat, feſtum Conceptionis B. V. ſolemnizaverit, per aliam ſingularem hiſtoriam comprobatur, quam R. P. Franciſcus Martini, Ordinis de Monte Carmelo, Doctor Pariſienſis ſcriptam reliquit in ſuo Compendio Veritatis de Concept. B. V. tract. 5. fol. 137. & ſeq. ab ipſo compoſito 1390. quem & nos impreſſum nunc dedimus. Caſus autem eſt hic: Cùm Soldanus Ægypti multis annis infeſtiſſimum bellum gereret cum Regibus, Perſiæ, & Bellemarinæ, propter civitatem quamdam, quam hic à Soldano jure belli cæperat & obtinebat, Rex prædictus, cùm juvenis Thronum Patris ſui aſcendiſſet, de conſilio ſeniorum, miſit ad Soldanum offerens ipſi prædictam civitatem, ſi filiam ſuam ei in uxorem daret, quod primum filium quæ pareret, inſtruere curaret in ſecta Sarracenorum, in lege Judæorum, & in Religione Chriſtianorum: in quibus debitè inſtructus, quamcumque ex illis voluiſſet, liberè profiteri poſſet. Cum gaudio utrimque pacta acceptata, & pax reddita, & primò in Mahumetica, poſteà in Judæorum ac ultimò in Catholica edoctus fuit: in qua 12. annis ſtuduit. Quodam die dixit ad ſuum Magiſtrum: non clarè adhuc capio quæ lex iſtarum eſt melior, nam Mahumetus in ſua promittit lac & mel: Judæi ex-

ſep-

ſpectant Meſſiam: Chriſtiani verò expectant vitam æternam. Ideo libenter viderem ſupremum caput legis Chriſtianorum. Venit igitur Avinionem circa feſtum Conceptionis B. MARIÆ. *Et ibidem fuit peroptimè receptus à Papa & Cardinalibus, & fuit hoſpes cujuſdam Cardinalis intitulati Prænestinus. Et eſt de more, quod ubicumque ſit Papa,* CELEBRATUR HOC FESTUM CONCEPTIONIS VIRGINIS MARIÆ, *& tunc ceſſatur ab operibus ſervilibus, quamquam hoc feſtum non ponatur in Canone. Et, ut magis publicetur devotio populi, in hac ſolemnitate Dominus Papa dat Indulgentias, & facit pitantiam noſtris Fratribus, quoniam in Eccleſia noſtri Conventûs celebratur miſſa, & fit ſermo de feſto iſto, & poſt prandium fit ſermo ad populum in vulgari, quoniam de mane in Latino ſermo fit in domo noſtra ad Clerum, dum Curia eſt Avinione, ad quem conveniunt omnes Cardinales.*

Audit itaque ſermonem, in quo MARIA dicebatur concepta in originali, cupiebatque iſta materia à prandio coram Papa (ubi erat comeſturus cum Card. Prænestino) & magiſtris diſputari poſſet. Peracto igitur prandio, quæſtio diſputata fuit; datuſque locus Principi, ut etiam arguere poſſet, quod fecit quatuor vel quinque viis: *quibus viſum fuit Papæ, & omnibus Prælatis, Cardinalibus, ac Magiſtris, qui ibidem aderant præſentes, quod Sarracenus multùm gratè arguebat pro honore Virginis* MARIÆ, *& quod ſi ipſe, qui Sarra-*

racenus erat, Virginem MARIAM *à macula culpæ originalis defendebat, per amplius & nos.... Quare dictus D. Ioannes Papa, quandam profam in reverentiam munditiæ Virginis* MARIÆ *composuit... incipit:* AVE GRATIA PLENA, *cum indulgentiis ad certos dies.* Hæc Francilcus Martini.

Ex quibus liquet in principio unicum Bernardum tantùm ſeſe oppoſuiſſe Anſelmo, & myſterio: defenſores verò fuiſſe ſeptem, ut ſupra viſum eſt: tandemque Pontificem ſummum promeruiſſe Patronum, qui in Curia ſua feſtum iſtud ſolemnizavit, imò indulgentiis etiam condecoravit. Bernardi difficultas peremptoria erat, quod Canonici Lugdunenſes inconſultâ Sede Apoſtolicâ feſtivarent Conceptionem B. V. ſed poſtea Joannes XXII. cum Curia Romana illam ſolemniter celebrabat: per quod Bernardus digitum ori ſuo impoſuiſſet, cùm expreſsè fateatur: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.* Adeòque ſeſe emendaſſe cenſendus eſt, correxit, ac judicium reformavit dum Eccleſia eam jam celebrat.

Summariè hìc habes, gratioſe Lector, quæ in aliis noſtris libris fusè tractavimus, neque minùs luculenter probavimus pium initium & progreſsum

festi Conceptionis B. Virginis, & maximè quæ Antiqui in suis Monumentis, principaliter in his duobus novissimis Tomis nobis tradiderunt, ut absque multo labore fundamentalem notitiam haberes, *cur*, *quando & quomodo*, hæc solemnitas instituta sit, ac celebrari in Ecclesia Dei à Fidelibus cæperit. Prætereundo, cùm sit extra propositum, gravissimas difficultates & contradictiones quæ post Joannem XXII. in Gallia & alibi à Montisonistis cum Universitate Parisiensi excitatæ fuerunt, à Pornasio, & à Nicolao Emeyrico in Aragonia, aliisque usque ad Concilium Basilienſe; eò enim usque Defensores à parte adversa habiti sunt ut hæretici, sicut constat ex ipsorum libris & tractatibus sub titulo: *De vera innocentia Matris Dei*: *Contra calumniantes præeminentiam* CHRISTI: *De prærogativis D. N. J.* CHRISTI: *De veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis*: *De universali corruptione generis humani. &c.* Sed laus Deo, Sixtus IV. ab enormi illa macula Defensores piæ sententiæ liberavit, censurare utrimque prohibuit, mysterium relevavit, & particulari Officio honoravit cum Octava. Quod Ordo Seraphicus usque in præsens adhuc retinet, & legit ex peculiari privilegio Pii V.

Quamquam omnes Authores, quos hìc damus, fuerint devotissimi B. V. cultores, ac in fide ortho-

doxa

doxa mortui ſint; nihilominus ut Patres Græci in ſuis ſcriptis errarunt in proceſſione Spiritûs S. & hodiedum cum dicto errore eorum opera imprimantur, quia tunc erat opinabile : ſic hi Authores, cùm aliqui eorum immediatè ſcripſerint poſt Concilium Baſilienſe, quod in Gallia & Germania tamquam œcumenicum currenter tunc, & pro legitimo reputabatur, aliqua dixerunt & ſcripſerunt, quæ modò poſt editas Sixtinas, alias Apoſtolicas Conſtitutiones, & maximè poſt Tridentinum ſanè & orthodoxè teneri minimè poſſunt. Inſuper aliquæ patentes incongruentiæ, tam in verborum ſenſu, quàm in ortographia inveniuntur, & manifeſtè cernuntur : noluimus tamen propter reverentiam antiquitatis ac legalitatem ne apicem quidem alterare, ſecundùm legem Samyorum, prohibentem libris aliquid addere, innovare, aut detrahere, prout refert Syneſius.

Unde altiſſimè proteſtor, ac proteſtatum hiſce Orbi & Urbi proteſtatum volo, me nullatenus ſcripta prædictorum Authorum, in quibus à ſenſu S. R. E. deviare noſcuntur, approbare : ſed omninò reprobare, & approbare quidquid illa tamquam, Columna & Magiſtra Veritatis, decreverit, & cum effectu reprobaverit aut approbaverit; à cujus ore, nutu, voluntate & arbitio tam vivus

quàm mortuus volo dependere tamquam verus filius S. P. N. Franciſci, adeòque omnia quæcumque hucuſque ſcripſi, & typis mandavi in quocumque idiomate, & ſub quocumque titulo, omnia & ſingula cernuus ſubjicio authoritati Sanctæ Sedis. Æquè bonique igitur, devote Lector, conſule labores noſtros, quos pro defenſione B. Virginis, jam tot annis ſuſcepi; ut à Filio ſuo dilectiſſimo impetret in hora mortis meæ veram contritionem peccatorum meorum, ut coronam vitæ æternæ miſericorditer aſſequi valeam, ad quam nos omnes perducat Mater pietatis ac miſericordiæ Amen.

ELO-

ELOGIA AUCTORUM TOMI PRIMI.

NICOLAUS, MONACHUS primò Ciſtercienſis, quondam amanuenſis, & Secretarius S. Bernardi, quem proinde aliqui nuncupant Clarevallenſem, ex quo eum diſtinguere volunt à Nicolao Albano, ſic dicto à Monaſterio Ordinis S. Benedicti, ad quem tranſiit, divinis, & humanis litteris nobiliter doctus, ſcripſit duas Epiſtolas pro Conceptione B. Virginis contra Epiſtolam S. Bernardi, alii dicunt duos Libros, qui ſecundum Pitſeum incipiebant: *Sæpe numen dulciſſimæ Fraternitatis*, dicatos Venerabili Abbati, D. Hugoni ad S. Remigium, qui perierunt, vel occultati ſunt, propter reverentiam S. Bernardi. Sed extat, inter opera Petri Cellenſis, alia ipſius Epiſtola de eadem materia, quam hic damus, ex Bibliotheca veterum Patrum, tomi 12. parte 2. Quod ſi hic diſtinctus foret ab alio, jam alterum haberemus teſtem, & conteſtem, qui anno 1140. ſcripſiſſet contra S. Bernardum; nam in quodam Sermone, qui extat inter opera incerta S. Bernardi, qui incipit: *Miraculum fuit*; ait: *Licet Maria de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præſervata ad purum, Deum nobis protulit, & hominem.* Sed probabilius videtur non eſſe diverſos, binominumque fuiſſe ex Religione. Vide Poſſevinum in ſuo Apparatu, quæ refert de iſto Nicolao Albano, Joannem Pitſeum, & alios.

PETRUS COMESTOR, Præsbyter Trecenſis, Gallus, devotiſſimus Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ cultor, & prosâ, & metro varia ſcripſit, ac reliquit poſteritati ingenii ſui monumenta. Vide Militiam noſtram, ac Radios. Inter cætera, quemdam Tra-

Tractatum, seu Sermonem pro Immaculata Conceptione, impressum olim Antverpiæ in 8. anno 1536. quem hìc damus, quia memoria ejus ferè excidit, & vix reperibilis.

IOANNES à MEPPIS, dictus SCHYPHOWER, Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, natione ut creditur Saxo, Sacræ Theologiæ Lector, & Prior in Cœnobio Tanglimmensi, edidit solemnem, ac Classicum Tractatum de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ. tempore Joannis XXII. Vixit ad annum 1492, Quem manuscriptum recepi à R. A. P. Fr. Mathia Hauzeur, Provinciæ Flandriæ Recollectorum 5. Provinciali Ministro, ac Lectore Jubilato, per scripta sua notissimo, & amico intimo, qui illum extraxit ex Bibliotheca Conventûs sui Luxemburgensis, qui olim antè bella Germaniæ pertinebat ad Provinciam Saxoniæ S. Joannis Baptistæ; de quo neque Gesnerus, neque ipsius Continuator Simblerus, neque Trithemius, imò neque proprii Nomenclatores ullam prorsus mentionem faciunt; quia forsan Hæreticorum rabies in Monachos, cum Cœnobiis omnes antiquas memorias, pro more, Vulcano tradiderunt, ne memoria aliqua existeret, si possibile foret; at Deus aliter providit.

PETRUS CANTOR, aliàs RHEMENSIS, Doctor Parisiensis celeberrimus, Tornacensis Episcopus electus, ac demùm factus Monachus in Monasterio Longipontis, Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Suessionensis, varios edidit tractatus, ut videre est apud Trithemium, & omnes Nomenclatores. Vide Radios Solis nostri Colum. 1150. Ediditque Sermonem, quem communiter Tractatum vocant, propriâ manu conscriptum, quem oculis conspexi asservari in dicto Monasterio ingenti curâ, cujus copiam, seu transumptum mihi gratiosè concesserunt, ut juris publici facerem, quia est æternâ dignus memoriâ.

PETRUS ABEILARDUS, Abbas Duyensis, Gallus, hucusq; quasi ignotus, scripsit aliquos Sermones. Liber impressus fuit Parisiis, in 4. anno 1617. Cujus Burdigale apud Patres Societatis JESU invenimus Orationem, seu Opusculum de Conceptione B. Virginis, manuscriptum, antiquis characteribus, cum aliquibus operibus S. Augustini. Vide Militiam nostram,

ELOGIA AUCTORUM.

HERMANNUS DE SCHILDIS, vel DE SCHELIS, Germanus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Sacræ Paginæ professor inclytus, edidit anno 1340. insignem tractatum de Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ, quem invenimus manu scriptum in Regia Bibliotheca Parisiensi; extat in 4. Vide Militiam nostram, ubi referuntur alia, quæ scripsit, & impressa fuere.

THEODORUS DE VRYE, seu DE VRICHS, Saxo, Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, Sacræ Theologiæ Lector, conscripsit insignem tractatum pro defensione Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ, quem dicavit suo Rss.° Magistro Generali, Gerardo de Arimino. Manuscriptum ipsum nobis donavit amicus meus R. A. Pater Mathias Hauzeur, ut retuli in Joanne de Meppis, permittente Divinâ clementiâ, ut inter tantas temporum, & rerum vicissitudines, salvus cum suo Patriota evaderet, & tandem post tot tenebras lucem videret.

MAGISTER GERARDUS RONDELLUS, Leodiensis, Doctor Sorbonicus, coram Universitate Sorbonæ publicè è suggestu prædicavit Sermonem pro mysterio Immaculatæ Conceptionis, quem manuscriptum invenimus Lovanii apud Canonicos Regulares S. P. Augustini, numquam, quòd sciam, impressus fuit. Cætera de Authore mihi incognita sunt, nec faciunt ad scopum meum.

SERMO ANONYMI cujusdam antiqui pro Immaculata Conceptione, repertus Coloniæ, apud Patres Cruciferos, numquam visus aut impressus, pertractans theologicè totam rei difficultatem, & respondens ad objecta S. Bernardi.

JOANNES DE MANDEVILLE; utrùm ipse sit genuinus, & legitimus Auctor hujus Sermonis, an verò tantummodò compilator, me penitùs latet, quia vidi etiam manuscriptum sub nomine Magistri Gerardi Rondelli. Lector judicet quidquid placuerit; invenimus namque ipsum Sermonem manuscriptum in Rubra Valle Canonicorum Regularium S. Augustini propè Bruxellas, sub nomine Joannis de Mandeville.

PAU-

ELOGIA AUCTORUM.

PAULUS VENETUS, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui valdè probabiliter præceſſit Joannem à Meppis, quia hic ſæpius ipſum citat; aut ſaltem fuit coævus. Valdè claſſicè defendit in ſuo tractatu Conceptionem, magiſtraliter probando intentum, eam fuiſſe, ſecundùm animam, id eſt, in ipſa infuſione animæ à noxa originali præſervatam. Hunc Tractatum invenimus in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani. De ipſo Auctore mentionem faciunt Joannes à Sancta MARIA, in ſupplici libello fol. 333. Chriſtophorus Vega, Paleſt. 3. certam, 1. n. 332. fol. 102. Maraccius, & Alii.

DOMINUS DOMINICUS BOLLANUS, artium, & Philoſophiæ Doctor, natione Italus, conſcripſit celebrem tractatum in favorem piæ ſententiæ, dicatum Sereniſſimo Duci Venetiarum D. D. Nicolao Marcello. Extat impreſſus cum operibus Roberti Caracioli de Licio, Venetiis anno 1504. & eodem anno etiam Argentinæ; citatur in Clypeo Virginis. Dicitur & aliud compoſuiſſe Opuſculum contra *Marianæ puritatis detractores*, ut referunt Poſſevinus, & alii. Quia liber vix reperitur, ideo denuò volui typis mandare, ejuſque memoriam renovare.

ALTER SERMO ANONYMUS, licèt impreſſus cum tractatu Dominici Bollani in Civitate Argentina anno 1504. in 4. non pertinet ad illum, neque eſt auctor: videturque declamatus in Concilio Baſilienſi coram Patribus Concilii, nempe à Joanne Eymerico, cujus Turrecremata in ſuo libro meminit; fuitque Defenſor acerrimus pii myſterii, utì Sermo ipſius demonſtrat, qui eſt & ſolidus ac magiſtralis. Ipſius memoria non extat apud Nomenclatores.

ALIUS TRACTATUS ANONYMUS, qui repertus eſt Pariſiis in Bibliotheca Fuquetiana manuſcriptus, characteribus antiquis quaſi pictis. Cujus Sermo eſt concionatoriè valdè probativus, & eruditus, de quo nullum aliud poſſum ferre ſuffragium, nec facere judicium.

JOANNES PALTZ, vel PALTZIUS, Germanus, Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini; conſcripſit ſub hoc titulo: Cœli fodina

fodina abſconditos Scripturæ theſauros pandens, &c. Deinde ſupplementum Cœli fodinæ, impreſſum Lipſiæ anno 1510. in 4. Inſuper edidit alium tractatum expreſſum pro B. V. MARIÆ Immaculata Conceptione, quem poſtea reimprimi curavit D. D. Hermannus ab Haſſia, Archiepiſcopus Colonienſis; ac tertiò à Nicolao de Aqualonga in 16. cum ſtatutis Univerſitatis Pariſienſis, Colonienſis, ac Moguntinæ, referens quomodò anno 1498. in Flandria, ac Brabantia graviter reprehenderat aliquos, quia prædicabant contra Decretum, & Bullam Concilii Baſilienſis, emanatam in favorem Immaculatæ Conceptionis, propter quod vincula, & compedes paſſus eſt. Vide Trithemium, & Nomenclatores Auguſtinianos.

ANTONIUS FORNERIUS, CUCIACENSIS, Gallus, Sacræ Theologiæ Profeſſor, edidit tractatum pro defenſione B. V. MARIÆ, quem dicavit Archiepiſcopo Aquenſi, impreſſum Pariſiis per Magiſtrum Anthonium Denidel, Imperſſorem, prope Collegium de Coqueret commorantem, in 8. abſque anno. De eo facit mentionem honorificam Defenſorium Conceptionis, Gallicè conſcriptum, quod etiam à nobis eſt typis mandatum.

HENRICUS DE HASSIA, Plantator Gijmnaſii Vienenſis in Auſtria, qui juxta Conrardum Geſnerum floruit anno 1397. & juxta Sixtum Senenſem anno 1420. quem Theodorus Petrejus vocat Juniorem, Ordinis Canthuſianorum, ſcripſit Libellum ſub hoc titulo: *Contra diſceptationes, & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium ſuper Conceptione Beatiſſimæ* MARIÆ *Virginis.* Impreſſum eſt characteribus antiquis in 4. abſque anno, & loco, quem manuſcriptum vidi Coloniæ apud Patres Cruciferos. Vide Militiam noſtram, Trithemium, & alios. Judicium Auctoris noſtrum ad calcem tractatus appoſuimus.

ANTONIUS BONROMÆUS, Italus, Artium, & Juris utriuſque Doctor, Comes, & Eques, compoſuit quoddam Opuſculum; intitulatum *Clypeus Virginis*, dicatum R. D. Alberto Canonicorum Regularium Priori, omnibuſque Patribus ejuſdem

Religionis ; impreſſum Venetiis in 4. apud Petrum Liechtenſtein, anno 1508. dequo Defenſorium Gallicum loquitur.

TRACTATUS pro Immaculata V. Conceptione Cujuſdam Patris Ordinis S. Benedicti, appellatus ab Authore, *Chronodromus*, id eſt, *Curſus temporum*. Extat manuſcriptus in Abbatia S. Petri Gandavi; aſſervatur ibidem maximâ curâ, & tenetur in ſumma veneratione : eſt ingens Tomus, ex quo hunc tractatum ſcripſimus.

TRACTATUS UNIVERSITATIS PARISIENSIS, manuſcriptus ex integro, numquam impreſſus, ſed ab aliquibus Auctoribus bene citatus : repertus in Collegio Navarræ Pariſiis, narrans fideliter omnia, quæ contigerunt in Controverſia, quam Joannes de Monteſono, ac Montiſoniſtæ excitarunt circa myſterium Conceptionis: aſſervatur nunc Matriti in Archivo noſtri Conventûs.

CAROLUS FERNANDUS, Belga, Brugenſis, in parva ætate oculis orbatus, Monachus fuit Ordinis S. P. Benedicti; plura ſcripſiſſe fertur; ad manus meas advenit tractatus, ſeu commentarius, quem edidit in diſcertationem V. P. Roberti Guaguini contra Vincentium de Caſtro-novo, aliàs Bandellum, impreſſus Pariſiis anno 1409. in 4.

SENTENTIA EMMINENTISS. D. D. Cardinalis Roberti Bellarmini coram Paulo 5. in Congregatione pronuntiata, circa myſterium Conceptionis; ex ipſo Auctographo dicti Cardinalis.

SERMO ANONYMUS, repertus in Bibliotheca Huenſi circa Leodium, Patrum Cruciferorum, de quo vide Radios noſtros, 132. col. 1231. quem fundatè exiſtimo eſſe Jacobi de Lauſana Ordinis Prædicatorum.

EPI-

EPISTOLA IX.

Nicolaus, monachus Sancti Albani, Petro Abbati Sancti Remigii.

INvectionis palliatæ ſaturatus opprobrio, & ironico crapulatus à vino, verè putabam me miſſionem accepiſſe, & fœdus jam cum ſilentio pepigiſſe. Quid ſenſerim ſanè de privilegio ſingularis integritatis in virginum Virgine ſcripſeram, & metam ibi fixeram: & ecce meus Petrus de nova materia novum ſuſcitat ex inſperato bellum, & omnes Virginis domeſticos provocat ad indignationem, & doctos in lege Domini ad præſumptionis minus Catholicæ contradictionem. Quandiu tractabatur de articulis, qui ſic, vel aliter poterant intelligi, ſanâ utrimque fide, diſſimulabam, & animus noſter, ſi concepit, non peperit dolorem. Nunc autem cùm tuba canitur, quod Virgo peccatum ſenſerit, & ſentiendo debellaverit, non diſſimulo, non patienter ago, vix manus teneo, quim in publicum hoſtem irruo. Sed priuſquam pro communi omnium Virginis domeſticorum indignatione reſpondeam, lapidem offenſionis, & ſcandali petram contueor, quæ in noſtra Epiſtola invenit, qui nodum in ſcirpo ſæpius quærit; & prava privatæ læſionis indirecta, & aſpera redigam in vias planas. Lapis itaque lapidem offendit in eo quod dixi, Virginis ipſius animam pertranſivit gladius, non ſolùm olim in Filii paſſione, ſed etiam nuper in Conceptionis ſuæ condemnatione; & ironico typo ſubſannans hîc bonum dormitaſſe Homerum, Ariſtotelico more ſic logicat. Eſto, noſtra placent ei obſequia, nunquid paſſibilis eſt adhuc ejus anima? Fides ſupplet irrefragabilem concluſionem, ut vera impaſſibilitas, & immortalitas nullas admit-

tat moleſtias. Miror, & indignor virum Eccleſiaſticum in Divinæ Scripturæ figuris exercitatum, has loquendi figuras ignorare, vel earum ſcientiam diſſimulare. Nonne legitur Deus zelans, iraſcens, pœnitens, dolore cordis intrinſecùs tactus, antequam fuerit humanatus? Nunquid ideo ejus Divinitas ſenſit paſſionum moleſtias, quia noſtro more de ipſa loquitur Scripturæ auctoritas? Nunquid Angelos ſollicitudo inquietat, quia leguntur ſecuri de ſua, ſolliciti de noſtra gloria? Tanta eſt hujus tropi copia in divina Pagina, quòd ipſa abundantia generat inopiam. Pauca igitur de multis ſapienti ſufficere debent in tam plano articulo.

Ad petram verò ſcandali de corde veſtro tollendam, pluſculum eſt immorandum, quia res exigit, ut palàm faciam, quod celare propoſueram. Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debitâ exuere veneratione, & poſt eum verborum jacula emittere, quondam Sanctorum catalogo adſcriptus, nuper eſt in Eccleſia canonizatus, & ab humano judicio exemptus. Exemptus inquam eſt, ne de gloria ejus dubitemus; ſed non ut minus de ejus dictis diſputemus. De gloria Beati Martyris Cypriani Beatus Auguſtinus non dubitat, tamen in Spiritûs Sancti datione eum erraſſe veriſſimè comprobat. Errorem Martyrio deletum ſcribit, & ſic docuit Eccleſiam venerari Martyris gloriam, ut tamen non imitaretur errorem. Ego autem, etſi diſſimili ſcientiâ, ſimili tamen conſcientiâ, ſic veneror Beatum Confeſſorem Bernardum, ut laudem, & amem ejus ſanctitatem, qui nec amem, nec laudem ejus præſumptionem in Matris Domini Conceptionem. Et ne putes me magis pertinaci, quàm bonâ conſcientiâ dicere, quæ dico; audi quid ab ipſis Ciſtercienſibus verâ religione præditis, & Virginem in veritate diligentibus, acceperim de Sancto Bernardo, quorum nomina abſcondo ſub modio, ne odioſos faciam Fratrum ſuorum Collegio. In Clarevallenſi Collegio quidam converſus benè Religioſus in viſu noctis vidit Abbatem Bernardum niveis indutum veſtibus, quaſi ad mamillam pectoris furvam habere maculam. Quem ex admiratione triſtior alloquens; Quid eſt, inquit, Pater, quòd nigram in te maculam video? & ille; Quia de Dominæ noſtræ Conceptione ſcripſi non ſcribenda, ſignum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater viſa Conventui innotuit, & aliquis Fratrum in ſcriptum redegit. Relatum eſt in generali Ciſtercienſi Capitulo, & de communi conſilio ſcriptum periit

riit incendio, maluitque Abbatum Univerſitas Virginis periclitari gloriam, quàm S. Bernardi opinionem. Non ſic Paulus, non ſic: qui ſe blaſphemum, & injurioſum inclamitat, ut Redemptoris gloriam amplius extollat. Et certè, ut credo, eâ ratione Sanctus in propria perſona viro ſimplici, & de talibus nil ſcienti apparuit, & culpam ſuam innotuit, ut totius Ciſtercienſis Capituli diſcretio deprehenderet eum velle ſuum errorem damnari, & Virgineæ Conceptionis gloriam prædicari. Igitur, ſi ego publico, quod ipſe, ut credo, publicari voluit, hoc non eſt ejus famam extenuare, vel gloriam evacuare, ſed ejus voluntatem ſuper delicti ſui pœnitentia exprimere. Porrò facto levi per purgatorium tranſitu, intravit in gaudium Domini ſui, qui in diebus ſuis ſanctitate venerabilis, opinione ſingularis, eloquentiâ ſuavis, & ſignorum innovatione, immutationeque mirabilium extitit mirabilis. Hæc ego de beatiſſimo Abbate Bernardo.

Nunc de ſtatera mea, quæ in hoc, ut ſcribitis, videtur mentiri quod dixi, Virgo ſingularis vicit omne peccatum, non omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo. Quòd non omne debellaverit, teſtimonium perhibent, homicidium, adulterium, furtum, & horum ſimilia multa peccata, quæ ejus affectum nunquam momorderunt, ejus memoriam nunquam contaminarunt, ejus denique opinionem nunquam læſerunt. Teſtimonium etiam perhibet conſcientia petrina, quæ etſi cotibus ſit durior, hanc tamen abhorret duritiam, quam totus mundus abhorret. Os enim aliter ſentiens, non ſolùm eſt obſtruendo ſimo, ſed lapide conterendum duriſſimo. Quòd nullum prorſus ſenſerit peccatum Virgo peccati deſtructrix, hoc videtur ſentire Beatus Auguſtinus, ubi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur ſenſiſſe, & prophetico ſpiritu prædixiſſe David, ubi Verbum incarnari deſiderans, dicit: *Surge in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Surgere enim Verbi, fuit ab occulto ſuo prodire in noſtrum publicum, inviſibilem fieri viſibilem habitu carnis indutum. Incarnatum itaque deſiderat ſurgere in requiem, quam ſignanter dicit ſuam: ut à communi hominum requie diſtinguat, quam idem David deſignat alibi: *Convertere*, inquiens, *anima mea in requiem tuam.* Requies animæ humanæ in hac vita eſt, vel devictâ, vel ſopitâ carnis contradictione, ſenſualitatem rationis imperio de facili obedire. Verbi verò incarnati requies

eſt,

eſt, in carne nullam carnis contradictionem, nullam membrorum legem menti repugnantem ſentire. In hanc igitur requiem ſuam ſurrexit Verbum incarnatum ; & non ſolùm Verbum, ſed & arca ſanctificationis ſuæ, videlicet Mater ſua, de qua, & in qua eſt Verbum incarnatum. Sicut enim in Cœlo, qualis Pater, talis Filius; ſic & in terra, qualis Filius, talis Mater, non dico de Spiritu concepta, ut Filius, ſed de Spiritu repleta, & ſanctificata ex utero Matris, ut Filius. Quod quidem ſenſit, & ſcripſit, quem laudas auctorem in præſenti, Abbas Bernardus. Inde quippe dicit. Nativitatis, non Conceptionis Virgineæ, diem haberi ſolemnem : quia quæ in peccatis concepta eſt, ut univerſum genus hominum, ſinè peccato nata eſt, ut pauci hominum. Si igitur ſinè peccato nata eſt, conſequenter ſinè peccato converſata eſt. Si ſinè peccato converſata eſt, conſequenter ſinè ſenſu peccati ex hoc mundo ad Patrem aſſumpta eſt.

Sed dicis, eam ſinè peccato ſenſiſſe peccatum. Fateor me neſcire quid velis dicere. Nam exempla ſentiendi, quæ proponis, nullius ſunt auctoritatis, & ideo nullius ponderis. De cætero omnia exempla, quæ ponis, ſolis ſenſibus corporeis comprehenduntur. Poſſunt enim videri, audiri, & tangi, & ſortè olfatu, & guſtu percipi. Et licèt quinque ſunt corporei ſenſus, tamen non dicimus, ſentio ignem, quia video, nec ſentio aërem, quia audio, nec ſentio lapidem guſtu : fortè picem ſentio olfatu, ſed de ſenſu olfaciendi nihil ad ſenſum peccati. Proinde omnia, quæ poſuiſti, ſentire te, dicis, quia tangis. Si igitur Virgo ſenſit peccatum, cùm peccatum tripliciter accipiatur in Sacro eloquio, videlicet pœna deccati, culpa peccati, hoſtia pro peccato : utrùm hæc omnia, an duo, an unum tantùm ſenſerit, vellem tuo edoceri magiſterio. Si enim ſic intelligis ; ſenſit peccatum, id eſt, pœnam peccati, ſic & ego intelligo. More quippe noſtro eſurivit, ſitivit, friguit, & multis tribulationibus decocta, noſtris calamitatibus ſubjacuit, & ex talium in CHRISTO patientia, multimoda meritorum prærogativa efloruit, abſque his quibus intrinſecùs quotidiè proficiebat : novâ videlicet virginitatis dilectione, ſingulari Dei contemplatione, incomparabili proximi charitate, totâ virtutum omnium pulchritudine, nullâ maculæ, vel leviſſimæ turpitudine. Nam cùm meritorum noſtrorum ſumma conſiſtat in patiendo pro CHRISTO, & in diligendo

gendo CHRISTUM ; Deum videlicet, & proximum noſtrum: in his duobus excitata eſt ad plenum agoniſta noſtra ante adventum Verbi in uterum ejus ; ut nec ei deeſſet vel cum carne, vel cum hoſte certatio, nec peccatiſſimi animi contemplatio. Proinde diſpendium merendi non ſuſtinuit, quæ tot tentationibus expoſita, gratia, quâ ante obumbrationem plena, & Dominus cum ea fuit, omnes debellavit, & omnes ſuperavit. Diſpendium, inquam, merendi non ſuſtinuit, quæ in dies operatione proficiens, pariter & amore, optimam Mariæ partem adimplevit, & Marthæ ſollicitudinem per ætatis teneritudinem non excluſit.

Quod ſi intelligis, ſenſit peccatum, id eſt, ſenſit culpam peccati, more noſtro legem membrorum ſenſit, motus pudendos ſenſit, & inquinata eſt ab ea, quod abſit. Ivo venerabilis Carnotenſium Epiſcopus in Chronicis ſuis ſcripſit, duodecimo anno ætatis ſuæ Virginem ab Archangelo Gabriële ſalutatam, & à Spiritu ſancto obumbratam : infra quem ætatis annum non permittit natura moveri pubeſcentium genitalia. Terminus igitur pudendi motus in Virgine à Spiritu ſancto præventus reliquit nos dubios, utrùm à die Conceptionis, an à die Nativitatis, an certè à die ſuperventionis Spiritûs ſancti in Virgine, Virgo liberata ſit à contradictione carnis pudenda. Unde, & Auguſtinus dubitativè de CHRISTO dixit: Quod inde ſuſcepit, aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo mundavit. Sed modis omnibus conſtare nobis debet, quòd Virgo ſingularis nunquam in carne, in qua, & de qua CHRISTUS homo factus eſt, motum illicitum ſenſit, nunquam legem membrorum ſenſit, nunquam, quod non voluit, egit, nunquam ſenſit, quod ſentire non decuit. Cùm igitur ante duodenatum ex naturæ beneficio, poſt duodenatum ex gratiæ dono peccatum ſentire non potuerit; quando ſenſit, & ſentiendo debellavit Virgo peccatum, quæ aliis temporibus in terris non vixit ? Si de Salomone, & Achaz das inſtantiam, qui undecimo ætatis ſuæ anno genuerunt filios, ſcias quia ſingulare privilegium non facit legem communem : vel certè, quia reprehendit eos Scriptura de incontinentia, potuit fieri, ut obſcenis motibus genitalium infirma irritarent, & pudoris clauſtra rumperent, & de animi ſui perverſitate jura ſuæ naturæ inolita perverterent, non communem hominum naturam exterminarent. Radicatus, & fundatus in montibus ſanctarum auctoritatum, da ſanctam auctoritatem,

ritatem, quæ perhibeat Dominam noſtram ſenſiſſe peccatum, quæ ità diſtinguat ſenſum peccati, videlicet in ignis, in picis, in lapidis, in aëris ſenſum; & erraſſe me fatebor. Quod ſi non occurrit; quâ fronte audes fingere nova commenta in tantam Virginem? Quâ dementiâ infamare ſenſum genitalium, quæ Salvatorem, ſalvo pudoris titulo, fuderunt? Quæ prærogativæ diſtinctio inter ſingularem Virginem, & alias ſanctas Virgines, ſi peccatum ſenſit ut aliæ, ſed non conſenſit peccato, ſicut nec aliæ? Quo gratiæ merito præminuit, ante virtutis obumbrationem dico, ſi ipſam cum univerſo hominum genere exclamare neceſſe fuit; *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Parciùs novas in Virginem adinventiones de ſpiritu tuo cudere debuiſſet, quam de Spiritu ſuo Deus Pater tam gloriosè fœcundavit. Si ergo aliquid ſcribo de Virgine, quod non legerim in Canone, laudem tamen ſapit Virginis, laudem & Filii Virginis: & occaſione ſcripturæ Canonicæ, vel vera ſcribo, licèt occulta, vel veriſimilia, & ipſa Catholica. Præſumuntur multa de Virgine, quæ nuſquam leguntur: & præſumptionibus ſtandum eſt, donec probetur in contrarium. Singularis Virginis privilegium non habet ſimilitudinis conſortium. Non ſolùm ſingulare eſt, quòd Virgo concepit, ſed & quòd Virgo ſola, & prima in Iſraël virginitatem adamavit. Non ſolùm inauditum, quòd Virgo peperit, ſed & quòd Virgo citò Angelo crediderit, & de facto non dubitans, modum conceptionis inquiſivit. Et in hunc modum diſtinguo inter Virginem nondum matrem, & Virginem jam matrem: ut ſingulari utrobique cæteris virginibus prærogetur privilegio, quæ ſingulariter nondum mater, Angelo teſtante, gratiâ plena fuit; & ſingulariter jam mater, Spiritûs ſancti ſacrarium extitit: quæ nondum mater, quaſi lana candidiſſima nullius peccati ſenſu maculoſa fuit; & ſingulariter jam mater, quaſi purpura ſanguine conchylii tincta, ita Spiritu ſancto completa, & madefacta fuit, ut nullis de cætero uſibus manciparetur, niſi Divinis. Multa in hunc modum occurrunt differentiarum genera, quibus Virgo nondum mater, differt à ſe Verbi matre, licèt nunquam peccatum ſenſerit, vel nondum mater, vel jam mater. Vellus quippe, cùm ſit de corpore, ut ait Hieronimus, corporis non ſentit paſſionem: ſic & noſtræ Virginis virginitas, cùm ſit in carne, non ſenſit vitia carnis.

Sed dicis: Multiformiter peccatum ſentitur: aliquando cum peccato,

cato, aliquando ſine peccato. Sine peccato ſentitur, ſicut aër. Hoc exemplum nullius eſt auctoritatis, ut dictum eſt, ſed nec intelligentis expreſſivum. Aër, quippe, ſentitur aliquando intenſiùs, aliquando remiſſiùs, ſecundùm motûs ſui impetum, vel leniorem, vel aſperiorem: & durior eſt aëris frigidi ſenſus aſperior, quàm ignis tepidioris levior, vel lapidis, vel picis remotior. Eàpropter me non movent exempla, quæ tam remota ſunt à re, ad quam explicandam ſunt inducta. Recurramus itaque ad ſenſum Eccleſiæ, & ſecundùm quod ipſa ſentit de ſenſu peccati, proferamus in medium, & videamus quo ſenſu Virgo potuerit ſentire peccatum, ſine ſenſu peccati. Cùm igitur peccatum Eccleſiaſtico ſenſu tripliciter dicatur, ut dictum eſt, videlicet pœna, culpa, hoſtia, jungamus primò ſingula ſingulis, deinde ſingula omnibus, ut experiamur quâ conjunctione verum ſit, peccatum ſentiri ſine peccato; & tandem deprehendamus, utrùm veritas æquivocæ conjunctionis obviet clauſulæ univocæ acceptionis, quâ dicitur: Virgo vicit ex omni parte peccatum, non omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo. Attende, rogo, ſi Virgo pœnam peccati ſenſit, ſine pœna peccati; ſi culpam peccati ſenſit, ſine culpa peccati; ſi hoſtiam ſine hoſtia ſenſit: & doce quomodo hæc poſſint fieri. Quod ſi non occurrit, attende ſi culpam ſine pœna, vel ſine hoſtia ſenſit; ſi hoſtiam ſine pœna, vel ſine culpa ſenſit: & doce quæ ſcriptura hæc doceat, & quid utilitatis in præſenti diſquiſitione habeat. Perpende denique, quòd Virgo pœnam peccati ſenſit, ſine culpa peccati: & hoc ſenſu fortè fieri potuit, quòd peccatum ſenſit, ſine peccato, cùm peccatum æquivocè pœna dicatur, & culpa peccati. Sed hic ſenſus in nullo derogat clauſulæ, quâ Virgo perhibetur omne viciſſe peccatum, non omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo: quia in ea univocè ubique peccatum pro culpa peccati accipitur. Ipſa quippe culpam peccati, videlicet concupiſcentiam, & cætera, quæ ſimul ſunt, & pœna, & culpa peccati, ex omni parte vicit, quòd horum omnium nullum omninò ſenſit. Nam ſerpentis ſibilatio foris fuit per ſuggeſtionem; non intùs per titillationis pruriginem. Nec decuit illam carnem titillari, per

quam meruit omnis caro à damnatione titillationis purgari. Non decuit illam carnem inordinatè moveri, de cujus propagine ordinis diſciplina demanavit; & omnem mundum ſub juſtitiæ moderamine colligens, ad vitam æternam reformavit.

PIVS AC ERVDITVS SERMO Petri Comeſtoris, olim Presbyteri Trecenſis, de Immaculata Virginis Matris MARIÆ Conceptione.

PIO LECTORI SALVTEM.

EN habes optime Lector, hunc Petri Comeſtoris ſermonem de Immaculata Virginis Conceptione. Quem cum legiſſet Magiſter Reuvardus Decanus Lovanienſis, vir omni doctrina & honeſtate conſpicuus, ſic reſpondit: Viſus eſt mihi ſermo pius & eruditus, qui poſſit non ſolum ſine periculo, ſed cum magno etiam fructu legentium publicari. Sequitur autem ſententiam illorum, qui in Adam putant reſervatam fuiſſe particulam carnis ſine corruptione, & per ſucceſſionem generationum transfuſam uſq; in Annam, & ex ea formatũ eſſe corpus MARIAE & IESU filij ejus; quæ & ſi opinentur, & fundamentum ex ſcripturis non habeant: tamen non eſt in ea opinione periculum fidei vel morum, & adeam conniveri poteſt. Lege igitur & delectaberis. Vale ex conventu Minoritarum Mechliniæ M. D. XXXVI.

EX IOANNE TRITHEMIO, De Eccleſiaſticis ſcriptoribus.

PEtrus Presbyter Eccleſiæ Trecenſis cognomento, Comeſtor ſive Manducator; vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus atque in ſæcularibus litteris egregiè doctus, carmine exercitatus & proſa: ſcripſit utroque ſtylo quædam præclara opuſcula, quorum auctoritas ab Eccleſia longo jam uſu comprobatur. Comeſtor autem ſive Manducator idcirco dictus eſt, quia ſcripturarum auctoritates in ſuis ſermonibus & opuſculis crebriùs allegando, quaſi in ventrem memoriæ manducarit. Scripſit inter cætera ingenii ſui volumina, inſigne opus ad Guilielmum Senonenſem Archiepiſcopum omnes libros Bibliæ hiſtoriales, & breviter & utiliter exponendo, quod jam ex uſu prænotatur: Hiſtoria Scholaſtica lib. 20. Sermones de tempore, lib. 1. Sermones de Sanctis, lib. 1. De laudibus Sanctæ MARIÆ Matris Dei, & alia complura. Claruit ſub Friderico Imperatore primo. Anno Domini M.C. LX.

Scriptus eſt hic ſermo ex vetuſto quodam codice in Anglia, nunc primum Typis excuſus.

SERMO PETRI COMESTORIS de Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ Matris Dei.

COnceptionem beatæ Virginis MARIÆ, corde & voce ſimul totus conſonet & congaudeat orbis, Excellentiæ tantę ſolemnitatis ſuavitas aſpiret & dulcedo cœleſtis. *Gaudeat homo, quoniam & Angelos gaudere credimus. Gaudeat tamen utraque natura, veneretur iſta ſuæ ſalutis initia, de futuro ſæculo jucundetur cœleſtis curia. Lætetur iſta de præſenti reparatione hominum, nec minus illa pro ſuorum reſtitutione civium.* Nova dies & plena gratiâ, nova ſibi requirit gaudia. *Novum eſt quod auditur, ſed revevendum valde quod coliter.* Porro ſicut novitas gaudii non curat aut reſpicit eventum temporis; ſic nec diei ſanctitas formidat, ſed deſpicit linguam detrahentis. Vendicat ſibi tempus Dei Genitricis auctoritas, diem ſanctificat glorioſæ Virginis integritas. De cujus Conceptione, quia altiùs ſentio, aliquid ſublimiùs quàm de noſtra pronuntio. *Hæc namque templum*

plum Dei, civitas regis magni. Ecce ego (inquit Dominus ad Jeruſalem) depinxi muros tuos. In manibus meis pinxi muros tuos, & in conſpectu meo es ſemper. Dominus fortis & potens muros civitatis ſuæ depinxit, fundamenta jecit, locavit mœnia. Nunquid ſapientem ignorantia, aut fortem infirmitas aliqua, aut omnipotentem impedivit impotentia, quo minùs ſtabile & incorruptum locaret fundamentum, cui non corruptibile, ſed divinum ſuperponeret ædificium? Quid autem eſt, glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, ſi noſtræ infirmitati ſimilia dicuntur, quæ magis pudenda quàm glorioſa dici potuerunt? Oportuit ergo eam ab ipſo fundamenti primordio præ cæteris aliquod dignitatis ſortiri privilegium, quæ ſecretorum Dei myſteriorumque cœleſtium in ſe ſuſceptura erat arcanum. Hanc namque domum fundavit Altiſſimus, & ædificavit ſapientia. De qua quia aliter ſentire non audeo, aliud dicere non præſumo. *Scio in MARIAM plus viguiſſe gratiam quàm naturam. Audio ab Angelo plenam gratiâ, non invenio plenam naturâ.* Certè plus eſt gratia quàm natura. Malè conſervat naturam, qui offendit gratiam. Imprudenter defendit naturam, qui impugnat naturæ conditorem. Nunquid infra terminos noſtros coarctanda eſt Dei ſapientia? In omnibus quæſivit requiem Dei Mater & invenit, in Conceptione quærit & non inveniet? Potuit certè quiſquis es, potuit creator naturæ, cui deſervit omnis creatura, *de luto naturæ noſtræ aureamurnam producere, quæ haberet in ſe reconditum manna cœleſtis gratiæ.* Nunquid aurum minus eſt aurum, quia in luto jacuit, aut quia à terra defoſſum, per minutiſſima grana eruitur? idcirco minus habet ſplendoris, aut minori æſtimatur pretio? Sic & in maſſa naturæ noſtræ corruptæ in Adam, divina gratia venam quamdam reſervavit, velut quoddam (ut ita dicam) arminium: illam videlicet Patriarcharum & Prophetarum progeniem, ex qua Dominus noſter humanam dignatus eſt ſine peccati corruptione, naturam aſſumere. Unde beatus Iſidorus poſt alia multa: *Quocirca primidam noſtræ maſſæ dicitur Chriſtus aſſumpſiſſe, non quà carnem peccati,* ſed ſimilitudinem carnis peccati acceperit.

Miſit enim Deus Filium ſuum, ut ait Apoſtolus, in ſimilitudinem carnis peccati. Aſſumpſit enim Verbum carnem, peccati ſimilem; ſed tantùm pœna non in culpa, & ideo non peccatricem. Quam quidem pœnam, ob delendam peccati pœnam, ſola voluntate (ut potuit) nulla neceſſitate (quia non oportuit) coactus in ſua carne ſuſcepit, & per multos labores ſuſtinuit, proponens in ſe humilitatis exemplum, ut nos invitaret ad præmium. Intende quid Doctor ille dixerit, primidam noſtræ maſſæ Chri-

ſtum aſſumpſiſſe, & hoc non figurativè, non obliquè, ſed rectè dici. Primicia non in ſecundo aut in tertio, ſed in primo veraciter extitit: à quo tota maſſa defluit, in quo & per quem corrupta perijt, de quo primo primitia recte ſumpta dicitur. Unde credi poteſt, carnem illam quæ aſſumpta eſt à Verbo, poſt corruptionem totius humanæ naturæ in primo parente, ita tamen illeſam, & ab omni contagione peccati immunem cuſtoditam; ut uſque ad ſuſceptionem ſui à Dei Filio ſemper libera manſerit, & nulli unquam peccato, vel modicum penſum reddiderit. *Non enim decuit, ut caro illa peccato ſe aliquando obnoxiam cognoverit, quæ ſic omni peccato obviam venit, ut procedens in publicum*, legem communem non ſenſerit, ſed ſupplicum reatus maculam, abſque maculæ reatu abſterſerit. *Quomodo enim aliquando corruptioni ſubjacuit, quæ ab initio electionis gratiam ſuſcepit, ut imminentem toti mundo ruinam conſumeret, periclitantique naturæ ſubveniret? Si electa eſt ab initio beata MARIA*, quod indubitanter verum non ambigimus, ſi ipſa (ut quidam fabulantur) ſimiliter corrupta remanſit ad tergendam corruptionem, corruptio electa fuit. Quod Dei ſapientiâ indignum credere poſſumus, ut quod ad lumen gentium prædeſtinavit, tenebris pravitatis ſineret involvi. Nemo enim lucernam accendit, & ponit eam ſub modio: præſertim cum in electione ſemper aliquod dignitatis privilegium fulgeat, & mundatorem ſordium à ſordibus convenit eſſe alienum. *Item ſi ipſa omnem corruptionem abſtulit, quandoquidem & ipſa corrupta fuit, ſe ipſam extergens delevit. Item ſi ipſa toti naturæ ſubvenit*, ut ſibi ipſi ſubvenerit neneſſe eſt confiteri. Nihil verò ſibi ſubvenire dicitur. Ut enim per ſe quodlibet non ſit, alieno extrinſecus ſumpto indiget adminiculo. Alioqui non egeret, ſi ſuum omne ſine labore perciperet. *Abſurdum itaque videtur dicere: carnem Verbi aliquando ſubjacuiſſe peccato, quæ ad hoc ſuſcepta eſt, ut omne deleat peccatum.* Relinquitur ergo, ut quo omnis natura corrupta indiguit, ab omnis naturæ corruptione alienum fuit. Nec enim ſub peccato eſſe decuit, per quod omnis natura liberanda fuit. Ad quod probandum, inſtrumẽti veteris uti poſſumus teſtimonio. Legitur namque quod Melchiſedec, qui Chriſti ac novi ſacerdotij gerebat typum, ab Abraham decimas acceperit: in qua decimatione Levi (à quo Levitæ veteris ſacerdotij originem ducunt) decimatum volunt, ac per hoc vetus ſacrificium, quod in Levi decimas dedit, inferius, novum autem, quod in Melchiſedec, qui in forma Chriſti eſt, decimas accepit, ſuperius ac dignius Teſtamentum. Ubi tamen Chriſtum, qui tunc ſecundùm carnem ſimiliter ut Levi in lumbis Abrahæ fuit, decimatum non dicamus; ne ſimili ratione novum

quoque

quoque ſacerdotium quod in Chriſto eſt, ibidem decimas dediſſe convincamur. Quomodo autem Levi in lumbis patris ſui decimatus ſit, & Chriſtus, qui ſecundùm carnem ibidem fuit, decimatus non fuerit: nulla alia cauſa invenitur, niſi quia caro Levi cum culpa ibi fuit, caro Chriſti nullam funditùs à Patribus maculam contraxerit. Atque ideo quod peccato obnoxium erat, expiatione eguiſſe, quod autem mundum atque à peccato liberum erat, nihil expiationi debuiſſe. Sicque fit, ut caro, quæ à Verbo ſumpta eſt, nunquam obnoxia peccato fuerit: ſed ab initio, ſive in eo à quo deſcendit, ſive in his per quos deſcendit, munda ſit ſervata à peccato, ut aliquando eſſe poſſit hoſtia pro peccato. *Quod ſi ita eſt, fratres, ut Chriſtus ab Adam ſolam naturam, & nullam prorſus culpam ſuſceperit: veriſimile eſt, ut & Mater Chriſti ſolam carnem & nullam penitus maculam à parentibus contraxerit*; præſertim cùm una & eadem caro ſit Matris & Filij, & qualis agnus, talis & Mater agni. Cui nullum bonum defuit ad cumulum totius humanæ perfectionis, nec in ſe aliquod malum habuit ad teſtimonium cujuſlibet vel minimæ corruptionis. *Sic ait Fulgentius. Hoc enim in primis aſtruere fas eſt, quòd anima ipſius & caro quam elegit, & habitaculum ſibi fecit Dei patris ſapientia, ab omni malitia & immunditia puriſſima fuit, affirmante ſcriptura, quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Habes in his verbis nullam penitus in MARIA fuiſſe corruptionem.* Quibus idem auctor ſpiritu Dei edoctus adjecit. Item è contra confidenter aſſerimus, *quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ Dei nuncius aſſerebat ineſſe, dicens: Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum. Habes iterum nihil ſibi deeſſe ad omnem perfectionem.* Qui verò Auguſtinum in auctorem trahunt, & contra beneficium tam ſublimis gratiæ teſtem faciunt, audiant ipſum in libro de natura & gratia. Cum ille Doctor Catholicus *neminem à peccato immunem diceret, nec puerum unius diei, nec aſtra in conſpectu Dei munda proponeret: poſt alia quædam evidenter adjecit. Excepta Sanctâ Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam prorſus (cum de peccato agitur) haberi volo quæſtionem. Inde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ ſit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quòd in oculis hominum concipere & parere meruit ſine peccato, quam conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Hâc ergo Virgine excepta, ſi omnes Sancti & Sanctæ congregari poſſent, & quæreretur ab eis an peccatum haberent, quid reſponderent, niſi quod Joannes ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus? *Illa autem Virgo ſingulari gratiâ præventa eſt, atque repleta, ut ipſum haberet ventris ſui fructum, quem ab initio habet univerſitas Dominum*; ut illud

quod.

quod ex ea naſceretur ex primi hominis propagine, tantummodo generis & non criminis originem duceret. Quomodo ſtare poterit ut ſtatim ab utero Jeremias ſanctificatus ſit, Virgo Dei Genitrix diu in peccato jacuerit? *Ille notus antequam in utero formatus, iſta non ſolùm poſt uterum, ſed poſt multam ætatem (ut ſic dicam) ignorata penitus?* Jeremiæ ait Dominus: Priuſquàm te formarem in utero, novi te. Quod cum ſibi ſpecialiter dictum ſit, aliquid ſibi præ cæteris ſpeciale proponit. Forſitan ut poſt coagulum paterni ſeminis (quod ſuſceptum eſt) à primæ reatu ſolutum ſit originis. Alioqui quid eſt, an dominus noverit ſemen informe? Quia ſecundùm Philoſophos, ſemen emiſſum priuſquàm formam colligit, animæ penitus immune exiſtit. Unde in lege veteri, mulieri læſione aliqua intervenienti abortivum facienti, ſi informe fuerit quod emittitur, par formato damnum non reſtituitur. Quod enim in formam hominis non proceſſit, hominem ſibi imputari non didicit. Sic igitur quod adhuc formam neſcit, vile ſperma & naturæ penitus incognitum ſubſiſtit. Jeremias igitur ante formam hominis formam ſuſcepit divinæ notionis. & quod in ea minus idoneum à natura nondum reſpicitur, à naturæ conditore tanquam ſuum benignè ſuſcipitur. Benignus Dominus qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; ante præveniens gratiâ, quàm donans vitam. Quis novit ſenſum Domini? Audi proinde quid dicat Auguſtinus in libro de prædeſtinatione. Cum univerſa humanæ naturæ maſſa merito ſit damnata, contumeliam debitam cui vult, reddit Dei juſtitia. Honorem indebitum cui vult, donat Dei gratia; non meritorum prærogativa, non fatali neceſſitate, non temeritate fortunæ, ſed clauſa altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

Quis ergo dixerit aliquem Deum hac donaſſe gratia, Matrem vero reliquiſſe in contumelia? Erit Dominus gratus alicui, propriè ingratus Matri, qui Patri & Matri honorem præcipit exhiberi? Noli quiſquis es judicare, ſi non vis errare. Time ſcrutari quod ſuper te eſt, ne opprimaris à gloria. Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Porro inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus. Accedit ad veritatẽ, ut teſtetur à fidelibus, *quòd ſoli Matri plus omni homine detulerit Filius, ampliori eam & perfectioris gratiæ privilegio donaverit Deus: ut totum quod in ea factum ſanctum ſit, totum quod de ea eſt, veneratione dignum ſit. Quam conſervavit natura, præfecit lex Moſaica, præelegit gratia,* Natura in carne, lex in opere, gratia in utroq; Natura pro eo quod ſuum eſt, illibatam Virginem generando, lex in ea quod datum eſt, reverenter ab alijs diſtinguendo: gratia,

ex

ex eo quod Dei est, Virginitatem sine semine fœcundando. Natura, non verbis, sed rebus loquendo, dum in ea Dominus intonaret dicens ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem. Lex, dum eam ab alijs distinguendo clamaret: Mulier quæ susceptο semine peperit, immunda erit septem diebus. Gratia, dum eam Angelus salutando inferret; Ave MARIA gratiâ plena. Natura huic detulit, dum terra sine germine pareret in principio: Lex, dũ rubus arderet sine incendio; Gratia, dum spiritu cõciperet & pareret Virgo. *Hæc est ab initio dierũ prædestinata, à Patriarchis & Prophetis prænunciata, deniq; ab Angelo gratanter salutata. Hanc præ cæteris elegit Dei Filius, & sanctificavit Tabernaculum suum altissimus. Tabernaculum planè, unde: In sole posuit Tabernaculum suum,* & ipse tanquam sponsus procedens de Thalamo suo Sanctificavit ergo Tabernaculum suum; *Sanctificavit à fundamento, operam dans ædificio.* Alioqui si corruptum esset fundamentum, omne superpositum nutaret ædificium. Attende quisquis es, qui malitiæ tuæ fistulis fundamento huic insufflas maculam corruptionis, *qui Domum subvertere nitoris septem subnixam columnis:* tu qui cum antiquo serpente sibilas, cui color optimus mutatus est, cujus argentum versum est in scoriam. Attende & obaudi, quod testimonium huic fundamento dederit Prophetarum eximius. *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* Intellige quod ait: *Ipse fundavit eam, ipse non alius: Non vetus Adam, sed novus, novum jaciens fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium.* Alioqui si veteris ruinæ manserε vestigia, si veteri superædificatum est; vetus Adam, & non ipse fundavit eam altissimus. Quod enim fundatur, non ab alio sed à seipso materialiter inchoat. Certè si recens, si non esset insolitum, Propheta tantæ novitatis miraculum obstupescens non exclamaret dicens: Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Propheta tantò videbatur insolubile, quantò nostri syncopam facili pertransit examine. Stupet & veneratur David cœlestis beneficij miracula, quæ persequi non timet manus oleribus plena. Judicio cujus non cœleste beneficium introivit, sed Adæ maleficium. Nec adveniente gratia facta sunt omnia nova, sed resederunt vetera. Sed longè aliter est: *Vetus namque homo transijt, novus homo successit, & ex nova carne novam carnem induit.* Quid inducis vetera? Audi Scripturam: Recedant vetera de ore vestro; nova ergo cogita, novitatem venerare: time, sed tene. Time propriam infirmitatem, sed fidem tene communem, noli discutere, sed disce credere. Fides non habet meritum, quæ humanæ rationis susc ipit argumentum. Maledictus homo, qui partem suam deteriorem

riorem facit, qui ſecreta quæ non percipit, venerari contemnit, forſitan ſcriptum non recolens: Quod reſiduum eſt, igni comburatur. Extra enim ſolitum aliarum curſum in Matre ſua operatus eſt Dei Filius. Quod enim in ea factum eſt, non de homine, ſed de Spiritu Sancto eſt. *Convertantur ergo inimici ejus retrorſum, & fugiant qui oderunt eam à facie ejus. Vt quid tantopere ſe beatæ Virginis opponunt Conceptioni?* Ut enim de multis unoſa tem utamur exemplo, quid illorum toti mundo utilius? quid dignius? aut Petrum crucifigi, aut MARIAM concipi? Si non eſſet crucifixus Petrus, tamen nihilominus ſalutem obtinuiſſet mundus. *Sed ſi Virgo beata Concepta non eſſet: nec Petrus gloriam, nec mundus vitam meruiſſet.* Et tamen recolitur (ut dignum eſt) Apoſtoli paſſio; & recoli non debet Dei Genitricis Conceptio? Nec in paſſione Petri excolitur crucifigentis iniquitas, nec in Conceptione Matris Dei excolitur carnalis amoris cupiditas. Non gaudet mundus, quia Nero Petrum cruci affixerit, nec gaudere debet de parentum carnali commercio: *ſed quòd talis Concepta fuerit. Gaudet de creatoris beneficio ad gloriam in Apoſtoli paſſione, gaudet de ſuſcepto ad vitam remedio ex Virginis Conceptione. Porro eſt conceptio concipientis, & eſt conceptio conceptæ prolis.* Quorum alterum activè, alterum paſſivè intelligitur. Ut expreſſiùs dicam, eſt conceptus; & eſt conceptio. *Eſt Conceptus Matris, & eſt conceptio prolis. In Conceptu Matris, carnis ſignatur luxuria, in Conceptione prolis, ſuſcepta eſt hominis natura. In altero carnis jacet titillatio, in altero ſpes de homine futuro.* Verbi gratia. Aliud eſt, quod homo ſemen jacit, aliud quod terra jactum ſuſcipit. Una & eadem eſt operatio qua ſemen jacitur, & qua jactum concipitur. Verum in uno & eodem diverſi ſunt reſpectus, quia in altero ſervilis conditionis monſtratur injuria: in altero fructus ubertatis manet, & gratia. Pari modo, aliud eſt mors Petri, aliud ipſius gloria. Et tamen ex conſtantia paſſionis conſecutus eſt Apoſtolus gloriam retributionis. Nec gaudet Eccleſia de tyrannica inſecutione, gaudet verò de certa & exhibita glorificatione. Gaudet de conſtantia martyrum ad exemplum, gaudet de perventione eorum ad præmium. *Igitur non gaudet mundus quòd Anna virum cognoverit; ſed gaudet & gratias agit, quòd ſalutis ſuæ cauſam ſuſceperit.* Et quia compellor dicere, non humores Joachim veneratur, *ſed quòd MARIA concepta ſit gratulatur, cujus Conceptionis ſacramentum in ſpiritu prævidens Iſaias ait: Egredietur virga de radice Ieſſe, & cætera.* De radice Jeſſe, ſcilicet vitiata & terræ infoſſa, *egreſſa eſt Virga gracilis, & recta tortitudinis ignara. Egreſſum eſt ſcilicet corpus intemeratæ Virginis, neſcium penitus noſtræ corruptionis.* Et ſignanter ait, floré non de ſummitate ejus procedere,

dere, sed de radice ipsius ascēdere: *ut in B. Virginis Cōceptione nullius intelligas originem culpæ. Sed sicut singulariter Deum concepit, sic singulariter concipi, à Deo sibi datum fuit.* Audi de eadem virga illud familiare Spiritus Sancti organum David dicentem. Virga directionis virga regni tui. Et intellige significantem, quia nihil Virgine rectius, nihil subtilius dici potest. Et quid vitij adhuc includas? Audi ipsum omne vitium tollentem & dicentem: Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion; virgam ait virtutis, non infirmitatis. Et Propheta: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decoram, & alteram funiculum: Virga pulchritudinis, uterus Virginis,* pulchra ut luna, inquit; *Virga funiculi, virginitas uteri, determinans utrumque regnum,* Dei videlicet & diaboli. Cujus forsitan neuter parens concumbendo deliquit. Quia, ut ait beatus Augustinus, Concubitus conjugalis causâ generandæ prolis, peccatum non habet. Quod si ita est, nec ipsa à non peccantibus culpam contraxit.

Sed sicut bonum conjugij excusat crimen peccati, sic & singularis sanctitas Virginis obliterat maculam concupiscentiæ carnalis. Dies igitur (ut video) hujus Sanctæ Conceptionis, omnem evasit materiam contradictionis. *Erraverunt namque ab utero, ignorantes majestatem hujus Conceptionis; & ideo locuti sunt falsa, qui contra privilegium Virginis, communis trahunt legem conditionis.* Quod si in ipsam ex lege communi adhuc procesferis: nulla ratio invenitur ad subvertendum Conceptionis diem, quæ non progrediatur ad interrumpendum Nativitatis ordinem. *Sicut enim concipitur homo secundùm carnem, sic ex carne nascitur ad mortem. Ibi miseria inchoatur, hîc monstratur; ibi peccati suscipit causam, hîc peccatum & pœnam,* juxta illud: Homo nascitur ad laborem. Et illud; *Nec infans unius diei sine peccato est.* Qua igitur ratione Conceptionis solemnitas, similiter, ut video, impeditur jam ab Ecclesia susceptа Nativitas. Quod enim intervenit sacramentum, ut si Conceptio sit in culpa, Nativitas sit libera? Si enim in culpa concepta est, in culpa quoque nata est. Aut si donata est ei culpa in utero; non dies Nativitatis ad solemnitatem, sed dies restitutæ libertatis merito eligenda fuit ad laùdem. Cæterum quia ultra procedere nescis; scio quia legem matris proprię, in Dei Matrem & Virginem promulgas. Dices ergo: *In iniquitatibus concepit me mater mea, nullus excipitur, Ergo in iniquitatibus concepta est V. MARIA.* Hoc falsò concluditur. Verū est quòd in iniquitate concepit te mater tua, & ipsa concepta est iniqua. Concepta est forsitan in utriusque parentis delicto Virgo Maria, sed ipsa sanctissima. Sequi potes, & dicere: In labore peperit me mater mea: Ergo in labore peperit Virgo MARIA.

Hoc totum dicere, ſed credi non poteris, in diſſimilibus ſimiliter non potes arguere. Si noſti modum partûs, forſitan & Conceptionis non ignoras; ſed credo quod ſimul ſtupet natura, quæ ſit forma partus, quæve Conceptionis gratia. *Miracula ſunt hæc & ſupra naturam, quæ conditor naturæ operatus eſt.* Nunquid lutum dicet figulo, quare ſic feciſti? Præterea ſi adhuc crimen concumbentium ad tam generoſæ Conceptionis calumniam aſſumitur; ſimili, ut puto, ratione ictu ferientium, Martyrum victoria quamlibet celebris impeditur. Si enim (ut dictum eſt) carnifex non affuiſſet, Petrum martyrem non feciſſet. Quid autem mali Petrus promeruit, ſi dextera ferientis occubuit? Nunquid idcirco martyrium viluit, ſi cæſor aut cædes ipſa ſancta non fuit? Cædes homicidium eſt, cædens homicida; Nunquid paſſionem martyris prophanat actio lictoris? abſit. Sed ut verum fatear: nimis linceus extitit, qui ad reſiſtendum Virgini, in ipſam etiam Annæ matricem oculos fixit: qui ad minuendam (quantum in ipſo eſt) Matris Dei gloriam, viſcera materna penetravit. Hoc pacto multi claudicavêre à ſemitis Dei, & abiere retrorſum, & converſi ſunt in arcum pravum, qui ut viderentur ſcioli, facti ſunt maligni. Quorum nugis & frivolis relictis ad propoſitum revertamur. Dicat ergo, dicat Eccleſia: Salve feſta dies, ſalve dies venerandæ Conceptionis, in qua initiatum eſt ſacramentum noſtræ redemptionis; per quam extincta eſt framæa verſatilis, & aperta janua noſtræ ſalutis. Gaudeat oro omnis terra in Conceptione tantæ Virginis, in cujus medio ſalutem operari dignatus eſt Deus. Hæc namque eſt terra cui benedixit Dominus, ſicut Pſalmiſta ait: *Deus enim noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* De hac terra fructus ille ſublimis erupit, qui cibat Angelos in cœlo, & dat vitam mundo. Hæc eſt ab initio dierum conſignata, in ultimis ad ſalutem gentium exhibita, per quam everteretur captivitas Jacob, & omnis Iſraël ſalvus fieret. Hæc eſt terra incorrupta, in primo homine formata & ſanctificata, in Noëh ad poſteritatem ſervata: denique ab Anna cœleſti beneficio ſuſcepta, ſicut ait Beatus Ambroſius: *Sanctiſſimum Dei Genetricis corpus ante ſæcula ad generandum Dei Filium prædeſtinatum, propè finem mundi naſciturum, jam tunc in Patribus ſub quadam imagine benedicebatur; ex cujus videlicet medio ſalus mundi oriretur, qui olim in ſe credentium vincula ſolveret, & æternam libertatem eis concederet. Et adiecit: ſupernæ benedictioni præparabatur terra in homine procreato, ex qua naſcitura erat Virgo glorioſiſſima, quæ cœleſti benedictione ſingulari replenda erat privilegio.* Et poſt pauca: *Noeh cunctis animantibus ſibi in eſum cum Dei benedictione conceſſis, filiis ſuis Sem & Iaphet paterno affectu bene-*

benedixit. En Noeh á Domino benedictus, & in filios ejus paterna benedictio dirigitur, benedictio dicitur, & benedictio repetitur. Quid ſibi præludunt hæc, benedictio videlicet & benedictio? Nunquid non tibi benedicebatur humanitatis caro, unde naſcereris glorioſiſſima Virgo? Tibi enim in progenitoribus tuis benedicenda erat caro humana, quæ ex caſtiſſimis viſceribus illum eras Virgo paritura, qui eſt benedictus ſuper omnia. Exabundanti itaque inferre eſt, Conceptionem hanc totius dignam venerationis officio, quæ & ſalutem operatur mundo, & tantæ benedictionis fungitur miniſterio. Quid enim aliud eſt ſanctam & bonam concipi, quàm ſanctum & bonum eſſe quod concipitur? Quod ſi bonum & ſanctum eſt quod fit: gaudendum & ſolemnizandum jure eſt quia fit. Verum nihil tam benedictum eſt, quod non poſſit depravari. Sedent enim quidam in inſidijs ut interficiant, ſed gladius eorum intret in corde ipſorum. Nos autem ſufficienti fulcimur teſtimonio, quòd non ſolum in Conceptione ſua, verùm etiam ante omnem conceptionem benedicta ſit glorioſiſſima Virgo, de qua nihil niſi virgineum excogitari poteſt. Quod autem aliter præſumitur, ex corruptione mentis progreditur, & ex Cogitantis vitio proficiſcitur. Itaque devictis hoſtibus & contritis, pace reddita, in laudem tantæ Virginis libet exclamare: Salve Virgo parens, Salve Virgo glorioſa, Salve Virgo ſpecioſa, Salve Mater Virgo, Salve Virgo Mater. Quocumque modo prædices aut convertas, utrumque eſt mirabile, & à ſæculis inauditum. Sed ſi ſenſum non avertas, utrumque eſt venerabile, & ab omni ſæculo prædicatum, utrumque ſtupendum, utrumque ſalutiferum. Quid amplius admirer ignoro, aut fœcunditatem in Virgine, aut virginitatem in Matre? Utrumque tamen colo & adoro, utrumque mihi profuit, & ſaluti meæ conſuluit. In his data eſt ſalus & reddita: Virgo accepit, & Mater contulit: Accepit ab Angelo, & contulit mundo. Sic Virgine Matre mediante, mundum ſibi reconciliavit Deus. Denique ſi à communi libet ſermonem facere: quid miraris invide hoc contigiſſe in hac Conceptione Sanctæ Mariæ; ut ducas pro impoſſibili quod ſemel contigit, ſed vel ſæpius videas fieri: ut ſemen videlicet à tanta Patrum traductum ſerie depoſita ingenita auſteritate, proſequente & purgante divino nutu, mundum ſe colligeret in tam ſancta & glorioſa Virgine; cum contrario naturæ curſu defluens humor æquoreus, diverſo terrarum tractu, varioque traconum meatu ex terrarum habili concavitate in fontem erumpens, vel in rivum ſe recipiens, ex accidenti, omni ſe induat dulcori? Deſine ergo quiſquis es, ſecreta rimari, qui necdum ſecretis

intereſſe meruiſti. Diſce tacere, qui necdum loqui didiciſti; imputa fatis, quicquid tibi fatatum non eſt: ne fortè Helizeum irridens aſcendentem, beſtiæ pręda fias, ne fortè in montem ſupra vires nitens, colliſo redeas cerebro. Non enim ex eodem monte lapis abſciſſus ſine manibus, diu ex adverſo nitentis poterit injuriam ſuſtinere. Ne ſi in David lapides jacias, non jubente ſed permittente forti, ſaltem à filio Sarviæ perpetuò pereas. Sed hæc hactenus. Nunc igitur Fratres depulsâ omni injuriarum jaculatione, ſupremo id ipſum reſervantes examini: quod præſenti vacat negocio; Matrem rogemus miſericordiæ, quatenus ipſius prece continua, ab hac lachrymarum valle, lachrimabilique miſeria, ad regna nos transferat ſine fine manſura. Amen.

FINIS.

Incipit

Incipit Tractatus de Immaculatæ Virginis Conceptione, collectus per Venerabilem Sacræ Theologiæ Lectorem F. Ioannẽ de Meppis, cognomẽto Schyphower, Ordinis F. Eremitarum Divi Auguſtini, Anno Domini M. cccc. xcii. quando erat Prior in Conventu Tanglimmenſi.

EJUSDEM LECTORIS CARMEN.

Accipe jucundo præſul digniſſime vultu,
Quod tanto ardenti dirigo corde Viro.
Hoc Opus exili tentatum robore mentis,
Perfectum crevit finis ad uſque diem.
Virginis excelſæ forti certamine laudes,
Et ſtricto lucem protegit enſe piam.
Sed cui me ſtudij cogit dilectio fervens
Tradere primitias: ô Reverende mei,
Hoc tua non magnum felix Dominatio munus
Clementi haud ſpernens corrigat ore, manu:
Virginis exornans librum præconia ſanctæ
Sed tua firmabit dextera ſancte Pater.

Reverendo in Christo Patri & Domino D. Benedicto de VValsten, Regni Bohemiæ Baroni, Sacræq; Caminensis Ecclesiæ Episcopo dignissimo, necnon Conservatori Iurium & Privilegiorum Religiosorum Patrum & Fratrum Ordinis Eremitarum D. Augustini per Provinciam Saxoniæ ubilibet constituti, ex commissione Smi in Christo P. ac Domini D. Ioannis XXII. præcellentissimi; F. Ioannes de Meppis dictus Schyphovver Sacræ Theologiæ Lector, ac Prior Conventûs Tanglimmensis Ordinis prælibati, de Conventu Osnaburgensi; gratiam IESV Christi in præsenti, & in futuro ejusdem gloriam consequi sempiternam.

CUm inter me tacitus cogitarem, quid vestræ Generositati, erga quam tanta dilectione afficior, muneris offerre valerem; circumscripto vestro ingenio & considerata vestra industria, nil à me posse vobis transmitti decentius, nil destinari utilius quàm tractatum de Conceptione Immaculatæ Virginis. Nam, ut inquit Lampas Doctorum Dñus Ægidius Romanus, Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus nostri Ordinis, in Prologo primi posteriorum; Nobiles quadam docet moveri solertia ad capessendas non solùm Physicas,

Phyſicas, ſed etiam Theologicas diſciplinas: & maximè quando ſimul cum Nobilitate generis concurrit mentis induſtria,& perſpicacitas intellectûs. Nam ſuper communem modum hominum Deus Altiſſimus præ multis alijs perſonam Veſtram naturalibus præornavit. Cauſa movens me ad compilationem prædicti tractatûs,Generose Domine,eſt hæc. Nam multotiens audivi non ſolùm in Italia, ſed etiam in Alemannia; quoſdam Religioſos neſcio quâ arte inſtructos,qui pertinaciter affirmare non verentur glorioſiſſimam & intemeratam Virginem MARIAM, ab æterno JESU CHRISTI Matrem electam,à macula peccati originalis fuiſſe deturpatam, atque in ea conceptâ. Hujus rei cauſam aliam reperire nequeo,præter illam quam aſſignat egregius Doctor Dominicus Bollanus in ſuo Tractatu de Conceptu Virginali; niſi quod aſſidua eorum de hac re cogitatio in peſſimum uſum verſa eſt. Impoſſibile potiuſque eſſet opinionem hanc à veritate alienam ex cordibus illorum evellere,quàm Judæorum perfidiam de illorum cordibus eradicare. Ad laudem Virginis glorioſæ tractatum hunc compilabo;in quo ipſam omni laude digniſſimam ſine originali peccato conceptam probabo rationibus & auctoritatibus: prælucidos Doctores Ordinis noſtri inſequendo, qui egregié contra opinionem Prædicatorum ſcripſerunt; & præ cæteris Thomas de Argentina,in III. Sent.& Hermannus de Schildis, Illuminatus Doctor, in quodam tractatu quem compoſuit contra detractores Virginis intemeratæ. Quapropter præſentem tractatum R. V. pro munuſculo quamquam exili largior. Et ſi quid falſitatis in eo eſt,corrigere velitis efflagito. Valete, Caminenſis Eccleſiæ dignitas, atque Regiæ Clementiæ Decus, Conſervator noſter glorioſiſſime,

Inci-

Incipit Prologus in libellum de Conceptu Virginali, per modum cujuſdam viſionis

Dum ſilens medium tacitè jam cuncta tenerent,
Me ſopor oppreſſit validus atque frequens.
Quo vidi mira referanda per omnia ſcriptis
Talia quæ refero ſomnia poſſe meo.
Virgo nitens tota Phœbo ſpecioſior, Aſtris
Splendidior, Venere clarior orta fuit.
Phœbo fulta micat, Lunam de ſub pede calcat,
Vertice ſtellifera: Virgo decora nimis.
Quam canes oblatrant, infeſtant Virginis aulam;
Cerberus huic roſeæ damna tulit Dominæ.
Heu clamans tumidè, veſtes diſcerpere venit,
Imo magis carni vulnera dira dedit.
Sputa vomit ſeminis, ferus hic nec parcere curat,
In faciem dentes mittere turpiloquos.
Lædor in hoc viſo compaſſus tam generoſæ;
Fœmina nobilis hæc, nec minùs iſta tacet.
Miror prudentem, tam pulchram, tam generoſam
Morderi varijs morſibus in facie.
Nec mora quid tu Virgo taces ſtellata, ferebam;
Cur canis hic laceret ſic faciem roſeam?
Cui Polus Empyreus ſervit, cui Regna Polorum
Subduntur, vili cur Cane pulchra ſubes?
Si placet; hunc pellam, baculus te fortè juvabit
Hic meus exiguus: Virgo decora nimis.
Aſt ea grata: canit fer opem, tibi præmia reddam;
Non gratis facies pralia crede mihi.
Ordior hinc laudes de Virgine tam veneranda:
Quæ qualis fuerit, iam recitando feram.

Utrum

VTrum caro quâ formatum corpus Christi creditur fideliter, fuerit aliquando sordibus originalis criminis deturpata totaliter? Pro cujus quæstionis declaratione sic ptocedam. 1. præmittam aliqua notabilia. 2. juxta opinionem communem videbitur de quæsito principali. 3. dicam breviter quid mihi videbitur rationabiliter eligendum

Quantùm igitur ad primum, ad evacuandã plenariè materiam de peccato originali, quinque notabilia sunt præmittenda. 1. erit de peccati originalis quidditate. 2. de ipsius subjecto. 3. de ipsius causa effectiva. 4. de ipsius traductione sive contractu. 5. erit de ipsius relaxatione sive dimissione purgativa.

1. Est notandum quòd de quidditate peccati originalis variæ fuerunt Doctorum opiniones, quas universaliter recitare non intendo: nisi ipsarum contradictoria pro meis conclusionibus assumendo, ne sine necessitate materia prolixiùs protrahatur. Sit ergo hæc prima conclusio.

Peccatum originale non est aliqua entitas formaliter positiva.

Istam conclusionem pono contra opinionem multorum magnorum Doctorum, qui dicunt quòd peccatum originale est qualitas morbida existens in viribus sensitivis: quam positionem fundamentaliter sequitur Doctor noster Thomas de Argentina, & F. Petrus Aureoli, ut apparet in Tractatu suo quem fecit de Conceptu Virginali; ubi investigans quid sit peccatum originale, dicit quòd est rebellio appetitûs sentitvi habitudinalis, universaliter ad rationem rectam privativa visionis & obedientiæ ejusdem appetitûs à Deo primis parentibus collata, offensibilis, dispicibilis & odibilis divinæ Majestati. Ex qua definitione sequitur manifestè, quòd peccatum originale est formaliter aliqua entitas positiva. Contra istam opinionem arguitur primò sic.

Cujuslibet positivi, quod non est Deus, est aliqua causa effectiva; vel igitur est ipse Deus, vel voluntas habens illud peccatum, vel primus parens, vel parentes proximi. Non ipse Deus, quia Deus nullatenùs est peccati immediata causa effectiva: nec ipsa voluntas, cùm nondum habeat rationis usum; nec etiam primus parens, quia ipso non existente non minùs haberetur talis peccati originalis deformitas in parvulis: nec ipsi parentes proximi, per eandem rationem quæ dicitur de primo parente. Cum igitur ipsius non inveniatur effectiva causa, & non est primum Ens simpliciter, sequitur quòd non est aliqua entitas formaliter positiva. Sed forsan aliquis hic cavillaret dicendo, quòd licet talis

qualitas non ſit à Deo ſub ratione deformitatis, eſt tamen ab eo ſub ratione qua eſt quædam habitualis qualitas : ſicut nunc dicimus de peccato actuali, utpote homicidij, fornicationis, & ſic de ſimilibus, quòd actus ſunt à Deo & non deformitates.

Contra. Quia talem habitum nec totaliter nec partialiter producit aliqua creatura, igitur ſi producitur à Deo, ſequitur quod totaliter producitur ab eo : & per conſequens cùm creaturæ imputetur deformitas, quia actum ſuum producit aliter quàm debet producere, ſed non producit certum actum vel habitum ſignatum ; ſequitur quod ſibi non eſt imputandus talis actus, vel habitus deformitatis: & per conſequens ſi à ſolo Deo talis actus produceretur, quod ipſe eſſet habitûs & deformitatis cauſa, quod eſt falſum. Quare & propoſitum.

Præterea ſi peccatum originale eſſet quædam qualitas, non eſt ſine ſubjecto, quia ſic per ipſam nihil diceretur peccator, ſequitur quod eſt in aliquo ſubjecto : vel igitur in appetitu rationabili vel in appetitu ſenſitivo. Si in appetitu rationabili, ſequitur quod non eſt rebellio exiſtens in viribus ſenſitivis, quod ipſimet negant. Si verò dicatur quod eſt in appetitu ſenſitivo ; contra. Anima parvuli à carne ſeparata ſine ſuſceptione Sacramenti Baptiſmi deſcendit ad inferna: vel igitur propter actuale peccatum, & hoc non, quia nullum commiſit, ideo oportet quod propter originale; & per conſequens in ipſa eſt peccatum originale & non in carne: & per conſequens non eſt aliqua qualitas exiſtens in viribus ſenſitivis. Confirmatur iſta ratio. Omnis qualitas exiſtens in viribus ſenſitivis eſt corporalis ; ſed nullum peccatum originale eſt qualitas corporalis, ergo propoſitum. Minor prob. quia ſi eſſet aliqua qualitas corporalis, eſſet diviſibilis ad diviſionem ſui ſubjecti : & per conſequens ſi talis qualitas eſſet extenſa, ſequitur, quod ſi Deus divideret iſtud ſubjectum in duas partes, in qualibet iſtarum partium remaneret peccatum originale, quia quælibet pars iſtius qualitatis eſſet peccatum originale, cùm quælibet ſit qualitas morbida & repugnans rationi ; ſed hoc videtur abſurdum, igitur non eſt talis qualitas plantata in viribus ſenſitivis. Præterea illud quod eſt indifferens ſtatui culpæ & gratiæ, non eſt formaliter peccatum mortale, & per conſequens nec originale, cum omne originale ſit mortale. Conſequentia patet & Major ſimiliter ; ſed Minor declaratur. Nam æquè poſt deletionem peccati originalis quis ſentit ſe inclinatum ad inobedientiam rationis, ſicut ante, ut apparet per Apoſt. ad Rom. 5. Video (inquit) aliam legem in membris meis repugnantem

tem legi mentis meæ. Et ad Gal. 5. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Sed conſtat quod Apoſtolus tum erat in gratia & non in originali peccato; igitur non videtur quod originale peccatum ſit talis qualitas. Ex qua concluſione infero quinque propoſitiones correlariales: quarum prima eſt hæc. Peccatum originale non eſt actûs mali perpetratio ſubjectiva. 2. propter peccatum originale non eſt habitus vitioſus 3. propter peccatum originale non eſt qualitas morbida in carnis ſenſibus complantata. 4. Peccatum originale non eſt concupiſcentia in actu primario vel ſecundario. 5. Prop. Peccatũ originale non eſt aliqua macula poſitiva. Iſtæ propoſitiones apparent immediatæ; quia ex ipſarum oppoſitis ſequitur formaliter, peccatũ originale fore aliquid poſitivum, quod eſt concluſionis oppoſitum: & per conſequens à concluſione ad quodlibet prædictorum eſt bona conſequentia. Quare &c. Secunda concluſio eſt hæc.

Peccatum originale non eſt formaliter obligatio ad aliquod temporale ſupplicium vel æternum.

Iſtam concluſionem pono contra opinionem multorum Doctorum de ordine Prædicatorum & Minorum, & præſertim contra Fratrem Franciſcum de Mayronis, qui ponens definitionem peccati originalis, in tractatu quem facit de Conceptu Virginali, dicit ſic: Peccatum originale eſt obligatio ad pœnam damni, proveniens ex peccato mortali primi parentis. Quæ concluſio ſic probatur: & contra hoc quod in definitione ſua ſupponitur, quod peccatum originale ſit obligatio ad aliquam pœnam æternam. Nullum repugnans gratiæ eſt formaliter obligatio ad pœnam aliquam æternam, vel temporalem, ſed quodlibet peccatum originale formaliter repugnat gratiæ, ergo propoſitum. Conſequentia & Minor patent &, Major prob. Nullum reordinativum culpæ eſt repugnans gratiæ, ſed quælibet obligatio ad pœnam æternam eſt reordinativum culpæ, ergo nulla talis obligatio eſt repugnans gratiæ, & per conſequens, nullum repugnans gratiæ eſt obligatio formaliter ad aliquam pœnam æternam vel temporalem. Conſequentia iſta ultima patet per converſionem ſimplicem univerſalis negativæ, & Major principaliter ſumpta eſt manifeſta; ſed minor probatur. Quoniam illud reordinat culpam quod imponitur culpæ tanquam pœna, nunc autem obligatio ad pœdam æternam eſt impoſita culpæ tanquam pœna, ergo oppoſitum. Minor prob. Nam ex hoc opponitur obligatio ad pœnam per tranſgreſſionem, igitur non videtur quod ipſa tranſgreſſio ſit formaliter obligatio;

ſed fortè præveniens obligationem ad pœnam. Quare propoſitum. Præterea deleta culpa manens quandoque obligatio ad aliquam pœnam igitur non videtur quòd ipſa culpa ſit formaliter obligatio. Conſeq. patet, & Antec. probatur, quoniam in Purgatorio exiſtentes non habent pœnam criminalem, & tamen in eis eſt obligatio ad pœnam quam ſuſtinent. Et ſimiliter apparet in proponentibus ſatisfacere cõdignè per pœnitentiam de peccato mortali: quibus deletur culpa remanente certa obligatione ad aliquam pœnam pro culpa. Nec valet ſi dicatur: quòd licèt peccatum mortale non ſit obligatio ad pœnam temporalem, eſt tamen ad pœnam æternam, quæ obligatio deletur deletâ culpâ. Contra: ſicut peccatum veniale eſt ad obligationem pœnæ temporalis, ita peccatum mortale ad obligationem pœnæ æternalis; ſed conſtat quòd peccatum veniale non eſt ipſa obligatio ad pœnam temporalem, igitur nec peccatum mortale erit obligatio ad pœnam æternam. Minor patet, quia remiſſa culpa veniali remanet quandoque obligatio ad pœnam tẽporalem. Eſto igitur quòd deleta culpa mortali deleatur obligatio ad pœ-nam æternam, non tamen ſequitur propter hoc quod ipſum peccatũ mortale ſit obligatio ad pœnam temporalem. Sicut etiam deſtructo fundamento alicujus relationis ſequitur ipſam relationem non eſſe: non tamen oportet ex hoc neceſſariò inferre quòd fundamentum ſit relatio; quare propoſitum.

Præterea nihil formaliter includens rationem juſtitiæ eſt formaliter peccatum mortale, ſive ſit actuale, ſive ſit originale: ſed obligatio ad pœnam æternam propter tranſgreſſionem eſt formaliter includens rationem juſtitiæ, ergo propoſitum. Conſeq. patet, & Major ex hoc. Quoniam culpa ut ſic formaliter opponitur juſtitiæ, quare propoſitio illa vera; & Minor apparet, quoniam omne debitum eſt conditio juſtitiæ, ſed obligatio pœnæ eſt hujuſmodi, ergo propoſitum. Tertia concluſio eſt hæc.

Peccatum originale eſt conditio formaliter privativa.

Iſta concluſio ſic deducitur. Omnis defectus vel eſt poſitivus, vel negativus, vel privativus; ſed peccatum originale eſt quidam defectus, vel igitur eſt poſitivus vel negativus, vel privativus. Sed non eſt poſitivus, ut patet per primam concluſionem: nec negativus tantùm, quia ſic diceret non eſſe rei ſimpliciter; igitur eſt privativus. Confirmatur. Nam omnis conditio criminis ab aliqua conditione formaliter poſitiva in eo requiſita, eſt conditio formaliter privativa, ut patet de cæcitate, tenebris, ſilentio, & ſimilibus; ſed peccatum originale eſt hujuſmodi, ergo propoſitum. Prob. Minor: quoniam per peccatum originale aufertur

debita

debita obedientia inferiorum virium ad ſuperiores, & ſuperiorum virium ad Deum: ſed conſtat quòd ipſa eſt quædam poſitiva conditio in homine requiſita reſpectu Dei, quare propoſitum. Quarta cõcluſioeſt hæc.

Peccatum originale eſt carentia juſtitiæ originalis debitæ, & in ipſo Parente acceptæ, ex ipſius crimine deperditæ: cui correſpondet obligatio ad pœnam damni, dumtaxat ex præmiſſa criminis tranſgreſſione proveniens.

Iſta propoſitio continet quid nominis peccati originalis; quæ patet per Anſelmum in L. de Conceptu Virginali, cap. 25. ubi ſic dicit. Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis parvulis, niſii pſam factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ denudationẽ, per quam omnes ſunt filij iræ. Ex qua apparet propoſitum. Unde pro intellectu clariori ipſius definitionis eſt advertendum, quòd in ipſa definitione ponitur carentia pro genere; & carentia dicit negationem cum debito habendi illud quod negat. Et per hoc apparet, quòd ſi quis eſſet in puris naturalibus productus, licèt non haberet originalem juſtitiam, non tamen diceretur ipsâ carere, quia ad ipſam non habuit debitum ſicut nos habemus: quia nobis eſt debita pro eo quòd pro nobis extitit à primo parente accepta. Et additur in definitione, juſtitiæ originalis debitæ, & additur ratio, quia in primo parente accepta; ſed quare eam non contrahimus aſſignatur ratio, quia dicitur, ex ipſius crimine deperditæ, & conſequenter ponitur alia differentia cum dicitur, cui correſpondet pœna damni duntaxat ex præmiſſa criminis tranſgreſſione proveniens. Hoc autem dicitur ad differentiam peccatorum actualium, mortalis & venialis. Conſtat quòd mortali non ſolùm correſpondet pœna damni, ſed etiam pœna ſenſûs. Veniali propriè non correſpondet pœna damni, quæ eſt perpetua viſionis Dei carentia, ſed potiùs aliqua pœna temporalis. Ex quo apparet, quòd in primis parentibus propriè non fuit peccatum originale, cùm ipſum ſit potiùs ex ipſorum tranſgreſſione proveniens, ut patet ex verbis Venerab. Anſelmi ſuperiùs allegatis. Ex quibus ultimis apparet quid nomine peccati originalis intelligitur. Sed forſan dubitatur hic quomodo in parvulis per hoc eſt culpa, cùm non videatur niſi quædam pœna. Hîc dico, quòd quia juſtitiam originalem accepit quilibet de poſteritate Adæ in ipſo Adam, quam licèt ſuo actu non amiſit, ſed actu primi parentis, remanet tamen debitor. Et ideo quando naſcitur, habet debitum habendi originalem juſtitiam: quam quia pro tunc non habet, verè dicitur peccator. Sicut apparet in peccato actuali, ubi tranſit actus,

ſit actus, remanet privatio à rectitudine juſtititiæ, ratione cujus formaliter dicitur peccator; licet differenter ſit de peccato originali & actuali. Pro quo eſt advertendum, quòd juſtitia dupliciter poteſt eſſe debita: uno modo, quia in ſe accepta & ratione accipientis admiſſa. Secundo modo, quia accepta in alio & ratione alterius amiſſa. Primo modo eſt peccatum actuale in injuſtitia ſive carentia debitæ juſtitiæ. Sicut ſi quis pro omnibus nobis acciperet denarium, quem ſi perderet, eſſemus omnes illo denario privati, & ex hoc quilibet noſtrûm teneretur ad reſtitutionem. Et ſic quodammodo eſt in propoſito.

Quantùm ad ſecundam partem, videlicet in quo ſubjecto ſit peccatum originale, eſt advertendum. Quidam enim dicunt quod ſit in viribus ſenſitivis, eò quod ponant ipſum qualitatem quamdam morbidam: ſed ut priùs apparuit, non eſt verum. Quidam dicunt quòd eſt in anima, quia in eodem ſunt virtus & vitium; quia contraria nata ſunt ineſſe eidem ſuſceptibili. Sed ſi iſtud intelligatur de inhærentia propriè dicta, apparet quòd non eſt verum, cum privationes non habeant ejuſmodi inhærentias: & ideò eſt advertendum quod eſſe in ſubjecto poteſt dupliciter intelligi, inhæſivè & prædicativè, v. g. de primo, ſicut dicimus quod albedo eſt in ſubjecto: ſecundo modo, ſicut dicimus quod vniverſalia ſunt in ſuis particularibus; quod non poteſt intelligi per inhęſionẽ ſed per prędicationem. Ad propoſitũ igitur dico duas propoſitiones. Prima, quòd peccatum originale non eſt in aliquo ſubjecto inhæſivè, quod apparet, cum non ſit aliquid poſitivum: ſecunda propoſitio, quòd peccatũ originale dicitur in ſubjecto eſſe eo modo quo privationes exiſtunt in ſubjecto; ſicut cæcitas dicitur ineſſe oculo, quia oculus eſt cæcus. Et ſic patet quòd peccatum originale eſt pura privatio. Ad videndũ igitur quod eſt ſuum ſubjectum, non eſt inquirere in quo ſit inhæſivè, ſed de quo primo verificatur eſſe privatum juſtitia originali. Pro quo dico tres propoſitiones. Prima quod corpus non eſt illud ſubjectum: quia non exiſtente in ipſo anima, non dicitur quod corpus ſit peccator. 2. Anima non eſt illud primum & immediatum ſubjectum: patet, quia ſtat animam creari & non eſſe peccatricem, ſcilicet ante unionem ſui cum corpore. Tertia propoſitio. Illud de quo primo dicitur peccatum originale, eſt conſtitutum ex corpore & anima intellectiva, tanquam ex partibus eſſentialibus perfectè totius complentibus rationem. Iſta patet, quia illud propriè dicitur filius Adam & juſtitia originali privatum, licet etiam ex conſequenti anima intellectiva dicatur privata. Undè ex hoc apparet quod iſte terminus, peccatum originale, eſt termi-

nus

nus connotativus, & significet aliquid privatum aliquo sibi inesse debito. Et per hoc apparet quod aspiciendo illud quod peccatum originale connotat, sic peccatum originale nihil esse positivum, & hoc vult prima conclusio in principio Tractatûs posita. Sumendo proinde subjectum de quo intelligimus talem privationem, sic est aliquid: undè juxta istum modum facilè possent istæ propositiones concedi; anima est peccatum originale, & similiter, parvulus est peccatum originale: quia parvulus est justitia originali privatus. Non tamen ratione connotationis intelliguntur formaliter plures privationes, sed una; sicut justitia originalis qua parvulus & sua anima privatur. Hic igitur apparet qualiter peccatum originale intelligatur esse in subjecto.

Tertium notabile fuit de causa effectiva peccati originalis, pro quo est advertendum quod causa effectiva potest intelligi dupliciter. Uno modo pro causa quæ actione reali contingit certum effectum, & sic propriè dicitur causa. Alio modo dicitur causa sine qua non, & sic dicimus quod fames est causa mortis, non per actionem aliquam realem, sed potiùs per illum modum: quia si non fuisset fames, mortalitas non fuisset subsecuta. Et isti modi sumuntur ab Arist. 2. Phys. Undè pro secundo modo dat exemplum, quod absentia nautæ est causa periclitationis in navi, quia deficit nauta. Et per hoc Doctores Theologi magis propriè distinguentes dicunt quod causa quandoque dicitur defectiva, quandoque effectiva. Et ex hoc dico aliquas propositiones. 1. Quod peccatum originale non habet causam propriam effectivam: patet, cum sit privatio, ut jam dictum est. Ex qua sequuntur propositiones correlariæ removentes dubia quæ possent fieri. 1. Quod peccatum originale non est à Deo effectivè. 2. quod non est à generante. 3. quod non est à contrahente. 4. quod non est à primo parente tanquam propriè & causaliter effectivè derivatum; & hæ quidem sunt manifestæ. 2. Propositio est quod peccatum originale fuit à primis parentibus defectivè. Ista patet, quia ex quo ipsi perdiderunt originalem justitiam, subsecuta est in posteros privatio & nuditas justitiæ originalis: quare &c. Ex quo infero, quod est falsa positio F. Francisci de Mayronis, & omnium qui dicunt quod peccatum originale effectivè causatur ab unione animæ cum corpore propagato ex semine primorum parentum. Et patet, aut enim intelligit de causa effectiva propriè dicta, aut de impropriè dicta, sive de causa defectiva. Si de prima, absque dubio ex quo est quædam privatio, falsum dicit. Si de secunda, adhuc non est verum; quia unio

hujusmodi

hujuſmodi non habet in ſe talem denominationem niſi de merito primorum parentum tranſgreſſionis. Nam ſi hoc haberet, ſequeretur quòd Chriſtus eſſet in originali conceptus; quod audire non patitur Theologica diſciplina, nec ratio quam addunt, multùm concludit. Arguunt enim ſic. Quandocumque eſt aliqua diſpoſitio ad quam neceſſariò ſequitur aliquis effectus, ſi iſta diſpoſitio non ſe teneat ex parte cauſæ naturalis, dicitur effectivè reſpectu talis effectus; ſed in tali unione de communi lege cauſatur originale peccatum, & ipſa non eſt cauſa materialis, cùm peccatum originale maneat in anima ſeparata: ſequitur quòd eſt efficiens, quod eſt intentum eorum, & maximè Franciſci Mayronis. Hîc breviter dico quòd Major eſt falſa, loquendo de cauſa propriè dicta, & ſimiliter loquendo de cauſa defectiva. Sed benè concluditur quòd unio illa infert; quòd peccatum originale dicitur de illo ſubjecto primo, ſed non quod ſic cauſa illius effectiva vel defectiva. Per illum enim modum probabo leviter, quòd unio animæ meæ ad corpus meum eſt cauſa efficiens quòd ego ſum filius patris mei, & non pater meus: nam aſſumo ſicut ipſi aſſumunt. Quandocumque eſt aliqua diſpoſitio ad quam neceſſariò ſequitur aliquis effectus; ſi illa diſpoſitio non ſe tenet ex parte cauſæ materialis, dicitur efficiens reſpectu talis effectûs: nunc autem ita eſt in unione animæ cum corpore, quia ex iſta ſequitur quòd ſum filius patris mei, vel quòd ego ſum homo, nec iſta eſt cauſa materialis, ut apparet: & per conſequens nec iſta propoſitio major aſſumpta videtur vera, & ſic apparet quid & qualiter dicitur cauſa peccati originalis. Quartum notabile fuit, qualiter peccatum originale contrahitur; circa quod diverſi diverſa ſenſerunt. Quidam dicunt quòd contrahitur per hoc, quòd caro eſt infecta, & anima ex ipſius unione contaminatur: ſicut Magiſter ponit exemplum in 2. diſt. 32. de habente manus pollutas, qui recipit pomum puriſſimum. Sed abſque dubio ille modus non ſufficit, quia qualitas corporalis non poteſt contaminare naturam ſpiritualem: cùm videamus radios ſolis non inficiri per feces corporales; quanto igitur minùs inficeret qualitas corporalis naturam ſpiritualem & inviſibilem? Alij dicunt quòd anima ex unione ſui ad carnem contrahit peccatum originale per hoc, quòd condelectatur carni. Sed iſte modus iterum non valet; quia anima non priùs vult quàm cognoſcat, nec priùs delectatur quàm velit. Cùm igitur illa in primordio ſuæ creationis non habeat illam cognitionem, ſed eſt ſicut tabula raſa in qua nihil eſt depictum: ſequitur quod nec aliquam pro tunc habet delectationem. Præterea tum

illud

illud non eſſet peccatum originale ſed potiùs actuale commiſſum, quod non videtur verum. Et ideo dicunt aliqui quòd iſte contractus provenit ex appetitu naturali; quia nullus appetitus naturalis animæ tendit niſi in bonum. Eſt enim, ut ait Boët. lib. 3. de conſ. phi. mentibus hominum veri bonique inſerta cupiditas. Nunc autem nihil naturaliter inclinatur ad ſurſum & deorſum: ſic igitur in propoſito nihil inclinatur ad bonum & ad malum ex appetitu naturali. Poſſumus igitur iſtum tractatum quartum intelligere, ſicut dicit frater Franciſcus de Mayronis in ſuo Tractatu de Conceptione Virginis intemeratæ, vel per modum irregularitatis ut in bigamo vel in ſpurio; vel per modum obligatoriæ ſervitutis, vel per modum privativæ hæreditatis. V.g. bigamus primò contrahit irregularitatem ad ſacros Ordines ſuſcipiendos per hoc, quòd aſſumpſit viduam in uxorem: quia ſic ſtatuit Eccleſia, quòd quicumque viduam acceperit, ad ſacros Ordines non promoveatur. Ita Deus ſtatuit quòd quæcumque anima rationalis conjuncta fuerit carni ab Adam & per concupiſcentiam ſeminalem, ſit originali juſtitiâ privata, ac per hoc ad pœnam damni tantummodo obligata. Secundo modo contrahitur irregularitas in ſpurio; quia ſtatutum eſt quod quicumque concubinaliter naſcitur, niſi aliud eximens interfuerit, ſit in peccato originali. Tertius modus apparet in ſervorum filijs, qui tam citò ac naſcuntur ſervi vocantur: ſic in propoſito. Quartus modus eſt ſic. Cum quis privatur hæreditate propter inobedientiam vel aliud, ab illo qui poteſt iſtud de jure facere; & conſequenter filij qui naſcuntur illa hæreditate ſunt privati. Ita eſt in propoſito imaginandum. Atque ita patet quòd quadrupliciter poteſt intellgii qualiter peccatum originale contrahitur.

Quintum notabile fuit, qualiter peccatum originale dimittatur vel relaxetur. Pro cujus declaratione præmitto duas diſtinctiones: ex quibus inferam certas propoſitiones propoſitum declarantes. Prima diſtinctio eſt, quod debitum diſſolvi vel dimitti, poteſt intelligi quatuor modis. Propter debitoris diſſolutionem; & ſic ſolvitur mulier à debito mariti moriente marito, & è converſo. Secundò propter debiti ſatisfactionem: ſicut cum quis debet decem, & ſolvit totidem. Tertiò propter cauſæ debitæ ceſſationem; ſicut cum ſolvere obligor debita patris mei qui ſuccedo ei in hæreditatem quam poſſideo: ſi igitur nunquam hujuſmodi hæreditatem habuiſſem, abſolutus eſſem à ſatisfactione pro debito patris mei. Quarto, ſolvitur obligatio vel debitum per voluntariam remiſſionem; ſicut ſi debes mihi centum, & liberè tibi dimitto, & ſic abſolutus es

ab illo, jure liberalis remiſſionis. Secunda diſtinctio eſt hæc, quod liberalis Dei remiſſio poteſt quatuor modis intelligi. Uno modo per internam ſatisfactionem, ſecundo per Sacramenti inſtitutionem, tertio per actionis acceptationem, quarto per paſſionis approbationem. Quibus præmiſſis octo elicio propoſitiones: tres negativas, & quinque poſitivas ſive affirmativas.

Prima ergo propoſitio eſt hæc. Peccatum originale non remittitur ſimpliciter homini per propriæ mortis diſſolutionem. Iſta propoſitio apparet, quando in homine eſt aliquid ſecundùm naturam immortalem, poſt cujus mortem remanet vivum: ſed in illo eſt peccatum originale, igitur adhuc per mortem hominis non tolletur macula peccati originalis. Conſeq. patet, & Aſſumpt. eſt evidens de anima intellectiva; in qua eſt peccatum originale eo modo quo priùs declaratum eſt. Et ex hac deductione videtur ſequi correlariè: quod ſi anima intellectiva eſſet mortalis per ipſius mortem, ab homine tolleretur obligatio peccati originalis; quia deſtructo fundamento alicujus relationis, deſtruitur & ipſa relatio. Nunc autem obligatio conſurgens ex peccato originali eſt quædam relatio: ubi igitur homo ſecundùm quodlibet ſui eſſet corruptibilis, corruptione facta nullum remaneret fundamentum obligationis, quæ propriè dicitur quidam reatus. Quare &c.

Secunda Propoſitio eſt. Peccatum originale non dimittitur homini per propriam hominis ſatisfactionem. Iſta propoſitio licet ſit communis Doctorũ, tamen breviter ſic declaratur. Nullus cõdignè ſatisfacere poteſt pro aliquo peccato mortali niſi ſit in gratia, quantùm eſt de lege ordinaria: igitur nunquam, quamdiu eſt in peccato originali, poteſt ſatisfacere pro originali peccato. Conſeq. & Min. patent cum Mai. ex hoc. Alioquin poſſet aliquis ex proprijs meritis acquirere primam gratiam, quod eſt Pelagianum; quia ſi gratia ex proprijs meritis haberetur, jam gratia non eſſet gratia, juxta deductionem Apoſtoli. Quare &c.

Tertia propoſitio eſt hæc. Peccatum originale non dimittitur ex conſideratione ceſſationis cauſæ illud introducentis. Iſta propoſitio ſic probatur; quoniam ut ſuperiùs dictum, eſt cauſa defectiva peccati originalis, & cur in nos transferatur, fuit tranſgreſſio primorum parentum: nunc autem illa fundatur in præteritione, ſed ratio præteritionis eſt inceſſabilis quia præteritum non poteſt non fuiſſe præteritum, prout Ariſt. 6. Ethic. commendans ſententiam Agathonis dicit: propter hoc & Agathon rectâ dicit. Hoc etenim ſolo Deus privatur, ingenita facere quę utique ſunt facta;

facta; & per consequens hæc ratio potest cessare ex ista consideratione, quòd ea cessante cessaret & causa, quare peccatum originale in nobis non fundatur ut in termino introductum: & sic habetur quòd peccatum originale non ita dimittatur. Per hoc autem apparet quod imputabilitas ttanslationis peccati originalis in posteros non fundatur super actualem transgressionem primi parentis; quia ipsa jam non est, sed fundatur super ipsam ut jam præteritam.

Quarta propositio est hæc. Peccatum originale peccatori dimittitur per solam largifluam miserationem Deitatis. Ista propositio apparet inductivè: quoniam omne quod dimittitur per viam relaxationis & debiti, aut dimittitur per mortis solutionem, aut per debiti plenariam satisfactionem, aut per causæ debitæ cessationem, aut per liberalem remissionem; sed peccatum originale dimittitur, ut cõsequenter declarabitur, & non tribus modis præmissis, ut probant præmissæ conclusionis, igitur quarto modo. Constat autem quod offensa Deo sit facta; igitur & remissio offensæ etiam per solam miserationem largifluam Deitatis, quod est juxta propos. Præterea secundùm traditionem Sanctorum, majus est de impio facere pium, quàm cœlum & terram creare; sed constat quòd nullus hoc potest facere ex sua naturali virtute, ergo à fortiori, similiter nec illud: & per consequens non potest seipsum quovis modo virtute propria à peccato originali relevare. Quare &c.

Quinta propositio. Peccatum originale dimittitur per internam sanctificationem. Ista propositio patet per juxta sacræ Scripturæ testificationem de Jeremia & Joan. Bapt.

Sexta propositio. Peccatum originale dimittitur per Sacramentum Baptismi regenerationis. Hæc propositio est fidei, Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Septima propositio. Peccatum originale dimittitur per veram cordis contritionem: nam benè sequitur, iste facit quod in se est, demonstrato aliquo viatore, igitur Deus dat sibi gratiam; sed aliquis qui nunc est in peccato originali, potest habere hujusmodi dispositionem: igitur cum Deus seipsum negare non possit, sequitur quòd ei gratiam porriget, & hoc non necessitate coactus, sed mera liberalitate; & per consequens isto casu cordis contritio delet peccatum originale, &c.

Octava propositio. Peccatum orig. dimittitur per proprij sanguinis effusionem. Apparet hoc in Innocentibus, & similiter in B. Emerentiana: quibus peccatum originale dimissum est per martyrij tolerantiam; ut

ſacroſancta tenet Eccleſia, & ſacri Doctores in ſuis tractatibus profitentur. Ex quibus propoſitionibus ſequitur corollariè, quod peccatum originale dimittitur per gratiæ gratum facientis infuſionem: nam tam in ſanctificatione quàm in Sacramenti ſuſceptione, & vera cordis contritione, & martyrij profeſſione infunditur gratia gratum faciens, ergo &c.

Sed reſtat ulterius dubium; quia non videtur quòd ſit plena privationis ablatio, niſi per poſitionem ſui oppoſiti habitûs: nunc autem peccatum originale non opponitur niſi juſtitiæ originali. Cùm igitur non reſtituatur homini juſtitia originalis, ſequitur quod plenariè non dimittitur peccatum originale. Major apparet; quia ſi quis eſſet cæcus, nunquam ab eo tolleretur privatio ſuæ cæcitatis, niſi per reſtitutionem viſionis. Similiter juſtitia originalis excludit rebellionem à carne: ſed conſtat quod non eſt ablata per Sacramentum, igitur non videtur, quòd ſit plena remiſſio peccati. Quia quanta eſt latitudo poſitionis, tãta eſt privatio ſibi oppoſita. Si igitur originalis juſtitia ponit omnia prædicta, & hæc non excluduntur per cauſas aſſignatas; ſequitur quòd non ſit peccati plena remiſſio. Pro declaratione hujus dubij, pro quo iſtæ rationes oſtenduntur, eſt advertendum quotnam fuerint effectus juſtitiæ originalis. Pro quo ad præſens dico, ſalvo ſêper judicio meliori, quòd juſtitia originalis habuit quemdã effectum principaliter, & alios ſecundariò. Effectus principalis fuit ordinatio voluntatis in Deum, in regulando voluntatem & tenendo ad Deum tanquam ad ſummum bonum, cui nullum aliud bonum erat anteponendum. Effectus autem ſecundarij non fuerunt totaliter à juſtitia originali, ſed potiùs concurrentibus alijs particularibus cauſis cum ea; ut eſt tranquillitas virium inferiorum ad debitam obedientiam rationis, immortalitas corporis, & præſervatio à fame, & à ſiti, & hujuſmodi pœnalibus paſſionibus. Unde volunt aliqui dicere quòd juſtitia originalis erat quidam habitus in voluntate exiſtens per ſe ſine alio; neque inducebat in potentijs ſenſitivis delectationem, quando à ſuis obedientijs movebatur: quia obedientiam potentiæ ſenſitivæ naturaliter movet, & allicit potentiam ſenſitivam. Cum igitur ſui natura ſine diſplicentia non poterat amoveri à ſuo objecto, & ideo non ſolùm requirebatur juſtitia originalis quâ ſe regulabat voluntas in debitè condelectando paſſionibus ſenſitivis: ſed etiam in quolibet appetitu ſenſitivo erat quædam qualitas quâ nata erat potentia ſenſitiva moveri à ſuo objecto ſine ſui diſplicentia, & hæc qualitas etiam ſenſualitati naturaliter eſſet data; non tamen dicebatur juſtitia originalis. Similiter juſtitia originalis de ſe ſine eſu ligni vitæ

non

non habebat impaſſibilitatem & immortalitatem; ſed concurrente juſtitia originali & conſuetudine comeſtionis ligni vitæ. Ex quibus ſequuntur duæ propoſitiones.

Prima, quòd effectus originalis juſtitiæ principaliter & directè erat ordinatio voluntatis ad Deum, cum debita ipſius regulatione in condelectando appetitibus ſenſitivis; abſque hoc quod abſorberetur judicium rationis.

Secunda propoſitio. Effectus ad quos concurrebat juſtitia originalis, non totaliter erat tranquillitas virium corporis, immortalitas, & debita moderatio paſſionum.

Ad propoſitum igitur veniendo, per peccatum primorum parentum fuerunt in poſteris ſubſecutæ quædam conditiones pœnales, & quædam culpabiles. Pœnales ſunt, mors, eſuries & ſitis &c. Culpabiles ſunt, privatio juſtitiæ originalis, cujus reatus eſt obligatio ad pœnam damni. Peccatum igitur originale directè opponitur juſtitiæ originali. Ulteriùs dico quòd ad hoc quòd aliqua privatio debeat tolli, quod hoc fiat per habitum privationi oppoſitum, vel per aliquod perfectius, vel per æquè ſupplens vicem habitûs privationem formaliter excludentis. Nunc autem gratia gratum faciens perfectior eſt quàm fuerit juſtitia originalis: & eſt cujcumque peccato mortali incompatibilis. Eſto igitur quod juſtitia originalis in Baptiſmo non conferatur: conferetur tamen gratia quæ poteſt perfectiùs vel æquè perfectè ſupplere vicē juſtitię originalis; & ita quāvis ex ſuppoſitione juſtitiæ originalis eſſet plena peccati originalis remiſſio, tamen ex poſitione gratiæ æquivalentis remittitur ipſū peccatum originale, ſicut ex hoc id quis imaginari poteſt: ſi cæco conferretur aliquid ſupplens vicem viſionis ſive potentiæ viſivæ, ita enim per illud cæcitas excluderetur à cęco, ſicut ſi ipſi potentia viſiva de propinquo conferretur. Ita eſt in propoſito. Et per hoc apparet quòd illud quod primò inducebatur, non eſt verum, quod ſemper oporteat privationem tolli per habitum ſibi formaliter repugnantem; ſed ſufficit quod fiat per aliquod ſupplens vicem illius, quod etiam in rei veritate erit repugnans, ſed non formaliter & directè.

Per prędicta etiā patet ſolutio ad illud quod ſecūdò inducebatur; quod rebellio quæ eſt in carne, non directè opponebatur juſtitiæ originali, licèt illius oppoſitum eſſet annexum juſtitiæ originali: & ideo non oportet quod ſi tollitur privatio originalis juſtitiæ per æquivalentiam, quod eo ipſo ponantur omnia quæ ſunt illi ſtatui annexa, utpote immor-

talitas, impassibilitas, virium tranquillitas, & sic de similibus. Sed relictæ illæ conditiones pœnales pro statu illo debitam humilitatem & exercitium cum cumulo meritorum procurant. Sicque solvitur dubium prælibatum.

Sed contrà illud quod dictum est de contractione peccati, arguetur aliquibus medijs communibus in hac materia; & primò sic. Nullus actus merè naturalis est alicui ad laudem vel vituperium imputandus; sed defectus originalis est sibi merè naturalis, igitur talis non est parvulo ad laudem vel vituperium imputandus. Quare per consequens nec defectus est demeritorius quovis modo concedendus. Consequentia patet; & Major est Arist. 3. Ethic. Cæco nato nullus improperabit, sed magis miserebitur ejus. Et inde assumpta est illa vulgaris auctoritas: quòd à natura habemus, in hoc nec laudamur nec vituperamur. Minor apparet, quoniam peccatum originale est in parvulo ex sua origine. Quare &c.

Præterea ex lib. 3. Divi Augustini de libe. arb. nullus peccat in eo quod vitare non potest: sed parvulus originalem defectum vitare potest, ergo. Consequentia & Minor patent: & Major est auctoritas D. Patris nostri Augustini; quæ tamen sic probatur. Omnia peccata mortalia conveniunt in aliqua ratione communi. Signo igitur unum originale, quod si sit A, & aliud actuale quod sit B. & quæro in qua ratione conveniunt A & B. Si sub ratione culpæ mortalis quia sub ratione culpæ generaliter, sic etiam includitur veniale: vel igitur tali rationi competit voluntarium, vel non. Si sic, habetur propositum, quod peccatum mortale est voluntarium, & per consequens quodlibet peccatum potest vitari: & ita nullus peccat in eo quod non potest vitare. Si autem rationi tali non competit voluntarium, sequitur quòd peccato actuali mortali ut sic non convenit ratio voluntarij; & per consequens ita esset extra rationem peccati actualis quod voluntariè committitur, sicut est extra rationem originalis: quod videtur falsum. Quare &c.

Præterea, Adam non fuit nobilior tota sua posteritate: igitur ipsius infectio non inficit totam suam posteritatem. Conseq. patet; quia destructio minoris boni non infert destructionem boni majoris: aliter ex destructione pedis quis desineret esse homo, quod non videtur verum. Anteced. patet, quoniam posteritas Adæ includebat mille millia partium, quarum quælibet erat æquè perfecta sicut Adam; & per consequens ipse non erat sua tota posteritate nobilior.

Præterea non est major ratio quare unum individuum in specie humana

mana non debeat contrahere peccatum originale quàm maximè: si ejus sit communis propagationis libidinosa conditio; sed aliquod individuum non contraxit, ut patet de Gigantibus, de quibus dicitur quòd fuerunt per spiritus incubos procreati: igitur non videtur quod generaliter libidinosam propagationem parentum consequatur macula originalis peccati in posteris. Ad ista respondeo. Primò, quod peccatum originale in parvulo, licet sit defectus naturalis, tamen habet causam voluntariam, demeritum videlicet primorum parentum; & ideo vituperabile est in ipso, ac dictum Philosophi non facit ad propositum: quia ibi loquitur de defectu naturali cujus nulla est causa voluntaria, ut patet in exemplo de cæco nato, quæ cæcitas non provenit ex voluntate cæci nati, nec suorum parentum. Et si quis cavillaret dicendo, quod ista responsio non dicat aliud quàm quod peccatum originale sit vituperium; ob id tamen non imputandum parvulo, quia ad hoc se voluntariè non intromisit. Hîc dico quod non est simile hîc & ibi: quia defectus imputatur parvulo, pro eoque obligatus erat ad habendam originalem justitiam, quam quia non habet, imputandum est sibi: sed sic non est in proposito. Et si dicat quomodo obligavit se iste parvulus quando non erat? dico quòd primus parens obligavit eum. Sicut enim se poterat obligare pro bono suorum filiorum, & totam suam posteritatem: ita etiam poterat obligare totam suam posteritatem in casu quo perderet illud bonum, quod tota sua posteritas teneretur ad illud; quod sic factum esse firmiter credimus & simpliciter confitemur. Ad secundum patet per ea quæ dicta sunt; cùm dicitur, nullus peccat in eo quod vitare non potest. Si accipiatur ut sonat, negatur, & cùm dicitur quod est auctoritas August. lib. 3. de libero. arb. Verum est, sed in auctoritate oportet addere istum terminum, elicitivè; id est, nullus elicitivè peccat in eo quod vitare non potest, quod in proposito non est verum. Et cum probatur auctoritas per hoc quod omnia peccata mortalia conveniunt in ratione voluntarij: dico quod originale dicitur & necessarium & voluntarium; à causa promerente, & secundùm illam rationem convenit cum peccato mortali actuali, & secundùm aliam differt ab eo. Ad 3. dico, quod licet Adam non fuerit nobilior tota sua posteritate, tamen dicitur infecisse totam suam posteritatem demeritoriè. Unde potest dici, & rationabiliter, quòd posteritas Adæ sumitur aliquando actualiter, vel potentialiter. In quantùm sumitur potentialiter, sic nobilior est tota sua posteritate: & sub ista ratione infecit ipsam, quia posteritas erat potentialiter in eo. In quantùm verò sumitur actualiter, sic

non fuit

non fuit nobilior ſua poſteritate, & ut ſic non erat in eo, nec ut ſic eam infecit. Ad 4. cum dicitur de his qui naſcuntur per ſpiritus incubos, hic dico prout Doctores communiter dicunt, & præſertim Thomas de Argentina, Paulus Venetus, Gregorius de Arimino, Hermannus de Schildis, ac cæteri Doctores de Ordine Eremitarum; quòd ſpiritus maligni ſumunt frequenter ſemen viri quandoque emiſſum ex fragilitate vel alia cauſa actuali, & tunc in oſtendendo ſe exercere operationem virilem cum muliere, infundunt in mulieris clauſtra ſemen reſervatum, ex quo poſtmodum generatur Gigas: & per conſequens cum tale ſemen ſit deciſũ ab aliquo qui dependet ab Adam per propagationem, ſequitur quod Gigas generatus erit ſimpliciter in peccato originali. Ubi autem tale ſemen non eſſet ab aliquo viro per propagationem ab Adam deſcendente, tunc conceptus ex illo ſemine non eſſet in originali conceptus, quod tamen nunquam accidiſſe dicitur ſecundùm legem pro nunc occurrentem.

Sed reſtat unum parvum dubium, & eſt finis. Quia dictum eſt de remiſſione originalis culpæ per gratiam; videtur quòd cum quis peccat moraliter, quod tunc peccatum originale, relevatur. Dico quod non. Ratio eſt, quia cum per gratiam deletur peccatum originale, obligatio ad habendam juſtitiam commutatur in obligationem habendi gratiam quæ fuit originalis culpę defectiva. Quando igitur quis peccat mortaliter, jam non redit privatio originalis juſtitiæ, cum ipſius debitum ſit commutatum: ſed remanet obligatio habendi gratiam quæ per æquivalentiam operabitur idem illud quod juſtitia originalis fuiſſet operata; & ideo remanet privatio gratiæ & non originalis juſtitiæ, & per conſequens remanet reatus talis peccati actualis, & non reatus peccati originalis. Sic igitur patet ex prædictis notalibus, quid ſit peccatum originale, & qualiter dicitur eſſe in ſubjecto, & quæ ipſius cauſa effectiva vel defectiva, qualiter contrahitur & per Dei miſericordiam aboletur. Et hæc ſpeculatio de primario peccato terminatur.

Nunc habita de peccato originali aliquali notitia reſtat; videre de præmiſſa quæſtione, ſecundùm opinionem triplicem procedendo. Prima opinio dicitur diſtinctiva, ſecunda affirmativa, tertia dicitur negativa. Prima probabitur. Secunda eſt legalis imperij, & generalis traductionis: 3. eſt divinalis ſuffragij, & ſpecialis exemptionis. Prima ergo dicitur diſtinctiva; nam præteritis temporibus fuerunt nonnulli Doctores, ut puta, Paulus de Venetijs Ordinis noſtri Doctor peritiſſimus, qui de B. Virginis glorio-

glorioſa Conceptione unam quæſtionem pulcherrimam determinavit, in qua quidem quæſt. ipſe dicit: quòd Virginem in peccato originali eſſe conceptam poſſit intelligi dupliciter, aut materialiter aut formaliter; vel clariùs, aut quantùm ad carnem aut quantùm ad animam. Dicit ergo ſuprà dictus Doctor: quòd quantùm ad carnem fuit concepta, ſed non quantùm ad animam, quia ante animæ infuſionem caro illa fuit purificata, & à Spiritu ſancto ſanctificata; & ſic anima in ſui unione ad corpus non contraxit. Imaginatur enim ſibi Paulus quòd maſſa illa ex qua corpus Virginis fuit formatum, in ſuis parentibus fuerit corrupta; ſed antequam ſibi uniretur, fuerit purificata. Et per hoc anima non fuit unita carni infectæ, & per conſequens non contraxit labem originalem. Et eſt ſimile de aqua cùm benedicitur, ſicut de petra in Altari conſecrata, ſicut de frumento cùm corpus Chriſti conficitur: quia hæ irrationales, vel potiùs inſenſibiles creaturæ peroptimè ſic ſanctificantur, ſive magis propriè loquendo, benedicuntur ſeu purificantur. Sunt etiam alij iſtius opinionis aliter imaginantes; qui dicunt quòd licèt peccatum originale non ſit in carne formaliter, eſt tamen ibi cauſaliter: & ideo dicunt quòd inſtanti unionis animæ Virginis ad carnem, ablata fuit à carne cauſalitas diffundendi peccatum originale; & ſic patet ſecundùm iſtam viam B. Mariam fuiſſe conceptam in originali, ſaltem quoad carnem & cauſaliter ſeu materialiter, non autem quoad animam formaliter. Quod autẽ ita ſit, probant tali ratione. Nam B. Virgo tenuit medium inter nos & Chriſtum, quantùm ad dignitatem: Chriſtus non contraxit nec quantùm ad carnem nec quantùm ad animam; nos autem utroque modo. Virgo verò medio medio: nam ſi nec quantùm ad corpus, neque ad animam contraxiſſet, fuiſſet æqualis dignitatis cum Chriſto; quod eſt falſum. Si utroque modo contraxiſſet, ut aſſerunt Fratres de Ordine Prædicatorum, tunc fuiſſet æqualis ignobilitatis, ſicut & nos. Et in hoc erravit F. Thomas de Aquino, credens ipſam conceptam fuiſſe utroque modo, videlicet quantùm ad corpus & quantùm ad animã. Cujus vita etſi eſt per Eccleſiam approbata, non tamen ejus doctrina, maximè in hoc. Sicut manifeſtè liquet in Univerſitate Pariſienſi, ubi hæc opinio fuit reprobata, quia offendebat pias aures. Sed tenendo medium, inquit Paulus, tollitur utrumque inconveniens. In quantùm contraxit in carne, non fuit æqualis Chriſto, qui neutro modo contraxit: in quantùm non contraxit in anima, non fuit tantæ vilitatis ſicut nos, quorum corpus & anima inficitur. Fuit enim iſte Paulus, ut ſupra dictum eſt, Ord. Erem. D. Auguſt. ſuo tempore Phi-

loſophorum & Theologorum Princeps, necnon diſputator acerrimus; hoc ipſo tempore, ſc. anno M. cccc. xxii. in univerſa Italia nominatiſſimus, eò quòd cunctos Dialecticos Philoſophos, ac ſuæ ætatis Theologos ſine controverſia ſuperaverit, ac etiam tanquam alter Apollo poſt ſe futuros Philoſophos ſuæ ſapientiæ lacte nutriverit: qui niſi immaturâ morte præventus fuiſſet, omnes anteceſſores Theologos Philoſophoſque ſuo ingenio ſuiſque ſcriptis ſuperaſſet. Attamen in juventute ea quæ ſubjecta ſunt, poſt ſe reliquit Volumina. Et primò ſuper libros Poſteriorum, quibus Scholaſtici in Italia maximè utuntur, cùm plurimùm aliorum ſcriptis præſtare cenſeantur. Item ſuper Artem veterem, ſuper quatuor Phyſicorum libros Volumen maximum, ſuper Metaphyſicam duo Volumina, Summâ in Philoſophiam naturalem. Super libros de Anima Commentum digniſſimum, ſuper librũ de Generatione & Corruptione: ſuper conſequentijs Strodi Logicam perutilẽ, quæ per totam Italiã in omnibus Univerſitatibus legitur. Scripſit Logicã magnam, Tractatum cõtra cæcitatem Iudæorum. Inſuper & ſuper Sentent. libros Cõmentaria edidit digniſſima; ſed & Serm. multos ad Clerum de Sanctis & Dominicis diebus, ac Quadrageſimale miro ordine cõpoſuit. Tandẽ juvenis ſatis moriens in ſacriſtia ſui Ord, Paduæ in Conv. F. Erem. ſepulchro marmoreo ſepelitur.

Sed iſta opinio Pauli ſtare non poteſt propter ea quæ ſuperiùs dixi in primo Notab. Nam ſic imaginantes vel implicant peccatũ originale eſſe qualitatem morbidam in viribus ſenſitivis complantatã, quod diffusè ibi improbatum eſt: aut ſaltem non rectè ſentiunt de contradictione peccati originalis, ut ſuprà etiam in ſecundo Notab. declaratum eſt. Et ideo reſpondendo ad fundamentum ſuæ rationis, poteſt evidenter intelligi qualiter prædicta ratio nihil concludit. Nam tenendo quòd Virgo adhuc nullo modo fuerit maculata, non ſequitur quòd fuerit tantæ dignitatis quantæ fuerit Chriſtus; eò quòd Chriſtus propriâ poteſtate habuit quòd immunis eſſet ab omni peccato, cùm eſſet Deus & homo: Virgo autem non propria poteſtate, ſed divina virtute fuit præſervata. Digniùs profectò eſt unicuique nobilitatem habere ex naturâ, quàm ex aliena gratia aut conceſſione. Hanc autẽ ſolutionem innuit Hieronymus ad Paulam & Euſtoch. in ſerm. Aſſumpt. dicens: Etſi in ſanctis Patribus ac perfectis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus. In Mariam verò totius gratiæ quæ in Chriſto eſt plenitudo venit, quanquam aliter. Hoc eſt dicere, quòd Chriſtus à ſe, Maria à Chriſto talem habuit gratiæ plenitudinem: in quo attenditur maxima, imò infinita differentia inter ipſum & ſuam Matrem Benedictam

Secunda opinio dicitur esse legalis imperij & generalis traductionis. Istam opinionem explicabo meo modulo cum suis coloribus & motivis. Secundò declarabo viam aliam,& sibi mutuis adversantibus respondebo. Pro primæ igitur viæ declaratione sex pono cõclus. quarũ *Prima est hæc.*

Maris & fœminæ libidinosa conjunctio ex qua sequitur prolis procreatio, indicat legali consequentiâ prolem fuisse vel existere maculâ originalis criminis deturpatam.

Ista conclusio sic probatur(& hîc intelligo de conjunctione animalium rationabilium,quia de alijs apud Theologos non est difficultas)Quicquid competit alicui individuo in aliqua specie ratione suæ speciei, hoc competit etiã cuilibet individuo in illa specie(in Imp. linea hîc defuit)humana,& hoc ratione suæ speciei:igitur hæc conditio cõpetit cuique in specie humana. Conseq.patet;& Major ex hoc.Quoniam, quia Fulano competit risibilitas ratione suæ speciei,ideo cuicumque homini competit risibilitas & sic de quibuscumque alijs exemplificando. Sed Minorem probo. Nam Fulan. ex quo concubinaliter ex viro & muliere concipitur,est in peccato originali:vel igitur hæc conditio sibi cõpetit ratione quia Socrates est, vel ratione communi propagationis;& per consequens videtur quòd radix secundùm legem currentem,ex qua possumus concludere aliquem fuisse in peccato originali conceptum cum maris & fœminę libidinosa conjunctione:quod est propositum. Prętera ista cõclusio videtur esse de mente D.P.N. Aug.de fide ad Pet. cap.26. dicentis: firmissimè tene &c. ex qua auctoritate habetur propositũ.Prętera moralis Greg.lib.xi.Mor.circa finem dicit,exponendo illud B. Job;quis potest facere mundũ de immundo conceptum semine?nonne tu qui solus es? Beatus, inquit, Job intuitus Incarnationem solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum ;quia sic in mundum venit per Virginem, ut nihil haberet de immunda conceptione. Solus igitur in carne sua mundus extitit,qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem delectationem venit. *Secunda conclusio est hæc.*

Tolerantia pœnalitatis involuntaria arguit aliquem legali consequentia fuisse vel existere in originali propagatum.

Probatur sic: omnis pœna alicui justè inflicta arguit in eo aliquam culpam,nisi pœna sit voluntariè sumpta, ut apparuit in Christo ; vel ad cumulum meritorum imposita,ut in Job : vel ad virtutum custodiam ne tentetursuperbiâ, ut in Paulo, vel ad gloriæ Dei manifestationem, ut in cęco nato. Sed in omnibus hominibus naturaliter propagatis est pœna

mortalitatis inflicta, nec eſt ab eis aſſumpta voluntariè, ut patet; nec ſimiliter videtur im Poſita propter cumulum meritorum, cum ſit peccatoribus & juſtis communis: nec etiam ad virtutum cuſtodiam, ſub eadem ratione; nec ſimiliter ad gloriæ Dei manifeſtationem, quia iſtud non videtur aliquod opus ſpeciale: igitur apparet quòd hæc pœna inflicta eſt propter peccatum actuale, cum iſta ſit in habente gratiam, igitur propter originale per diviſionem ſufficientem. Quare.

Præterea ōnis pœnalitas ex aliqua tranſgreſſione proveniens arguit culpā, ſed mors eſt pœna ex aliqua tranſgreſſione proveniens; igitur. Conſeq. & Major patent: & Minor eſt ſacræ Scripturæ, Geneſ. 2. In quacumque hora comederis, morte morieris; quod præceptum tranſgreſſi ſunt primi parentes, ut patet Gen. 3. Cùm igitur hæc pœna ſit in parvulis & in alijs hominibus, ſequitur quod hoc præceptum cùm tranſgreſſi non ſunt per aliquem actum propriæ voluntatis, quod hæc pœnalitas eis competit ex tranſgreſſione primorum parentum. Sed hæc in alijs arguit originalem culpam, igitur videtur quod pœnalitas hujuſmodi arguit in habente ipſam, culpam originalem. *Tertia concluſio eſt hæc.*

Redemptionis indigentia indicat aliquem legali conſequentia fuiſſe vel exiſtere originalis criminis ſordibus maculatum.

Iſta concluſio ſic probatur, & intelligitur de redemptione paſſiva reſpectu illius qui per legē naturalis propagationis eſt exortus; & non propter Chriſtum qui fuit activa redemptio, & ſimiliter propter primos parentes qui non fuerunt lege naturalis propagationis generati. Quia licet redemptione paſſiva indiguerunt, non tamen fuerunt in originali cōcepti. Eſt igitur ſenſus concluſionis, hæc eſt bona conſequentia: de lege A eſt redemptum & fuit lege naturalis propagationis generatum, igitur A fuit in originali conceptum; quæ conſequentia taliter probatur. Omnes homines indiguerunt gratiâ redemptionis, aliàs Chriſtus non fuiſſet univerſalis hominum redemptor: quæro igitur, à quo Chriſtus redemit omnes univerſaliter, aut à peccato, aut à ſequelis peccati tantùm, utpotè à pœna æterna & poteſtate diaboli: quia ſic non fuiſſent perfectè redempti? Si igitur à peccato, vel illud eſt tantùm originale, vel eſt quodlibet genus peccati. Primum non poteſt dari, quia ſic primi parentes non fuiſſent redempti; ſi igitur ſecundum, habetur propoſitum. Præterea ſi de lege ſtat aliquem fuiſſe redemptum concubinaliter propagatum, & non in originali conceptum; quæro ut priùs, à quo fuit redemptus? Non videtur à peccato originali, ſecundùm ſic dicentes; nec ab actuali, cùm

nullum

nullum tale commisit, ut suppono ad præsens, sicut fuit de Jeremia & Joanne Bapt. qui fuerunt in utero sanctificati: igitur tales nisi ponantur in originali concepti, non videtur à quo fuerint redempti, & per consequens non stant illa duo simul, quòd A est redemptum & A. nunquam fuit sub peccato originali vel actuali. Confirmatur ratio per Leonem Papam in serm. de Nativ. Domini sic dicentem: Dominus noster peccati mortisque destructor sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit: si ergo redemptio fuit à peccato liberatio, sequitur, hoc est redemptum, igitur hoc est liberatum, & ultrà, est vel fuit à peccato liberatum, igitur hoc fuit quandoque peccato obnoxium; & per consequens cùm consequentia sit bona & antecedens sit legale, sequitur quòd oppositum consequentis non stat cum antecedente *Quarta conclusio est ista.*

Appetitûs sensitivi adversus rationem rebellio arguit legaliter in habente, originalem vel mortalem maculam extitisse.

Ista conclusio probatur tam ex ordine divinæ justitiæ & sapientiæ, quàm etiam bonitatis. Ex prima radice arguitur sic. A summæ justitiæ rectitudine non potest obliquitas vel curvitas ulla immediatè provenire: cùm igitur rebellio appetitûs sensitivi contra rationem sit perversio ordinis naturalis; sequitur quod hoc, sive sit pœnalis conditio sive culpabilis, non est à Deo immediatè sicut causa promerente: & per consequens arguit in habente ipsam causam, maculam originalem vel mortalem fuisse; quod est propositum. Præterea ex secunda radice arguitur sic. Summa sapientia est summa pulchritudo: nunc autem à summa pulchritudine non potest effectivè aliquod turpe immediatè provenire; v. g. aliqua turpitudo reperitur, hæc non est judicanda provenire à summa pulchritudine. Cùm igitur rebellio appetitûs sensitivi adversùs rationem sit quædam turpitudo, sequitur quòd ipsa non est à summa pulchritudine: ubi igitur reperitur, oportet quòd in isto sit aliqua deformitatis macula. Præterea ex tertia radice arguitur sic. Nihil à summa bonitate immediatè productum est ad duos fines contrarios inclinativum, sed potiùs est ad bonum naturaliter inclinativum. Sed illud in quo est appetitûs sensitivi rebellio, est ad duos fines contrarios inclinativum, utpotè ad bonum & malum, juxtà illud Apost. Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantè legi mentis meæ, & captivantem me sub peccato. Igitur illud in quo est talis rebellio, non fuit immediatè à Deo secundùm illam rationē; & per consequens, cùm quodlibet sit à Deo secundū quamlibet ratio-

nem non includentem deformitatem: ſequitur quòd aliud ſecundùm certam rationem non ſit à Deo. Quare intentum &c. Et ſic ex omnibus illis radicibus fiat ratio talis. Illa conditio arguit in habente ipſam culpam, aliquid exiſtere quod non poteſt à Deo quovis modo provenire, ſine cauſa proximè ſecundùm legem: ſed rebellio appetitûs ſenſitivi adversùs rationem, eſt conditio quæ non poteſt à Deo provenire ſine cauſa promerente, igitur &c. Conſeq. & Major patent, & Minor apparet: quia talis rebellio quæ eſt ordinis naturalis perverſio, non poteſt eſſe à Deo, nec ratione ſummæ ſapientiæ, nec ratione ſummæ bonitatis, ut apparuit; quare propoſitum. *Quinta concluſio.*

MARIA, Virgo antonomaſticè nuncupata præmiſſas quatuor conditiones habuit poſtquam Mater Domini meruit proclamari.

Iſta concluſio apparet. Quoniam, ut aliqui dicunt, quamvis ego non ſum talis opinionis, quòd MARIA fuerit ex viro & fœmina per libidinoſam copulam propagata, utpotè ex Joachim & Anna: ſimiliter ipſa fuit pœnalitatibus ſubjecta, quas voluntariè contraxit, utpotè fami, ſiti, morti & ſimilibus. Similiter ipſa indiguit redemptione, aliter Chriſtus non fuiſſet univerſaliter redemptor, quod dictis Sanctorum non eſt conforme. Similiter in ipſa fuit fomes concupiſcentiæ ante conceptionem Chriſti, ut dicit Damaſc. & recitatur à Magiſtro in 3. Sent. diſt. 3. c. 1. Poſt conceptum autem prævenit ipſam Spiritus-ſanctus ſecundùm verbum Dei, purgans ipſam, & potentiam Deitatis Verbi receptivam præparans ſimul & generativam; & tunc obumbravit eam virtus Dei Altiſſimi. Conſtat autem quod hæc purgatio non ſolùm fuit à criminali macula, ſed etiã à qualibet peccati ſequela: & ita apparet quòd ipſa fuit concubinaliter nata, ſubjecta, & redemptione indigens, à fomite purgata. *Sexta concluſio eſt hæc, & ex præmiſſis correlariè ſequens.*

Mater Chriſti glorioſa fuit quandoque ſordibus originalis peccati deturpata.

Iſta concluſio apparet. Quoniam in quocumque fuit aliquod antecedens inferens aliquod conſequens, in eo fuit ſimiliter conſequens: ſed antecedentia peccatum originale inferentia ſunt ex conjunctione viri & mulieris libidinoſa, involuntariæ pœnalitatis contractio, indigentia contractæ redemptionis, & rebellio appetitûs ſenſitivi adversùs rationem, utpatet per quatuor concluſiones primas, & hæc fuerunt in Beata Virgine, ut vult quinta concluſio; igitur in ipſa fuit peccatum originale; quod eſt propoſitum.

Hæc tamen concluſio triplici viâ abundantiùs ſuadetur: videlicet ratione,

tione,multiplici auctoritate, & Canonibus ſanctorũ Doctorum. Ratione igitur arguitur primò ſic. Cujuslibet creaturæ munditia à labe criminali, fuit munditia Chriſti ſecundùm humanitatem:ſed ſumma munditia à peccato eſt excluſio tam originalis quàm actualis vel mortalis vel venialis, & hoc fuit in Chriſto;igitur nulla natura citrà humanitatem Chriſti habuit illam munditiam, quare & per conſequens nec Virgo Maria. Cùm igitur in ea non fuerit actuale peccatum juxta Sanctorum auctoritates,ſequitur quòd fuit originale;quod eſt propoſitum.

Præterea tota cauſa clauſionis januæ Paradiſi,fuit peccatum originale: ſi igitur in Beata Virgine non fuiſſet peccatum originale,ſequitur quòd ſi deceſſiſſet ante Incarnationis myſterium,quòd ipſa Paradiſum intraſſet; cùm in ſe nullum habuiſſet peccatum quoad pœnam vel ad culpam ab ingreſſu cœleſtis januæ retardans. Sed hoc eſt falſum: quia tunc non indiguiſſet redemptione per Chriſti paſſionem,quod eſt contrà ſanctorum Doctorum determinationes. Quare &c.

Præterea conditio majoris humilitatis expreſſiva eſt ſuo Filio attribuenda,cùm ſecundùm temporis plenitudinem voluit incarnari,juxta illud Apoſtoli ad Philipp. 3. Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Nunc autem magis exprimit humilitatem Incarnatio de Virgine peccato obnoxia, quàm de Virgine ſancta: igitur decuit ut Mater Domini quandoque ſaltem fuerit originali crimine maculata. Conſequentia patet;& Minor videtur dictis B. Hieronymi conſona,ſuper Matth. ubi dicit. Notandum in genealogia Salvatoris nullam ſanctarum aſſumi milierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit; ut qui propter peccatores venerat,de peccatricibus naſcens omnium peccata deleret. Quare &c.

Præterea ſi B. Virgo non eſſet in originali concepta,hoc non ponitur propter aliam cauſam niſi ut magis honoraretur; ſed ſi hæc eſſet bona ratio ſive radix,ſequeretur quòd eadem ratione eſſet dicendum quòd non fuit per concubitum viri & mulieris libidinosè concepta:quia hæc conditio etiam maximè exaltat pudicitiam Virginalem; ſed iſtud falſum, quare propoſitum.

Confirmatur ratio. Nullo falſo honore eſt B. Virgo rationabiliter honoranda;ſed ſic honorare eſt falſò honorare,cùm ſe fundet in hoc quod õni ſibi poſſibili honore eſt honoranda. Conſtat enim quòd plura fuerunt Deo poſſibilia erga B. Virginem,quæ tamen ipſi non contulit:aliter feciſſet eam immortalem, & ab inſtanti ſuæ Conceptionis beatam, quod non videtur verum; quia tunc non magis Chriſtus fuit privilegiatus. Quare.

Deinde

Deinde totum motivum ex quo tenetur quod B. Virgo non fuit in originali concepta, consistit in hoc quòd Deus hoc potuit facere, & si decuit, ita factum est: igitur. Sed hæc ratio est frivola & nullius momenti; igitur intentum. Minor probatur: quia per eandem rationem potest probari quod Christus non fuerit passus. Nam Deus potuit recuperare genus humanũ sine passione, & si potuit, decuit, & si decuit, ita factũ est: igitur ita est quòd genus humanum redemit sine passione. Imò potest probari: quia quicquid Deus potuit producere, jam defactò productum est, quod non videtur verum, & tamen sequitur ex eadem radice; nam nihil potest Deus quod non sit decens, quòd si aliter, posset aliquod indecens producere, quod non est verum. Ergo &c.

Præterea si esset incongruum quòd B. Virgo fuisset in originali peccato concepta, hoc maximè videtur, quia Mater Dei; sed hoc non impedit: quia stat ipsam ante fuisse peccato obnoxiam, & postmodum per Spiritũs sancti operationem effectam Dei Matrem. Et confirmatur; quia magis repugnat peccato beatitudo, quàm faciat maternitas secundùm carnem; sed beatitudo non repugnat alicui qui priùs fuit in peccato (aliter Petrus & similiter Paulus non essent beati) ergo sequitur quòd nec maternitas repugnabit: & per consequens ista non est ratio sufficiens ad probandum Virginem non fuisse in originali peccato conceptam.

Præterea nihil est asserendum in factis Dei, quod in Scripturis non habet locum. Quia, ut dicit Hieronymus, quod Scripturæ testimonio non probatur, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Sed constat quòd ex nullo Scripturæ loco habetur expressè quòd Maria Virgo fuerit sine originali peccato concepta, imo potiùs apparet oppositum: igitur hoc asserere est temerarium & præsumptuosum. Cùm igitur de alijs concedatur quòd sint in originali concepti per modum propagationis, sequitur quod privilegium non est attribuendum Matri Christi: cùm ad hoc non videatur auctoritas aliqua, & cùm habuerit propagationis modum cæteris hominibus communem & conformem. Aliter pro libito voluntatis possem tenere de tota parentela Virginis Beatæ, quòd nullus eorum fuit in originali conceptus propter reverentiam Virginis: sicut & nunc dicitur Virginem non fuisse in originali conceptam propter honorem Christi; quod est frivolum.

Denique illud est, potiùs Virgini attribuendum quod ipsã reddit magis debitricẽ ad debitas gratiarũ actiones: sed habere tantam gratiam quantam

nunc

nunc habet positivè,& similiter fuisse ab originali purgatâ,magis est inductivũ ad majores gratias referendas;igitur hoc ſt magis Virgini attribuendum,quàm ſuum oppoſitum.Conſeq.patet,& Major ſimiliter;& Minor apparetper illã Salvatoris parabolã in qua dicitur:duo debitores erant cuidam fœneratori &c. & ſequitur,quis magis tenetur diligere?& reſpondit ille cui proponebatur exiſtimatio: quòd ille cui plùs dimiſit; & conſequenter Salvator ſuum reſponſum approbans, dicit:rectè judicaſti.Quare propoſitum &c. His & ſimilibus rationibus fratres Jacobitæ nituntur probare Virginem in originali fuiſſe conceptam.

Superſunt ad hæc plurimæ auctoritates Canonis. Unde Apoſtolus ad Rom. 5. cap. Per unum hominem peccatum intravit in mundum,in quo omnes peccaverunt: ſed conſtat quod qui,omne,dicit, nihil excludit; igitur & Beata Virgo in illa propoſitione univerſali includitur: quod eſt propoſitum.

Præterea ibidem ſubdit Apoſt. quòd ſicut unius, videlicet Adæ delictum regnavit in omnes homines ad condemnationem: ſic unius ſc. Chriſti juſtitia regnavit in omnes in juſtificationẽ vitæ.Ex qua auctoritate manifeſtè colligitur quòd in tot ſe effudit peccatum Adæ, in quot ſe diffundit Chriſti juſtitia: ſed ipſa Chriſti juſtitia ſe diffundit maximè in Virginem, igitur & ſimiliter peccatum Adæ. Quod eſt propoſitum.

Prætera David proph.dicit in Pſal. omnes declinaverunt & ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum,non eſt uſque ad unum, id eſt, Chriſtum,ſecundùm Gloſſam:igitur tantùm Chriſtus fuit à ſorde immunis,& per conſequens non Virgo Maria

Demum Eccleſiaſtes 5. cap. dicit: unum de mille virum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.Quod exponens Divus Pater Eremitarum Auguſtinus dicit: virum unum, id eſt, Chriſtum inveni ſine peccato, de mulieribus nullam. Cùm igitur Virgo Maria ſit de numero mulierum, habetur propoſitum.

Accedit quòd ad hoc faciunt auctoritates Sanctorum. Unde Auguſtinus in 2.lib.de Baptiſmo parvulorum dicit:jam reſtat inquirere utrum verũſit quòd aliquis potuerit eſſe ſine tali peccato(& loquitur de originali peccato) & infra reſpondens ait. Non eſt in filijs hominum quiſquam ſine peccato, nec fuit; excepto uno ſolo Mediatore, in quo nobis juſtificatio & propitiatio poſita eſt, per quem etiam ex infinitis inimicitijs peccatorum Deo reconciliamur. Ex qua auctoritate clarè videtur Auguſtinus ſentire quòd nullus alius à Chriſto eximitur à contractu peccati

originalis. Quare ſic habetur propoſitum.

Præterea idem circa finem illius 2. libri concludendo dicit. Teneamus fidei indeclinabilem confeſſionem; videlicet quòd ſolus unus eſt qui ſine peccato natus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, & ſine peccato vixit, & ſine peccato mortuus eſt propter peccata noſtra. Ex qua auctoritate manifeſtè concluditur, Virginem MARIAM non fuiſſe immunem à labe originalis peccati: quod eſt propoſitum.

Præterea Venerabilis Anſelmus libro 2. Cur Deus homo &c. cap. 15. dicit quòd licet hominis Dei conceptio munda ſit abſque carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipſa, unde aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater ſua, & in originali peccato nata: quoniam & ipſa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. Ecce quàm planum teſtimonium, quòd Virgo fuit in originali concepta.

Concordat cum hoc Sanctus Bernardus, in Epiſt. ad Clerum Lugdunenſem taliter inquiens. Ante Conceptionem Virgo ſanctificari minimè potuit; ſed nec quidem in ipſo conceptu, propter peccatum quod inhærebat: reſtat igitur quòd poſt in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quia excluſo peccato ſanctam fecit Nativitatem, non tamen Conceptionem.

Quamobrem etſi paucis filiorum hominum ſic datum eſt cum ſanctitate naſci, nulli tamen concipi: ut uni ſoli ſervaretur prærogativa conceptûs, qui omnes ſanctificaret ſolus; quia ſine peccato veniens purgationem fecit peccatorum.. Solo itaque Domino noſtro JESU Chriſto excepto, univerſos reſpicit de cæteris ex Adam natos, quod unus humiliter atque veraciter confitetur ad ſemetipſum dicens: in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea; & infra: libenter, inquam, hoc honore glorioſa carebat, ne peccatum honorari, vel falſa ſanctitas videretur induci. Nulla enim ratione placebat contra Eccleſiæ ritum præſumptuoſa novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis. Hæc ille. Ecce quid de ipſa Conceptione Virginis ſentit Bernardus, ipſius devotiſſimus exaltator.

Inſuper Magiſter Sentent. lib. 3. diſt. 3. cap. 1. dicit: ſanè ſi dici poteſt, & ita credi oportet juxta Sanctorum atteſtationis convenientiam, ipſam priùs fuiſſe peccato obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro, ſed Spiritus ſancti operatione mundatam: ita ut ab omni contagione immunis uniretur Verbo. Et loquitur ibi de carne ſeu portiuncula illa, ex qua Chriſti corpus fuit formatum. Ergo.

Tandem huic parti videntur ſuffragari alij venerabiles Doctores, ut puta, Frater Thomas de Aquino, Alexander de Ales: ut patet lib. 3. quæſt. 96. ubi quatuor tenet concluſiones. Vide ibi. Similiter Dominus Bonaventura in tertio diſt. 3. quæſt 2. Dominus Ægidius de Roma in Quodlib. Anguſtinus de Ancona, Henricus de Vrimaria, Jordanus, Gerardus de Senis, ſubtiliſſimus Doctor Gregorius de Arimino. Ex iſto patet quòd quidam Frater Joannes Loſow falsò & ignoranter impugnat Gregorium de Arimino, in quodam Sermone quem fecit de Conceptione, in quo intendit concordare opiniones diverſas de Conceptione; dicit enim quaſi ſic in fine Sermonis ſui.

Licet autem Joannes Scotus dictus, ſive Doctor ſubtilis appellatus, Gregorius de Arimino, Petrus de Aquila, Franciſcus Mayronis, & plures alij Doctores novelli, & eorum ſequaces, & Univerſitas Pariſienſis de illo ſingulari privilegio B. Mariæ Virginis faciant mentionem: quibus tamen, ut alij dicunt, credendum non eſt, tum quia novelli, tum quia à ſtatutis & Decretis Patrum ſuorum, videlicet Doctorum ſanctorum antiquorum, receſſerunt: & nullus eorum ſanctus ſit, ſaltem ab Eccleſia canonizatus. Hæc ſunt verba ſua.

Cui reſpondeo. Satis illi fuiſſet ut dicta ſua probaſſet abſque detractione doctiſſimorum virorum, quibus illa imponit quæ nunquam ſomniarunt. Allegat falsò Gregorium de Arimino, cujus dicta nunquam vidit. Et ideo benè convenit ſibi dictum ſive nomen detractoris Ordinis noſtri; ſicut Holkot, qui ſuper libros Sapient. ſcripſit, talem depingit dicendo: Voco hunc detractorem, qui multa mendacia contra Ordinem Divi Auguſtini ſcribit. Et ut ad propoſitum revertar, dicit ſic ſuper illud Sapient. ultimo: In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine; Quatuor peccatores magnificant ſeipſos in hac vita, videlicet jactatores: & hi ſunt pompoſi, qui mendosè ſibi attribuunt gratias quas non habent, ut ſeipſos extollant. Et infra: tales etiam ſunt nonnulli pſeudophiloſophi, qui ſibi arrogant & attribuunt meliores aliquorũ quęſtiones & tractatus, ac cõpilationes ſtudioſorum quos vix intelligunt; in quibus nihil habent proprium, niſi quòd pejùs recitant talia quę ſunt ab auctoribus compilata; ſic & iſte Frater Clemens Loſow facit: & quàm plurima alia in prædicto Sermone dicit. Allegat idem viginti ſex Doctores Ordinis Carmelitarum, & forſan non vidit duorum Doctorum dicta de prædicto Ordine; itaque ideo valde periculoſum eſt falsò allegare Doctores, qui totaliter ad id quod eis imponitur, oppoſitum ſuis in libris

reliquerunt. Modus ergo & imaginatio iſtius viæ, videlicet quòd ſit concepta in originali peccato, in hoc conſiſtit; quòd cauſa efficiens peccatum originale eſt commixtio maris & fœminæ libidinoſa: pro cujus remedio celebratum extitit myſterium Beatiſſimæ Incarnationis, quod valebat ut exhibitum, vel fideliter creditum in futuro. Ex cujus tamen concupiſcentiæ inordinato fervore complantata eſt in carne noſtra quædam qualitas morbida, quæ dicitur fomes peccati, & tyrannus ac lex membrorum: ſicut etiam remanet in nobis pœnalitas, utpotè ſitis, fames, morbi, mors & ſimilia. Et quia iſta lex fuit generalis omnibus deſcendentibus ab Adam per viam naturalis propagationis; & ideo quia fuit Beatiſſima Virgo MARIA concubinaliter propagata, indiguit redemptione, quæque ex hoc ſimiliter fuit pœnalitatibus dictis ſubjecta: & licet etiam fuerit à fomite purgata, conſequens tamen manet quòd in originali peccato fuit concepta; & in hoc conſiſtit modus iſtius viæ ſecundariæ procedentis per modum legalis imperij & generalis traductionis, qui, ut videtur, apparet multùm conſonus dictis veterum Magiſtrorum. Sed quia, ut video, iſti antiqui, ut puta, Thomas de Aquino, Bonaventura & cæteri maximè fundant ſe in iſto, quod Beatiſſima Virgo MARIA cum libidine & concupiſcentia fuerit concepta. Sed ut talis error extirpetur & ampliùs à fidelibus non teneatur, ponam contra illos unicam concluſionem ex dictis Doctorum; quæ talis eſt.

MARIA quamvis ex Ioachim & Annafuerit genita vel nata; non tamen ex libidine, ſed Spiritûs ſancti operatione fuit concepta.

Iſtam concluſionem probant egregij Doctores Ordinis Fratrum Eremitarum, Magiſter Joannes de Schildis, & Magiſter Joannes de Widenbrugge, ambo de Conventu Oſnaburgenſi Provinciæ Saxoniæ. Accedat proinde primò Magiſter Joannes, qui in ſecunda parte Vaniloquij ſuper Eccleſiaſten ex dictis rigidi Doctoris Hieronymi, qui compilavit vitam Annæ & Joachim, inquit ſic: Vidi enim, dixit Angelus, pudorem tuum, & audivi ſterilitatis tuæ opprobrium, nec rectè tibi objectum. Peccati quippe non naturæ ultor eſt Deus; & ideo cùm alicui uterum claudit, ad hoc facit ut mirabiliùs denuò aperiat, ut non libidinis eſſe quod naſcitur, ſed divini fore numinis cognoſcatur: proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen ejus MARIAM. Hæc Hieronymus.

Item idem Hieronymus clariùs hoc dicit. Non enim, inquit, ex libidine & humano vitioſo opere, ſed divina & ſancta operatione fuit ſecundùm

cundùm corpus & animam producta. Quapropter Hieronymus lib. 2. ad Pammachium & Marcellum contra Ruffinum, dicit Beatam Virginem in ſua origine de Spiritu ſancto natam. Hæc egregius Doctor Joannes de Widenbrugge.

Hanc eandem concluſionem probat egregius Doctor Hermannus de Schildis, in ſuo tractatu de Conceptione, in 2. parte, cap. 2. ubi ſic inquit: Communiter tenet Eccleſia quòd ex præcepto divino utique facto per Angelum, proceſſerunt ad generationis actum; & quòd miraculosè fuit in eis excitata virtus generativa, ſaltem in illo qui fuit ſterilis. Sine temeritate aſſertionis poſſet dici quòd non incongruum fuit quòd Deus dederit eis actum & effectum generationis ſine motu libidinis & abſque obfuſcatione rationis; ſicut generatio in Paradiſo fuiſſet, ſi homines in ſtatu innocentiæ permanſiſſent: ubi ſecundùm Divum Patrem noſtrum Auguſtinum non fuiſſet inordinata libido, nec rationis obfuſcatio; & delectatio nihilominùs tantò major quantò purior, ſine obfuſcatione rationis.

Quòd autem hoc rationabiliter datum ſit pijſſimis Beatiſſimæ Virginis parentibus, probatur. Sicut enim Matri Dei pro ejus ortu debetur omnis dignitas, quæ unquam alicui creaturæ ſecundùm ſuam ſpeciem eſt conceſſa: ita & parentibus juſtè debetur omnis ſanctitas quæ circa generationem prolis cuicumque eſt conceſſa; ſed, ut videtur, Tobiæ juniori, & fortè Abrahæ aliquo modo conceſſum eſt ut ſine libidine generarent; unde per Angelum Raphaëlem ſibi dictum eſt, Tobiæ ſexto: Tertiâ autem nocte benedictionem conſequêris, ut filij ex vobis incolumes procreentur; tranſactâ autem tertiâ nocte accipies virginem cum timore Domini, magis amore filiorum quàm libidinis ductus: ut in ſemine Abrahæ benedictionem conſequaris, &c.

Abraham & Sara ita ſenes ad actum generationis jubente & benedicente Domino proceſſerunt, quòd magis ratione & amore prolis moveri, quàm libidine moveri viderentur. Unde etiam Auguſtinus Pater noſter videtur dicere quòd cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ; ergo probabile videtur omninò, quòd Abraham & Tobias ad actum generationis ſine libidine proceſſerunt, ſaltem nulli dubium, &c. Quare ergo parentibus Beatiſſimæ Virginis non creditur piè conceſſum, quòd in generatione Matris Dei ſine omni libidine generationis actum à Deo mandatum perficerent? Hæc Hermannus de Schildis. Ex jam dictis patet qualiter occurrendũ, quid dicendum ſit ad rationes aliorum.

Sed antequam ad tertiam deveniam opinionem, volo priùs recitare aliqua dicta noſtri Doctoris Domini Bonaventuræ Patavini, qui quondam fuit Generalis Prior Ordinis Eremitarum, & tituli S. Cæciliæ Cardinalis Presbyter, utriuſque Juris clariſſimus Doctor: qui anno D. milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo ob doctrinã & eruditionem ſuam magno fuit in pretio; qui cùm acerrimè Eccleſiæ libertatem contra Tyrannos tueretur, à Carrarienſi Domino tandem ſagittâ transfixus martyrio coronatus fuit. Hic eruditiſſimus Doctor compilavit Tractatum unum de Conceptione Immaculatæ Virginis, qui ab æmulis in morte ſua fuit ſubtractus; ſed circa annum Domini M. cccc. LXVIII. per Reverendum Doctorem Joannem Agarrijs civem Pergamenſem reinventus fuit. Et ne nomen tanti Doctoris ignotum maneret, voluit ejus dicta in medium proferre; ego autem in medio volui ponere, quia in medio virtus conſiſtit, ut placet Philoſopho in pleriſque locis. Primò quòd dies Conceptionis ſolemniter celebranda ſit, rationibus infraſcriptis, inquit Dominus Bonaventura, clariſſimè demonſtratur.

PRIMO.

PEr textum in cap. Conqueſtus, de ferijs: ubi enumerantur dies feriati in honorem Dei, videlicet Nativitatis Domini &c. Ubi etiam dies omnium Feſtivitatum Virginis glorioſæ enumerantur; & inter alios numeratur etiam dies Conceptionis Deiparæ, & in ſolemnitate illius diei celebrantur Officia quæ celebrantur in Nativitate: excepto quòd ſicut in Nativitatis Officio dicitur, Nativitatis, ita in alio dicitur, Conceptionis. Et expreſsè hoc probatur in eo cap. circa finem, ubi textus dicit: & cæteros dies feſtos quos Epiſcopus Clero & populo duxerit venerandos &c. Sed Papa cum Clero & populo Romano, & alij Epiſcopi cum Clero & populo in eorum diœceſibus duxerunt venerandum diem Conceptionis; ergo eſt ibi textus expreſſus. Et per hoc tolluntur omnes auctoritates Doctorum vel Sanctorum qui fuerunt vel ſunt in contraria opinione. Quia in opinionibus magis credendum eſt Papæ quàm dictis Sanctorum: cùm Papæ & non alteri data eſt poteſtas interpretandi, ut patet per Dominum Antonium de Butrio, in cap. Per venerabilem, circa finem, in verſic. nota ſextum caſum generalem. Nec obſtat ſi dicatur Eccleſiam Romanam tolerare ſolemnitatem Conceptionis, propter incertitudinem diei ſanctificationis, & ideo in Officijs divinis dicitur, Conceptionis, & nõ, ſanctificationis. Reſpondeo quòd iſtud nihil aliud eſt quàm dicere,

dicere, Eccleſiam errare celebrando diem peccati ſc. Conceptionis, loco ſanctificationis.

Item eſſet alius error, ut ponatur unus dies pro alio: quia inter diem Conceptionis & diem infuſionis animæ, ſunt octuaginta dies in muliere, ſeu prout no. per Bart in L. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu ho. & Eccleſia ſciviſſet facere celebrare illam diem infuſionis & creationis animæ, ſicut celebratur dies Conceptionis.

SECVNDO.

PEr dictum Domini Antonij de Butrio moveor in dicto cap. Conqueſtus, de ferijs: ubi finaliter & concluſivè dicit hæc verba. Audio Eccleſiam approbaſſe opinionem Minorum, ſcilicet quòd non ſit concepta in originali peccato; & ita tenendum eſt ſecundùm ipſum Dominum Antonium. Idem dicit Abbas Panormitanus in eod. c. Conqueſtus; ubi dicit per hæc verba, dum loquitur de Conceptione Beatiſſimæ ſemper Virginis MARIÆ

Adverte, quia de hoc fuit longa altercatio inter Fratres Minores ex una parte aſſerentes conceptam fuiſſe ſine peccato originali, & Fratres Prædicatores aſſerentes contrarium. Unde Joannes Andreæ videtur ſequi opinionem Prædicatorum. Sed ego audivi ſolemnem Magiſtrum in Artibus & Theologia, Prædicatorem de Ordine Eremitarum S. Auguſtini, tenentem, Conceptionem fuiſſe ſine peccato originali. Movebatur principaliter, quia peccatum originale nil eſt aliud, niſi quidam reatus ſive obligatio ad pœnam æternam, quæ provenit ex peccato primorum parentum. Pro hoc allego bonum textum & notabilem in cap. firmiſſimè, de conſ. diſt. 4. Sed credendum eſt, Deum à principio ab hac obligatione abſolviſſe Beatam Virginem MARIAM, ex qua debebat carnem aſſumere; & hæc opinio mihi placet tanquam vera & rationabilis. Cùm enim in ea non ſolùm peccatum originale deleverit, ſed etiã omnem concupiſcentiam, adeo quòd peccare non poterat; ut no. in c. 2. de conſ. d. 4. & ibi vide per Glo. quid operatur peccatum originale, & quid tollatur per baptiſma: fortiùs credendum quòd à principio illam exemerit à peccato originali. Vide hîc Io. Cal. qui refert quòd B. Bernardus in Epiſtola ad Canon. Lugd. tenet quòd fuit in originali peccato concepta B. Virgo; & reprehendit illorum conſuetudinem, qui hoc feſtum celebrant: dicit tamen quòd poſt Conceptionem fuit conſecrata in utero. Et vide Gloſ. quæ utrumque ſentit in cap. de conſ. diſt. 2.

ubi

ubi Abbas dicit: Mihi tamen plus placet præcedens opinio, quæ, ut audio, hodie eſt approbata. Notandum quòd Bernardus in dicta Epiſtola, maximè in fine vult diem Conceptionis non fuiſſe celebrandũ inconſulto Papa, ergo à contrario, ipſo conſulto eſt celebranda; ſed hodie Papa ſatis videtur conſultus, cùm ipſemet hunc diem ſolemniter celebret.

Tertiò probatur ex ſalutatione Angeli Gabriëlis, Ave MARIA gratiâ plena, nam ubi aliquid deficit, non dicitur plenum; ſi ergo in MARIA defeciſſet illa gratia, ita ut non eſſet concepta ſine peccato originali, non poſſet dici plena gratiâ: nam verbum, plena gratiâ, continet in ſe gratiam Conceptionis ſine peccato originali; Joannis 1. Verbum caro factum, eſt ibi plenum gratiæ & veritatis: ubi verbum, plenum, denotat conceptionem ſine peccato originali. Facit. c. per venerabilem; qui filij ſint legitimi, circa finem, ibi plenam poteſtatem: quia intelligitur, & quoad temporalia & quoad ſpiritualia; & ſic verbum, plenum, concludit omnia, & maximè in B. Virgine. Nam ſicut per excellentiam, dum dicimus B. Virginem, intelligimus de Matre Domini, & de perfecta virginitate; ita Angelus dum dixit, plena gratiâ, intelligitur de plenitudine gratiæ omni perfectione decoratâ. Item per illud verbum, Ave, id eſt, ſine væ, & iſta indefinita æquipollente univerſali. L. Si neceſſarias §. anuabima. ff. de pig. ac. & L. ſi pluribus in prin. ff. de leg. V. & ſic ſine væ: id eſt, ſine omni væ: ergo ſine peccato originali, aliàs non fuiſſet ſine væ,

Quartò moveor, nam in Miſſa Nativitatis glorioſæ Virginis in lect. Libri Sapientiæ dicitur: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore &c. Quæ verba Sapientiæ attribuuntur ſolummodò B. MARIÆ, & non alteri. Nam ſi fuiſſet concepta in originali peccato, non poſſent illa verba adaptari B. M. Virgini: quia illo momento temporis quo concepta eſſet, non fuiſſet cum eo cuncta componens; quia dum durat peccatum originale, non diceretur eſſe cum Deo. Sic nec illa verba, & delectabar per ſingulos dies; quia dictio, per, denotat perfectionem & continuationem temporis. L. verbum pernoctare. ff. de verb. ſign. & per bar. in L. celsus ff. de uſu cap. & ſi concepta fuiſſet in originali peccato, non poſſet dici delectari per ſingulos dies, & non eſſet delectatio continua. Similiter illa verba, ludens coram eo omni tempore; quia qui, omne, dicit, nihil excipit. C. ſolitè de maj. & obed. & ſic tempore quo fuiſſet in originali peccato, non fuiſſet ludens coram eo: cũ peccator à Deo longè diſtare dicatur; & ad hoc faciunt verba lectionis

Sapientiæ

Sapientiæ in Missa communi B. M. Virginis, videlicet: Ab initio & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Nam dictio, coram, denotat audientiam ejus coram quo fit. L. coram. ff. de verb. sign. sed peccatores Deus non audit; ergo non verificarentur verba lectionis Sapientiæ in ipsis Missis quæ soli B. M. V. attribuuntur.

Quintò adducam authoritatem S. Bernardi in Hom. 13. super Sermone in Cœna Domini; ubi dicit per hæc verba, videlicet: non est in filijs hominum magnus vel parvus tantâ prædituς sanctitate, nec tantæ religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, vel in peccatis fuerit post conversatus: præter Matrem Immaculati peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis; de qua cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs volo habere quæstionem.

Sextò moveor tali ratione: nam opera Dei sunt perfecta, Deuter. cap. 32. Modò in filijs hominum natis ex masculo & fœmina est reperire aliquos conceptos & natos in originali peccato, ut communiter omnes de lege communi: aliquos verò conceptos in originali peccato & non natos, sed in ventre matrum sanctificatos, ut fuerunt Joannes Baptista & Jeremias. Restat ad perfectionem, ut reperiatur aliqua persona non concepta nec nata in originali; & ista tertia species non potest convenire nisi B. Mariæ: & consequenter necessariò dicendum est, ad hoc ut opera Dei sint perfecta, quòd B. Maria fuerit & concepta & nata sine peccato originali, aliàs opera Dei non essent perfecta; quod non est dubium. Præterea B. M. ab æterno electa & præparata fuit ut esset Mater Dei: ergo ista præparatio & electio fuit perfecta; & sic necessariò dicendum est quòd B. Maria concepta fuerit sine peccato originali, & sine defectu, vitio & macula: aliàs ubi defeciisset ista gratia, non diceretur perfecta electio & præparatio Dei ab æterno facta.

Septimò: non est dubium quòd Deus ex privilegio singulari potuit gratiam donare ejus Matri, & decens fuit majestati divinæ, ergo &c. Fuit enim elevata in cœlis super omnem plenitudinem sanctorum; ergo decens fuit ut & in terris haberet speciale privilegium, & sic excederet Joannem Baptistam & Jeremiam: fuit enim capax huius gratiæ, ut sine peccato originali conciperetur. Fuit decentiùs eam servari à peccato, quàm post peccatum reparari, ut dicit textus in L. fi. infi. c. 5. in quibus causis in interisti non est necessaria; ubi textus dicit: meliùs est intacta jura servari, quàm post causam vulneratam remedium quærere.

Octavò moveor per authoritatem Anſelmi, qui dicit: decuit ut Virgo quam Deus Unigenito ſuo præparavit in Matrem, eâ puritate niteret, quâ ſub Deo major nequit intelligi; videlicet per ipſum Anſelmum in lib. de Conceptu Virginali. Unde Cant. 4. Tota pulchra es amica mea &c. ſed major puritas eſt B. Virginis, ſi nunquam fuiſſet maculata contagione originalis peccati, quàm ſi fuiſſet concepta in eo: ergo ex authoritate Anſelmi B. MARIA concepta fuit ſine peccato originali. Nec obſtat quædam reſponſio cujuſdam Fratris de Ordine Prædicatorum, de Catalonia, nomine Dominicus, dicentis quòd B. Thom. ad hoc reſpondit: quòd nunquam anima B. Virginis fuiſſet contagione originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt omnium univerſalis Redemptor ſeu Salvator; & ſic iſta reſponſio nihil aliud concludit, niſi quòd Anſelmus malè dixerit: quia tenendo quòd non fuerit concepta in originali peccato, derogaret dignitati Chriſti; cùm non eſſet Salvator B. M. Virginis, quæ non indigeret redemptione. Quaſi velit dicere, quòd illa oratio univerſalis, Redemptor, non verificaretur: quia qui, omne, dicit, nihil excludit vel excipit. c. ſolitè de maj. & obe. Nam dicere quòd Deus præparavit Unigenito ſuo Matrem ſemel maculatam originali peccato, derogaretur dignitati Chriſti; quia gloria parentum redundat in prolem. Prov. 17. Gloria filiorum parentes eorum. Sicut vidimus de nobilitate, quæ tranſit in filios; nam natus ex cive, civis eſt, & originale domicilium ſequitur: & natus ex comitatenſi, comitatenſis eſt. L. aſſump. & L. 1. ff. ad municipales, &. L. Cum legitimæ, & L. lex naturæ ff. de ſtatu hoc. Nam propagatio alicujus clari feminis, procul dubio ſuam poſteritatem nobilitat. 61. dis. c. Si gẽs Angelorum. Et in extrav. Joan. 22. Execrabilis: & Joan. de Ymo, & Guiliel. in C'e. 1. de Bap. in glor. Regum. E contra ignominia parentũ tranſit in filios: unde ignominia peccati primorum parentum tranſivit ad prolem, ut eorũ deſcendentes concipiantur & naſcantur in peccato orig.; exceptis privilegiatis, de quibus ſuprà & infrà. Sic videmus in partu ancillæ ſeu ſervæ; quia partus ſequitur ventrem. ff. de ſtatu ho. L. pe. §. præterea, ſi ancilla, & L. partum. c. de rei vendi. Et ſic magis honoratur Chriſtus, concludendo quòd habuerit Matrem immaculatam & immunẽ à peccato originali, & ab omni peccato: quàm dicendo eam maculatam & poſtea mundatam, rationibus prædictis; & quia meliùs eſt intacta jura ſervari, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere, ut ſuperiùs dictum eſt per L. fi. c. in quibus cauſis in interiſti non eſt neceſſaria. Fuiſſet quidem ſanctificata

ficata poſt lapſum, tamen infamia peccati remanſiſſet: cùm non poſſit fieri de præterito futurum, neque ab ipſo Deo de potentia ordinaria, unde Hieronymus ad Euſtochium: audacter loquar, cùm Deus omnia poſſit, ſuſcitare Virginem poſt ruinam non poteſt. Facit lege in bello §. factæ. ff. de cop. & poſt li. rever. ubi dicitur: Facta pro infectis haberi non poſſunt. 2. Dico quòd dignitati Chriſti convenit honorare Matrem, quia non venit ſolvere legem, ſed adimplere: & in decem præceptis dicitur honorari debere parentes, & inferiùs etiam dicitur. Præterea patet per authoritatem Auguſtini, libro de Natura & Gratia; ubi dicit, dum loquitur de B. Virgine, propter honorem Domini nullam prorſus, dum de peccatis agitur, volo quæſtionem habere. Ecce quòd eſt honor Domini, ejus Matrem fuiſſe immunem à peccatis, tam originali quàm actualibus. De qua etiam auctoritate Patris noſtri Auguſtini inferiùs dicetur: & ſic expreſsè patet quòd non derogat dignitati Chriſti, ſi ſecus diceretur. Nec eſt dicendum quòd caro Chriſti quam aſſumpſit de Virgine fuerit de carne peccati, & infecta: & ſic caro Chriſti participaſſet de carne infecta; nec Conceptio Virginis poteſt dici ex concupiſcentia, nec mala: cùm Annuntiatio Conceptionis B. Mariæ cum expreſſione ejus nominis fuerit facta per Angelum Joachim & Annæ, & miraculosè, cùm eſſent ſteriles, maximè Joachim: ita & conceſſũ fuit ex privilegio ſpeciali, ut B. Virgo ſine peccato orig. conciperetur. Nec eſt veroſimile quòd Angelus nuntiaverit aliquid ex quo vel propter quod, & ſic immediatè vel mediatè, ſequi deberet peccatum. Imo ex Annuntiatione Angeli videtur quodammodo, ut ſic dixerim, conſecrata & modificata ipſa Conceptio B. M. Virginis: etſi dicatur, ergo non ſalvator omnium; Reſpondeo quòd B. M. præſervatâ ſic ob originali peccato, non propterea tollitur quin Chriſtus ſit ſalvator omnium; nam B. Maria ſalvata fuit per privilegium ſingulare præſervationis, ut nunquam fuerit in macula originalis peccati: & fuit ſalvata & mundata, non ab eo quod infuit, quia nihil erat, ſed ab illo quod infuerit, niſi præſervata fuiſſet. Et omni caſu non eſt dubium quòd ante Conceptionem Chriſti erat ſanctificata, & Joannes & Jeremias erant ſanctificati in utero matrum ante adventum Chriſti; ergo & ipſi non eguerunt redemptione Chriſti, intelligendo Scripturam judaicè. Sed quia talis ſanctificatio B. Joannis Baptiſtæ & Jeremiæ, & præſervatio B. Mariæ à peccato originali fuerunt factæ ad præparationem adventûs Chriſti, dicuntur redempti & ſalvati per Chriſtum: quia per ipſum Verbum omnia facta ſunt-

Joānis 1. & quidquid eſt cauſa cauſę, eſt cauſa cauſati, & prima cauſa magis influit; ut per Bal. in L. hæredes. c. ad velanum: & propter unumquodque tale, & illud magis. cle. 1. de reliqui. & venera. Sanctorum. in glo. 3. & 20. Ymo. in dicta cle. maximè in no. ſic dicitur Salvator omnium. Præterea reſpondeo, quòd propoſitio univerſalis verificatur, dato quod una perſona, vel duæ, vel tres ex privilegio non comprehenderentur ſub oratione univerſali: L. inter omnes. ff. qui ſatis dare coguntur; ubi dicitur, inter omnes interrogatos. Sic dicitur etiam in Officio Mortuorum, omnes quidem reſurgemus; & tamen B. Maria non reſurget, cùm ſit beata in corpore & anima in paradiſo, ſuper omnes thronos Angelorum. Facit. c. omnis utriuſque ſexus, de pœn. & re. Ubi illa oratio univerſalis verificatur, etiam dato quòd aliquis ſit exemptus, ſicut ſunt quatuor Ordines Mendicantes: quia Papa non ligatur per illud c. de neceſſitate, ſecundùm D. Anthonium de Butrio; & ſic non obſtat cap. de maj. & obed. Ubi dicitur: qui, omne, dicit, nihil excipit per illa verba, quidquid ligaveris; quia illa oratio univerſalis verificatur, ſcilicet clave non errante, & non faciente contrà Leviticum, ut patet in c. litteras, de reſt. ſpon, & ibi glo. or. & doc. facit L. ut gradatim. ff. de muneribus & oneribus. Ubi oratio univerſalis reſtringitur ad idoneos & aptos comprehendi ſub oratione univerſali; clariſſimè patet quòd authoritas Anſelmi remanet firma non obſtante reſponſione ipſius Fratris Dominici de Catelonia.

Nonò moveor per auctoritatem B. Thomæ in 1. Sententiarum, diſp. 40. art. 3. ad tertium argumentum; ubi dicit quòd B. Virgo immunis fuit à peccato originali. Nec obſtat ſi dicatur, ut dicit ille Frater Dominicus, quòd B. Thomas non dixit B. Virginem non fuiſſe conceptam in originali peccato, ſed dixit fuiſſe immunem à peccato originali: & quòd iſta duo ſunt ſimul vera in B. Virgine; ſcilicet quòd fuerit concepta in peccato originali, & quòd in ſuo ortu ab originali peccato immunis fuerit, & quòd authoritas B. Thomæ ita debet intelligi: maximè, quia alibi B. Thomas aſſerit eam conceptam in originali. Solutio iſtius Fratris nihil valet; nam cùm B. Thomas dixerit eam immunem à peccato originali, proinde eſt ac ſi dixiſſet eam non fuiſſe conceptam in peccato originali: quia qualitas adiecta verbo, intelligitur ſecundùm tempus; ubi L. in delictis. §. ſi extraneus. ff. de noxa. & per Bal. in L. 1. c. an ſervus ex ſuo facto, & in autem & omnino. c. ne uxor pro marito. Et ſic illa qualitas, immunem à peccato originali, intelligitur ſecundùm

tempus

tempus verbi, id eſt, ſecundùm tempus Conceptionis: & intelligo ſecundùm tempus verbi, non prout eſt pars orationis, ſed largè; undè etiam nomen & aliæ partes orationis appellantur L. verb. ff. de verb. ſign. ũ. nominis & rei. §. verbum ex legibus; & gloſ. ſuper rubri. c. 1. ff. de verbo, ſi, & in cle. de verbo, ſignificativè. Et ſic illa qualitas, immunem, adjecta huic verbo, à peccato originali, debet intelligi ſecundùm tempus peccati originalis, hoc eſt, Conceptionis; ut in dicto §. ſi extraneus. Ubi dicitur, quòd ſi ſervus commiſit delictum, & dedit damnum ſciente extraneo, qui poſtea redemit ſervum illum; quòd ille extraneus qui eum redemit, non tenetur in ſolidùm ad damnum datum ex maleficio ſervi: ſed poteſt dare ſervum per noxa: quia quod dicitur in L. 1. & 2. in prin. ti. ff. de noxalibus, quòd Dominus tenetur ex maleficio ſervi commiſſo ſciente domino, in ſolidùm, & non ſufficit dare ſervum pro noxa: intelligitur, ſi tempore damni & maleficij commiſſi erat dominus & ſciens. Et ſic illa qualitas, ſciente domino, intelligitur ſecundùm tempus verbi, hoc eſt, tempore damni dati; & ſecundùm illud tempus extraneus non erat dominus, & ſic non tenetur in ſolidùm, ut dicto §. ſi extraneus. Et dicere quòd habet intelligi eam immunem à peccato originali, ſcilicet quando nata fuit, eſt ridiculum: quia nullibi talis diſpoſitio reperitur; aliud eſt enim tempus Conceptionis, aliud tempus Nativitatis. Et ſi dicatur B. Thomam alibi dixiſſe quòd B. Virgo fuit concepta in originali peccato; dicendum eſt, aut quòd ſibi contradixerit, aut & veriùs, quòd ſe correxerit in 1. Sententiarum. Quòd B. Maria fuit immunis à peccato originali, facit textus in c. quamvis, de cenſibus, lib. 6. ubi dicitur Eccleſiam & eccleſiaſticas perſonas eſſe immunes à ſæcularium perſonarum exactionibus.

Decimò moveor authoritate D. Auguſtini in lib. de Natura & Gratia, ubi dicit: dum loquitur de B. Virgine, propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, volo quæſtionem habere. Nec obſtat ſi dicatur quòd authoritas S. Auguſtini debet intelligi de peccatis actualibus, & non de originali: quia cùm agit de peccato originali in libro decimo ſuper Geneſin ad litteram, de eo mentionem facit dicens: caro Adæ & Abrahæ habebat vulnus prævaricationis (ut L. membrorum) quæ per omnem propagata carnem tranſcurrit uſque ad corpus Mariæ; quia & ipſum eodem modo conceptum & exortum eſt. Ecce videtur dicere, corpus ipſius modo aliorum conceptum eſſe. Reſpondeo quod illa auctoritas Auguſtini intelligitur nedum de peccatis actualibus, ſed etiam

de originali : quia indefinitè dicit, de peccatis, & indefinita æquipollet universali ; & quia dicit, propter honorem Domini. Nam minùs debet B. Virgo peccatum contraxisse originale, quàm commisisse veniale ; quia per originale fuisset odio Deo, sed non per veniale, cùm possit stare cum charitate. Sed omnes concedunt Beatam Virginem nunquam commisisse peccatum veniale, ergo multò fortiùs concedendum est quod non contraxit originale. Quia si de quo minùs videtur inesse, & inest ; ergo de quo magis aut multò magis. c. de sa. sacræ Eccl. & Philosophus 2. Topicorum. Unde Augustinus multò magis intellexit de peccato originali quàm de veniali : quia majus vitium esset vitium peccati originalis, quàm venialis. Et patet etiam per illa verba, propter honorem Domini ; quia honor Domini est habere Matrem Immaculatam & præservatam ob omni peccato. Et patet quod cum mysterio dixit, prorsus nullam volo habere quæstionem ; & sic intellexit etiam de originali : quia de actualibus nulla est quæstio. Et verba Augustini super Genesim ad litteram ibi, usque ad corpus Mariæ debent intelligi, quód illa dictio, usque, stat exclusivè : quia ubi aliàs pravus resultat intellectus, semper stat exclusivè. Bar. in L. patronus, §. sempromo insi. ff. de legatis 3. & in dicto §. plenè tractat de dictione, usque : nam aliter illa dictio, usque, nullum haberet intellectum. Quia si staret inclusivè, non fuisset necesse dicere, usque ad corpus Mariæ, sed simpliciter dixisset, per omnem propagata carnem ; imo si staret inclusivè, sequeretur quód seeus esset in alijs post Mariam, quod est absurdum : nec obstant illa verba Divi Patris Augustini ibi : quia & ipsum eodem modo conceptum & exortum est, quia per illa verba non dicit quod sit concepta & exorta in peccato originali ; & verba Augustini non possunt intelligi de originali peccato, cùm dicat copulativè, conceptum & exortum : quia nemo dubitat de exortu & nativitate, quin tunc esset sancta & immaculata. Debent ergo intelligi illa verba Augustini, quia & ipsum eodem modo conceptum & exortum est, scilicet apparenter & apud vulgum ; non autem existenter, propter privilegium, immunitatem & gratiam, quibus attentis fuit immunis à peccato originali. Stat ergo firma authoritas August. quód loquatur de omnibus peccatis, tam originali quàm actualibus : ut sit honor Domini habuisse Matrem nunquam aliqua macula maculatam. Nec obstat quod dicit Augustinus in c. firmissimè de Conse. dist. 4. ibi dicit : firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur in origi-

in originali naſci ; ergo B. MARIA in peccato originali concepta fuit. Sed reſpondeo quòd huic generalitati derogat ſpecies, ut L. doli clauſa. de verbo obed. & in regula generis per ſpeciem derogatur de reg. juris. lib. 6. ſed in ſpeciem Auguſt. dixit : cùm de peccatis agitur, nullam prorſus de B. Virgine volo habere quæſtionem. 2. Reſpondeo quod in dicto c. firmiſſimè, Auguſt. loquitur de lege communi : ſed Beata MARIA habuit hoc de ſpeciali lege. Patet etiam, quia ibi concludit pariter de Nativitate & Conceptione, dum dicit, naſci: & nullus dubitat de Nativitate B. MARIÆ, quin nata ſit ſine peccato originali. Item reſpondeo quod oratio univerſalis Auguſtini, dum ſubdit: nullatenus dubites in hominibus bonis & malis futuram eſſe communem reſurrectionem ; non habet locum in B. Virgine ; quia non ampliùs reſurget, cùm nunc in corpore & anima ſit in cœlo ſuſcitata.

Undecimò moveor per authoritatem Chriſti, qui dixit : inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta, arguendo à ſufficienti partium enumeratione. Quia alterum de tribus oportet nos dicere : aut dicere B. MARIAM non fuiſſe conceptam in originali peccato, & ſic ipſa non dicetur cecidiſſe ut Mater, nec reſurrexiſſe ob ōni peccato originali; & ſic vera eſt authoritas Chriſti, & B. MARIA major eſt Joan. Bap. Aut & ſecundò neceſſè eſſet dicere quòd Joannes Baptiſta major eſſet B. Virgine ; quod eſt contrà omnes. Aut. 3. neceſsè dicere illud, quod eſt impoſſibile, quòd Authoritas Chriſti non eſſet vera, quod erroneum eſt ; Joannis 1. plenum gratiæ & veritatis. Ergo neceſſariò dicitur, ut ſupra, B. MARIAM non cecidiſſe, nunquam contraxiſſe peccatum originale. Et ſic non ſurrexit à peccato originali, ſicut ſurrexit Joannes Baptiſta : & illa verba Chriſti, inter natos mulierum, comprehendunt tam natos quàm natas, quia maſculinum concipit fœmininum. L. liberorum, ff. de verb. ſigni.

Duodecimò probatur ex alia authoritate Chriſti, dum dixit : non veni ſolvere legem, ſed adimplere ; ut patet in Evangelio. Modò ſic : ſecundùm Legem præceptum erat & eſt, patri & matri honorem exhiberi : ergo Chriſtus implendo legem, voluit, cùm eſſet & ſit infinitæ potentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ & bonitatis, honorare Matrem ; cùm eſſet & ſit agens perfectiſſimum, eo honore perfectiſſimo, quo Mater Dei eſſet diſpoſita & congrua. Sed cùm eſſet electa Mater Dei ab æterno, erat congrua & diſpoſita fieri nobilior puriorque quàm poſſit creatura cogitare ; ſed non poſſumus cogitare & dicere ipſam fuiſſe conceptam ſine peccato originali, ac etiam modo nobiliori quo imbecillis intellectus

noſter

noſter attingere non poteſt. Igitur Deus infinitæ potentiæ eâ dotavit, non tantùm ut eſſet ſine peccato originali, ſed etiam nobiliori modo; ita quod imbecillis intellectus attingere non poteſt, & oculus non vidit, nec in cor hominis aſcendit quantas gratias, præeminentias, honores, immunitates & privilegia Deus Matri præparavit pariterque conceſſit.

Tertiò decimò adeſt authoritas expreſſa Sanctiſſimi Baſilij in Sermone Annuntiationis Virginis MARIÆ taliter de ipſa dicentis. Quid dulciùs, Fratres chariſſimi, quid jucundiùs, quid ſalubriùs, aut quid fœliciùs quàm de B. Virgine loqui, de Virgine cogitare, de Virgine prædicare, & eam in omnibus ſequi & imitari? Hæc eſt redemptio noſtra, ſalus, vita, ſpes, refugium, conſilium & auxilium noſtrum: hæc eſt quæ fuit in utero matris abſque originali peccato concepta & generata, ab omni mortali vitio ſegregata, ab omni etiam veniali peccato privata; & in continuis actibus & moribus, Spiritûs-ſancti gratiâ plena & fœcunda.

Quartò decimò arguitur: nam argumentum ab inconvenienti vel ab abſurdo validum eſt. L. qui ſtipendia. c. de procur. L. nam abſurdum. ff. de bo. lib. modò arguitur à ſufficienti partium enumeratione, quòd volens dicere B. MARIAM Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, neceſſè eſt ut ſe fundet ex quatuor cauſis, vel alterâ earum. Videlicet, aut dicat hoc eſſe, quod Deus non potuit facere quin ipſa in originali conciperetur, aut quia non ſcivit, aut quia non voluit, aut quia B. MARIA non erat capax: quæ omnia & quodlibet eorum ſunt impoſſibilia, abſurdiſſima & inconvenientia, ut infrà probatur; ergo neceſſariò dicendum erit quod concepta fuerit ſine originali peccato. Quod prædicta ſint inconvenientia, impoſſibilia & abſurdiſſima, probatur; nam arguere potentiam Dei, eſt hæreticum & contra articulos Fidei ibi, Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. & in Evangelio Lucæ, ubi dicitur: quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum; & ſic eſſet abſurdiſſimum, impoſſibile & inconveniens dicere quod Deus non potuerit: imo non ſolùm de poteſtate abſoluta ſed etiam de poteſtate ordinaria, nam Princeps ſolutus eſt legibus. L. princeps. ff. de legibus. & nemo poteſt ſibi legem dicere à qua recedere non liceat. L. ſi quis in principio teſtamenti, in prin. ff. m. facit: quod no. do. Anthonius de Butrio in c. omnis utriuſque ſexus, de pœnitentijs; ubi dicitur quod Papa non ligatur vigore illius capituli. Multa exempla poſſent adduci. Potuit enim Deus animam Lazari de limbo reducere: & fuit in ſuſcitatione Lazari

diſpenſatum

diſpenſatum contrà duo ſtatuta & decreta naturalia; videlicet quód ſtatutum eſt homini ſemel mori, & Lazarus bis mortuus eſt: aliud decretum & lex naturalis eſt, ut privationis ad habitum non ſit regreſſus, ſecundùm Philoſophum. & L. inter ſtipulantem. §. ſacram. ſi de verbo ob. ergo &c. Simili modo eſſet abſurdiſſimum, ſi diceretur Deum non ſciviſſe, cùm ſit infinitæ ſcientiæ & ſapientiæ; undè A poſtolus: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! ſapientiam Dei quis enarrabit? Idem de tertio dicendum eſt; nam dicendo quod Deus noluerit, eſſet arguere ſummam veritatem Chriſti, qui dixit in Evangelio: non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Et licet lex Moyſis fuerit ſoluta quoad cæremonialia, non tamen quoad præcepta: ſed lege divinâ præceptum erat patrem & matrem honorare, ut & ſuprà; ergo neceſsè eſt dicere quod Deus voluerit: aliter enim eſſet contra illud Joannis 1. ibi, plenum gratiæ & veritatis. Sic ergo probo: quia Verbum caro factum, eſt plenum gratiæ & veritatis, neceſsè eſt dicere quód voluit Matrê honorare, & honorando voluit eam eſſe ab omni peccato originali & actuali mundam & immaculatam; aliter eam non honoraſſet honore congruente divinitati, quod eſt abſurdiſſimum & inconveniens. Cum enim dicitur, Honora patrem tuum & matrem tuam, ſupple, quantùm fieri poteſt; ſed fieri poteſt quód Beata Maria fuerit præſervata ab originali peccato, ut ſupra, ergo & factum fuit: aliàs Dei potentia in hoc fuiſſet fruſtrata, quod eſt impoſſibile, cùm Deus & natura nihil agant fruſtrà. Honoravit ergo Deus Matrem nedum in Conceptione, ſed etiam ante, immittendo Angelum ad annuntiandum Joachim & Annæ, Conceptionem Beatæ Virginis, & ejus nomen. Et ſic probo: quia honoravit Beatam Mariam ante Conceptionem; quantó plus ejus conceptum voluit honorare? Idem dicendum eſt de quarto. Si quiſpiam diceret: fateor quod Deus potuit, ſicut & voluit, ſed intelligendum eſt quatenus B. Maria fuit capax ut ſine originali conciperetur; ergo &c. Reſpondeo, quod ſimiliter & iſtud eſſet abſurdiſſimum; cùm B. Maria fuerit capax ut eſſet Mater Dei & Virgo perfecta ante partum, in partu, & poſt partum, eſſet elevata ſuper thronos Angelorum: & ipſa ſola habuerit hanc gratiam & præeminentiam; quantò plus fuit capax hujus gratiæ, ut ſine peccato originali conciperetur? certè multó plus. Quia ſi illud de quo minùs videtur ineſſe & ineſt, ergo illud de quo magis. c. de Sa. San. Eccl. & Philoſophus 2. Topicorum: ſed minùs videtur ineſſe poſſe quód ſola B. Maria

fuerit Mater Dei, & digna in ſuo utero portare & claudere quem totus non capit orbis; & eam eſſe Virginẽ ante partum, in partu & poſt partum, & eſſe elevatam in paradiſo ſuper omnem plenitudinem ſanctorum: ergo multò magis fuit capax ut conciperetur ſine originali peccato, quod eſt minùs. Ad hoc optimè facit illud quod dicit Beatus Thomas parte 3. quæſt. 27. art. 4. ubi taliter inquit: Quos Deus ad aliquod elegit, ita præparat & diſponit, ut ad illud ad quod eliguntur, inveniantur idonei: ſed Deus elegit Beatam Mariam in Matrem Unigenito ſuo; ergo ita diſpoſuit, ut inveniatur idonea & capax concipi ſine peccato originali. Nam omnis prærogativa honoris inferiori Mariæ conceſſa, non eſt ipſi Mariæ denegata: ſed Angelis & primis parentibus conceſſum eſt eos à peccato originali eſſe immunes, & tamen ſunt inferiores Maria: quare Eccleſia cantat ſic, Exaltata es Sancta Dei Genitrix ſuper thronos Angelorum; ergo hæc prærogativa non eſt Mariæ denegata. Nec convenit quòd Eva ſit major Virgine Maria; ſed benè congruum fuit, ut ſicut Eva fuit ſimilis Adæ ad corruptionem, ita B. Maria eſſet ſimilis Chriſto ad reparationem: & ſic neceſsè erat & congruum, ut eſſet à peccato originali immunis, ſicut & ipſe Chriſtus; nam omne agens perfectum agit ſecundùm congruentiam & diſpoſitionem in ſubjectis ſibi diſpoſitis & ordinatis. Exemplum in ſole qui hoc demonſtrat in ſuis qualitatibus, ſcilicet, in lumine, in calore & in vigore; quia omnia illuminat, omnia calefacit, omnibus vigorem tribuit, niſi contraria opponantur: ſed Deus eſt agens perfectiſſimum, cui nullus contradicere poteſt; nam omnia poteſt (niſi ea quæ includunt contradictionem) & in infinito modo poteſt plus quàm creatura cogitare poſſit, & ſcit facere pro ſua infinita ſapientia, & facit propter ſuam infinitam bonitatem, ſe communicando creaturis ſecundùm earum capacitatem: ſed Beata Maria cùm eſſet electa Mater Dei ab æterno, erat congrua, capax & diſpoſita fieri nobilior & purior quàm creatura cogitare poſſit; modò nos poſſumus cogitare, ipſam fore ſine peccato originali conceptam.

Quintò-decimò: ubi duæ cauſæ concurrunt ad producendum diverſos effectus circa idem ſubjectum, cauſa potentior & velocior citiùs producit effectũ ſuum; modò in propoſito Conceptionis B. Mariae V. concurrerunt duæ cauſæ, ſcilicet natura naturalis & natura naturata; videlicet Spiritus S. concurrit ad præſervandum Virginem à peccato originali, & natura naturata, & ſic peccatum primorum parentum concurrit ad eam maculandam: ſed Spiritus-ſanctus eſt potentior & velocior omni naturâ naturatâ.

turata. Sap. 7. dicitur, est mobilior omni mobili; ergo Spiritus S. citiùs produxit effectum suum, scilicet præservationem à peccato originali, quàm natura, & sic peccatum produxerit suum effectum, scilicet maculam peccati originalis; ergo &c.

Ultimò, ad comprobationem prædictorum, & ad ostendendum inconvincibiliter quòd B. Virgo non fuerit in originali concepta; præmitto quód ante transgressionem primorum parentum nulla erat repugnantia inter carnem & spiritum, nec aliqua infirmitas; sed post peccatum humanum genus privatum fuit illâ iustitiâ originali. Hinc descendit quòd de lege communi omnes qui per concubitum viri & mulieris concipiuntur, in peccato originali & concipiuntur & nascuntur. c. firmi. de Conse. dis. 4. hinc etiam descendit quod propter transgressionē primorum parentum, & propter fomitem & infirmitatē seu maculam peccati originalis, omnis ætas prona est ad malum. c. omnis ætas 12. q. 1. undè Apostolus inquit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. Hinc etiam descendit quód justus cadit septies in die, scilicet venialiter. Ad hoc facit quod dicitur in Evangelio Passionis Domini: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma; & sic semper repugnat caro adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.

Item præmitto quod dicitur in Genesi 3. cap. ubi post peccatum & inobedientiam primorum parentum Dominus Deus dixit mulieri: multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios &c. Adæ dixit: in sudore vultûs tui vescéris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es & in pulverem revertêris. Ex his sic præmissis noto quod peccatum originale proveniens ex transgressione primorum parentum, producit & causat supradictos effectus; videlicet quia omnis ætas prona est ad malum, & caro est infirma & repugnat adversùs spiritum, & etiam justus cadit venialiter; & mulier parit cum dolore, & revertitur in terram, ut suprà. Hinc est quod isti effectus sunt adeo connexi peccato originali, quod unum non potest stare sine reliquo, & videntur quodammodo correlativa inter se, ut posito peccato originali, necessariò ponantur dicti effectus: & sic posità causâ ponuntur effectus, & cessante causa cessat effectus. c. cum cessante, de Apel. c. cum infinitas, de pœn. & re. c. etsi Christus, circa finem, de Jurejurando. Sed in Beata Virgine cessant & cessarunt omnes effectus qui proveniunt necessariò ex causa peccati originalis secundùm omnes; quia ejus ætas nunquam fuit prona ad malum, item ejus caro nunquam fuit rebellis adver-

sùs ſpiritum; item nunquam peccavit venialiter nec mortaliter, & ſic non poteſt dici quod ceciderit ſepties in die. Item non peperit cum dolore, ſed cum gaudio valde magno. Item nec reverſa eſt in pulverem, ſed ſuſcitata eſt & elevata eſt in corpore & anima ſuper thronos Angelorum: ergo neceſſariò concludendum eſt quod fuit præſervata & immunis à peccato originali; quia ſi concepta fuiſſet in originali, ſecuti fuiſſent in ea effectus peccati originalis (quia cauſa ſemper producit ſuos neceſſarios effectus) & nullus ex viro & muliere natus reperitur tantæ ſanctitatis, qui fuerit exemptus à præmiſſis effectibus peccati originalis, præter B. Virginem: nam dicti effectus ſunt connexi cum peccato originali, & connexorum idem eſt judicium. L. cum actu, & ibi glo. & Angel. ff. de neg. geſt. & diſpoſitum in uno ex correlativis, intelligitur diſpoſitum in alio. L. ſi uno. ff. loca. Unde diſpoſitum in dictis effectibus peccati originalis, à quibus B. Maria fuit immunis & exempta, videtur etiam diſpoſitum erga peccatum originale; ut pariter fuerit exempta & immunis à peccato originali. Facit, quia una determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet ea pariter determinare. L. jã hoc jure & pu. de vul. & L. quãvis. c. de impuberum & alijs ſubſtitutionibus. Sic ergo neceſſariò concluditur quod B. M. fuit præſervata & immunis à peccato originali: tum quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, & è contra, ut in dictis juribus; & per Bal. in L. 1. c. de conditione ob cauſam, ubi dicitur: deficiente ſubſtantia deficit accidens, vel deficiente cauſa, quæ eſt neceſſaria ad effectum producendum, ceſſat effectus; tum quia ſunt connexa, ſcilicet cauſa & effectus cauſæ. Item ſunt correlativa, ut ſupra: & ſic diſpoſitum in uno ex correlativis, videtur diſpoſitum & in alio. L. ſi uno. ff. loca ut ſupra. Ergo neceſſariò concludendum eſt quod B. Virgo non fuit in originali peccato concepta: quia ſi fuiſſet in originali peccato concepta, neceſſariò ſecuti fuiſſent effectus peccati originalis, qui nunquam fuerunt in Beata Virgine. Etſi dicatur: ceſſat cauſa peccati originalis in B. Maria per ſanctificationem in utero, & per hoc fortè ceſſant alij effectus de quibus ſupra; nam & Baptiſmus delet tam peccatum originale quàm actuale etiam ſine pœnitentia. c. ſine pœn. de Conſe. diſ. 4. ergo & per Baptiſmum & per ſanctificationem in utero videtur quod ceſſare debent dicti effectus; quia ceſſat peccatum originale. Reſpondeo quod in caſu quo fuiſſet concepta in originali peccato, ſtatim proſternata fuiſſet caro Mariæ & debilitata, quod non obſtante ſanctificatione, nec obſtante Baptiſmo; nihilominùs remanent dicti effectus peccati originalis, ut habetur in

tur in c.5. de Conſe. diſ. 4. ſicut dicimus : ſi ex percuſſione ſit aliquod vulnus illatum in aliquo membro , ut neceſſariò ſequatur debilitatio membri, & relinquatur cicatrix ; licet vulnus conſolidetur & ſanetur, tamen remanet & debilitatio membri, & cicatrix. Sic eſt in peccato originali : quia eſt tale vulnus in carne hominis, quod licet deleatur & tollatur peccatum originale, & ſic illud vulnus , ut puta , per Baptiſmum vel ſanctificationem , tamen remanet cicatrix & debilitatio membri;& neceſſariò relinquuntur reliquiæ, debilitatio, fomes, infirmitas carnis, & defectus & effectus prædicti , ut in dicto. c.5. de Conſe. diſ.4. Et ad cõprobationem prædictorum facit; quia in privilegijs Principum terrenorũ caducorum , qui habent poteſtatem limitatã & caducã: habemus quod ipſa privilegia habent vim naturæ & veritatis , ut dicit Bal. in L. ſive poſſidetis.c. de proba. de cive ex privilegio. & Joan. in c. ſi de conſuetudine. Li.6. in novella, in clerico qui ex privilegio habetur pro præſidente ; & Bar. in L. ſi is qui pro emptore. ff. de uſura in 3. q. principali. Ubi tractat de fictione inductiva , quæ fictio inductiva eſt jure certa non exiſtente poſſibili , tamen in genere à jure facta ; ut in fictione legis, qui in utero , & Lege finali Digeſtorum de ſtatu hominum, ubi qui in utero eſt fingitur pro nato : & in Juſti. ℣. execut. §. ſed ſi in bello , ubi mortuus habetur pro vivo : & tamen hæc ſunt facti, ſcilicet naſci, vivere ; ſed æquitas eſt cauſa fictionis. Nam ea quæ denotant fictionem & improprietatem, ſi apponuntur in lege , juxta illud quod poteſt eſſe verum , ſecundùm veritatem & improprietatem magis dicuntur verba expreſſiva veritatis, quàm improprietatis vel fictionis ſignificativa : cùm in genere poteſt eſſe verum, naſci , qui in utero eſt ; & mortuum , ſi non fuiſſet mortuum , vivere: ſecus eſſet ſi talia verba denotantia fictionem apponantur juxta ea quæ in genere & in ſpecie ſunt impoſſibilia; ut quod unus ætatis annorum 18. ſit pater unius ætatis annorum 25. ideo talis minor non poſſet adoptare in filium majorem ætate. L. ſi paris, & L. adoptio ff. de Adoptionibus. Quia ars mutat naturam , ut ibi; ſi pro , quia prædicta procedunt in natura naturata & caduca, quæ in operibus ſuis exigit tempus & ſucceſſionẽ temporis: quantò fortiùs in natura naturãte, quę in inſtanti ſive momento tẽporis operatur? Unde quod B. Virgo fuerit immaculata & munda à peccato originali, & quòd haberet illud privilegiũ Cant.4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te & illud privilegium Sapientiæ; Antequam quidquã faceret, ego jam concepta eram. Illa privilegia ſunt poſſibilia in genere apud Deũ, quia apud Deum non eſt

impossibile omne verbum; & sic illa privilegia, scilicet quòd B. Virgo fuit & sit sine macula originalis peccati, & quòd concepta fuerit ante transgressionem primorum parentum, & sic tempore innocentiæ; sunt expressiva veritatis, secundùm Bar. 10. an. & Bal. in Juribus prædallegatis, ergo &c. Nec obstat si dicatur, B. V. Maria mortua est, ergo concepta fuit in originali peccato; quia Gen. 2. dicitur: In quacumque die comederis ex eo, morte morieris: ergo effectus causatus ex peccato originali habet locum in B. Virgine. Ad illud respondeo, quòd & Christus mortuus est, & tamen non fuit in originali conceptus. Item dico quòd mors corporalis non est effectus peccati originalis; quia ubi in veteri Testamento, fit mētio mortis, ut morte morieris, vel qui non obedierit Principi, morte moriatur: nō intelligatur de morte corporali, sed de peccato & morte spirituali, ut c. 5. de Maj. & ob. & ita dicit dominus Antonius de Butrio, & doc. in c. per venerabilem, extra; qui filij sunt legitimi, & si. cæteris. Et ita Ecclesia cantat in Missa: quam celebrat per Octavam solemnitatis Paschalis: Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit; & sic loquitur de destructione peccati, non autem mortis corporalis. fa. Cle. 1. de re. & ve. Sanctorum, in versi. Dedit ergo se nobis in pabulum &c. ibi: cùm illius esus, videlicet Adę & Eve, meruit lęsionem istius gustus, meruit sanitatem; & ibi: & unde mors subit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur, Quacumque die comederis, morte morieris; de isto verò legitur, si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et ibi: Sume, quia impinguat non corpus, sed cor; non carnem, sed animam. Et sic patet quòd illa verba tam in veteri Testamento quàm in novo, respiciunt solam animam, sive loquantur de vita, sive de morte. Et sic non est verum quòd mors corporalis B. Mariæ fuit aliquis effectus causatus ex peccato originali. Facit glo. in c. Cle. in verbo medela, quæ dicit: Et sic de cibo dicere possumus: cibus damnavit qui & salvavit. Unde de muliere dicitur, mulier salvavit quæ damnavit; & sicut mulier quæ damnavit, scilicet Eva, fuit sine peccato originali, ita & multò fortiùs mulier quæ salvavit, scilicet B. Virgo, cùm habuerit omnem plenitudinem gratiarum quæ per partes alijs concessæ sunt. Concluditur ergo quòd in B. Virgine cessaverunt omnes effectus qui necessariò causantur à peccato origin. & sic cessavit causa, scilicet ipsum peccatum originale. Quibus ex omnibus concluditur quòd B. Virgo Maria concepta fuit sine peccato originali. Ex prædictis patet clarissima solutio ad omnia quæ deducuntur per aliquos volentes pertinaciter tenere oppositum.

positum. Nihilominùs ad majorem declarationē compendiosè & in specie referemus aliqua quę deducuntur per aliquos. Primò non obstat dū dicunt aliquos Theologos tenere oppositum. Resp. quod plures alij tenent contrarium, scilicet quod non sit in originali concepta. 2. Respondeo per authoritates & rationes superiùs adductas, quæ prævalent: & per c. Conquestus, de ferijs; deducendo, ut superiùs in principio deduxi.

Secundò non obstat illud Psalm. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; glo. exponit, usque ad Christum: ergo B. Maria aliquando declinavit, & inutilis fuit. Respondeo quod Christus fecit bonum amando Matrem, & eam præservando ab originali peccato, nec per hoc concluditur quod B. Maria concepta fuerit in originali: nam originale peccatum non est facere bonum nec malum, quia non venit ex peccato concepti nec concipientium, sed ex propagatione transgressionis primorum parentum: quia peccatum originale est reatus ad pœnam damni, proveniens ex propagatione primorum parentum, obligans nos ad pœnam damni, secundùm Thomam Argentinam, Franciscum de Mayronis, & alios Doctores: vel etiam quædam obligatio ad pœnam privationis visionis Dei, propter peccatum primorum parentum; & istud peccatū originale differt ab alijs in duobus. Primò, quia contrahitur involuntariè, sed alia voluntariè. Secundò, istud peccatum provenit propter defectum & transgressionem primorum parentū, alia peccata non. Præterea non imprimitur à Deo creante animam; quia quidquid Deus fecit, est valde bonum: nec à patre nec à matre generantibus, quia jam in baptismo sunt purgati; nec à concepto, & sic peccatum originale non est aliquis actus malus, quia anima rationalis priùs contrahit peccatum originale antequam eliciat aliquem actum; sed contrahitur ex lege. Deus in principio Gen. legem statuit, ut si quis ab ea apostataret, tota ejus propagatio reatum originalem incurreret, ut notatur in 2. Sententiarum: & sic argumentum non obstat, quia peccatum originale non est facere malum. 2. Respondeo quod oratio universalis non extendit ad privilegiatos, ut suprà dictum est; maximè in octava ratione de authoritate Anselmi: cunctis no. su. in ultimo fundamento in ℣ si. & ad comprobationem prædictorum.

Tertiò non obstat illa ratio, dum dicitur: quia nisi B. Virgo concepta fuisset in peccato originali, Christus non videretur redemptor omnium; quia ibidem in quarto fundamento plenè responsum est.

Quartò, non obstant rationes aliquorum adductæ contra authoritates

Anselmi,

Anſelmi, & B. Thomæ de Aquino : nec. c. firmiſſimè de Conſe. diſ. 4. quia ſupra plenè reſponſum eſt.

Quintò, non obſtat illa ratio, dum dicunt quòd Chriſtus venit ſalvare quod perierat ; ergo B. Maria niſi periſſet, non diceretur ſalvata. Ad hoc reſpondeo quòd non ſequitur : venit ſalvare quod perierat, ergo B. Maria perijt ; quia non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Secundò reſpondeo quod Deus præſervando B. Virginem ab originali peccato, dicitur eam ſalvaſſe ; non ab eo quod inerat, ſed ab eo quod infuiſſet, niſi ex privilegio præſervata fuiſſet, ut ſæpe dictum eſt. Item, non fuit damnata, ergo ſalvata.

Sextò, non obſtat illa ratio : ſi non fuit concepta in tali peccato, ergo injuſtè fuit injuncta pœna mortis, & aliæ corporales miſeriæ & paſſiones. Extra de Conſti. c. cognoſcentes. Ubi textus dicit, rem quæ culpâ caret, in damnum revocari non convenit : ſed Virgo Maria fuit verè mortua, & mori eſt ex culpâ originalis peccati, ergo &c. Reſpondeo quod iſtud argumentum non concludit : nam & Chriſtus mortuus eſt, & non fuit in peccato originali conceptus. Et quod dicitur, non datur pœna ſine culpa, adde, vel ſine cauſa : Virgo igitur Maria non fuit mortua propter culpam, ſed propter cauſam, etiam dicitur de Chriſto : ſic etiam poteſt dici de omnibus ſanctis Martyribus. Adde ea quæ dicuntur ſupra in ultimo fundamento.

Septimò, non obſtat authoritas Apoſtoli ad Rom. 5. Omnes in Adam peccaverunt ; & hæc eſt ratio, quia fuimus in Adam ſecundùm rationem ſeminalem : ergo B. Virgo contraxit peccatum originale. Reſpondeo quod illa authoritas non poteſt intelligi ſimpliciter, quia eſſet error ; cùm & Chriſtus fuerit in Adam ſecundùm ſeminalem rationem : oportet ergo nos dicere, omnes in Adam peccaverunt præter Chriſtum per naturam, & Mariam per gratiam & privilegium ſingulare ; & oratio univerſalis non trahitur ad privilegiatos, ut ſupra in quarto & decimo fundamento

Octavò, non obſtat quædam alia ratio, dum dicitur : ſi Beata Virgo non contraxiſſet peccatum originale, videtur quod ſtatim, ſi mortua fuiſſet ante Chriſtum, evolaſſet ad cœlum ; cùm nulli ſit clauſa janua cœlorum, niſi merito originalis peccati : ergo talis janua non fuiſſet aperta per Chriſtum, quod eſt falſum. Reſpondeo quod peccatum originale non eſt cauſa præciſa clauſionis januæ cœleſtis, ſed divinum decretum : in quo ordinatum fuit quod nullus deberet intrare januam paradiſi, niſi ille qui

priùs

priùs de cœlo descendit, priùs intraret; & ideo dicitur in Scriptura sacra: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui priùs descendit de cœlo pro salute humani generis. Si ergo mortua fuisset ante Filium, stetisset cum sanctis Patribus in limbo, & non evolasset ad cœlum; & hoc non propter impedimentum originalis peccati, quia nullum habebat, sed propter stabilitatem divini decreti.

Nonò, non obstat quædam alia ratio; quòd Beata Virgo mortua fuit, ergo habuit peccatum originale, per illud: Quâ horâ comederis, morte moriêris. Respondeo, ut suprà in ultimo, & etiam in octavo & decimo fundamentis responsum est. Item mors non est semper pœna seu effectus peccati; unde si Deus crearet unum hominem noviter de terra, & non esset de massa Adæ, non haberet peccatum originale: & tamen moreretur secundùm Philosophum 1. Physicorum, & 10. Ethicorum, quòd statutum est homini semel mori.

Decimò, non obstat dum dicitur, quòd non potest stare simul & semel quòd in Conceptione fuerit sanctificata, propter peccatum quod inerat; quia duæ formæ contrariæ non possunt stare simul in eodem objecto, respectu unius & eiusdē; videlicet gratia creata à Deo, & peccatum factum ab homine, propter repugnantiam: quia simul & semel esset grata Deo, & inira Dei, quod est contradictio. Respondeo quòd fuit sanctificata in utero, & præservata ab originali peccato; & sic non fuerunt duæ formæ contrariæ, quia nullum erat ibi peccatum: & fuit sanctificata & mundata non ab illo quod infuit, quia nihil fuit, sed ab illo quod infuisset, ut suprà sæpè dictum est. Nam ubi duæ causæ concurrunt circa idem subjectum, potentior causa & velocior suum producit effectum, &c. ut ibi latiùs continetur.

Undecimò, non obstant dum dicunt: si Mater Dei non fuisset concepta in originali peccato, non indiguisset redemptione passionis Christi, nec participasset de tantis bonis, quæ fuerunt in illa sanctissima passione. Respondeo: licet B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali, indiguit tamen redemptione passionis Christi; quia tota munditia Matris fuit à Filio; & sic indiguit meritis passionis Christi: & sicut Beata Mater fuit magis privilegiata quàm aliqua pura creatura, ita magis participavit de illis meritis passionis Christi, quàm aliqua alia pura creatura; & sic fuit elevata in corpore & anima supra thronos Angelorum, ad quam gloriam paradisi nemo poterat intrare, nisi per passionem Christi.

Duodecimò, non obstat illa authoritas Apostoli ad Rom. 3. Omnes

peccaverunt,& egent gratiâ Dei; & cùm ipse Christus sit primogenitus, id est, primus sine peccatis natus, ut dicit glo. ad Rom. 8. & cùm Virgo Maria fuit nata ante Filium: ergo non fuit concepta sine peccato. Respondeo, quòd intelligitur Christus primus genitus, id est, primus natus secundùm naturam sine peccato: & Beata Maria Mater Christi fuit prima nata sine peccato, non per suam naturam sicut Christus, sed per gratiam Spiritûs-sancti. Et cùm dicitur, omnes peccaverunt, &c. intelligitur, excepto Christo per naturam, & Maria per gratiam; & de istis authoritatibus loquentibus universaliter vel indefinitè, vide etiam suprà in octavo & decimo, & in ultimo fundamentis.

Tertiò-decimò: non obstat Psalm. Et in peccatis concepit me mater mea; per quam authoritatem quidam Doctor Ordinis Prædicatorum tenet Beatam Mariam conceptam fuisse in originali peccato, dicendo quòd David locutus fuit per Spiritum-sanctum in persona omnium: & sic etiam potuit comprehendere Beatam Virginem Mariam. Respondeo, quòd verba Psalmistæ benè possunt comprehendere Beatam Mariam: patet in eodem Psalmo; loquitur enim de peccatis actualibus, à quibus B. Maria fuit immunis secundùm omnes. Patet in eodem Psal. ibi: Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & ibi: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; sed concipi in peccato originali, non est facere bonum nec malum, ut suprà dictum est. Præterea, omnes authoritates loquentes universaliter vel indefinitè, debent intelligi de lege cõmuni, non de privilegiatis ex gratia speciali, ut superiùs dictum est. Hæc sunt dicta egregij doctoris D. Bonaventuræ Cardinalis: & idcireo dicta sua diffusè recitavi contra aliquos qui de sua intelligentia præsumentes, volunt divina metiri judicia, dicentes: non decere divinam bonitatem & clementiam, præservare Virginem intemeratam, &c.

Circa tertiam opinionem est pro nunc aliqualiter insistendũ; videlicet circa viã divinalis suffragij, & specialis exemptionis. Pro cujus declaratione quatuor sunt per ordinem inspicienda. Primum de præservationis possibilitate, secundum de præservationis congruitate; tertium de præservationis actualitate: quartum de præservationis intelligibiliori docilitate. Quantùm igitur ad primum, pono quatuor propositiones; quarum hæc est

Prima propositio: Omnem privationem ordine naturæ sua adversa positiva conditio specialiter antecedit. Ista propositio sic probatur. Quodlibet cadens in definitione alicujus, in illo, in cujus definitione cadit, essentialiter est prius; sed positiva conditio privationi contraria, est in definitione privationis ca-

nis cadens: igitur quælibet positiva conditio privationi contraria, est privatione naturaliter prior; & per consequens conclusio vera. Consequentia patet, & Major declaratur: quia ex hoc quòd in definitione hominis cadit anima, ideo prius est animal quàm sit homo; quia definitū præsupponit partes definitionis, & non è contra: & per consequens generaliter verum est, quòd cadens in definitione alicujus, prius est ipso definito. Sed Minor apparet: nam si definiatur cæcitas, in ipsa definitione cadit visio, saltem in obliquo; ut quærendo quid est cæcitas, dicitur quòd visionis carentia, & quærendo similiter quid est peccatum, dicitur quod rectitudinis carentia. Et sic generaliter videtur verum, quòd in definitione quid nominis ipsius privationis, cadit sua adversa positiva conditio, sed non è cōtra: nam in ratione visionis non cadit cæcitas, aliter esset circulus in definitionibus, & per consequens in demonstrationibus, quod est contra Philosophum 1. Posteriorum; ubi dicit quòd non contingit circulo demonstrare, & per consequens habetur intentum.

Secundū propositio: Contractum originalis criminis præcedit naturaliter infusio animæ in substantia corporali. Ista propositio probatur sic. Hæc consequentia est bona; hoc est in originali conceptum, igitur hoc est animâ intellectivâ animatū, & cōtra non valet; ergo per prius est, hoc esse animâ intellectivâ animatum quàm sit in originali cōceptū. Consequentia patet per regulam Philosophi in Postprædicamentis: prius est, à quo non convertitur subsistendi consequentia. Sed antecedens probatur; quoniam non potest intelligi quis in originali existere, nisi sit animâ intellectivâ animatus: sed quòd è contra consequentia non valeat; patet de Christo, & similiter de primis parentibus; de quibus verificatur esse animâ intellectivâ animatum, & tamen de ipsis non verificatur esse in originali peccato conceptum, ut sic possit ratio declarari: de quocumque verificatur esse in originali conceptum, de eodem verificatur esse animâ intellectivâ animatum, & non è contra; igitur prius est aliquod esse animâ intellectivâ animatum, quàm in originali conceptum: & per consequens propositum. Istam conclusionem posui contra Paulum de Venetijs.

Tertia propositio est hæc. Quodlibet prius naturaliter alio, Dei omnipotentia potest absque posteriori præsentia conservare. Ista propositio videtur maxima inter Theologos; quæ per aliam maximam in Theologia sic declaratur. Dei omnipotentia potest facere quidquid fieri contradictionem non includit; sed prius existere sine suo posteriori fieri, non includit aliquam contradictionem: igitur propositum. Consequentia & Ma-

jor patent; sed Minor probatur. Quoniam posteriùs est extrinsecum priori, sed nulla contradictio est aliquid esse sine quocumque sibi extrinseco: quare propositum. Assumptum apparet: nam extrinsecum est animali, quòd sit homo: quare ratio animalitatis non per se respicit rationē humanitatis; & ideo non videtur contradictio, animal esse, quāvis nullus homo esset: quare &c. Similiter hęc propositio apparet ex his quæ fide tenemus de substātia & accidēte: quia quāvis substātia sit prior accidente, secundū Philosophū, tamen Deus facit accidens esse sine subjecto in Sacr. Altaris.

Quarta propositio: Dei omnipotentia potuit animam Beatissimæ Virginis ab originali macula præservare. Ista conclusio quodammodo sequitur ex præmissis; quæ sic declaratur. Si Deus non posset hoc facere, aut hæc impossibilitas oriretur ex parte divinæ omnipotentiæ, aut ex conditione originalis culpæ. Primum non impedit; quia Dei omnipotentia, quantùm est ex parte sua, se extendit ad omne possibile: nec secundum impedit, quia prius esse potest sine suo posteriori, ut dicit tertia propositio; & unio animæ ad corpus priùs est originali culpâ, ut dicit secunda propositio: quia privationem antecedit habitus, ut vult prima propositio. Igitur ex parte animæ intellectivæ est separabilitas ab originali culpa, & per consequens nulla repugnantia: quare propositum.

Præterea, ista conclusio propter garrulos, ex abundantia sic probatur. Omnem legem quam instituit legislator merè liberè, sine quacumque necessitate ex parte sua potest ex certa causa & singulari privilegio circa aliquam personam mutare: sed Deus instituit istam legem, quòd anima peccatum contraheret ex unione ad carnem ex concupiscentia seminatam, & eductam ex concubitu viri & mulieris; ut volunt sacri Doctores; & hoc merè liberè sine quacumque necessitate ex parte sua: igitur etiam potuit, circa quamcumque personam voluisset, mutare, & ita in B. Virgine. Quare propositum. Minor patet, quia lex ex eisdem causis solvitur, quibus ligatur. Quare propositum.

Præterea, pro quacumque mensura inest animæ intellectivæ gratia gratum faciens, pro eadem existit anima sine peccato originali: sed Deus in primo instanti creationis animæ Virginis, potuit sibi infundere gratiam gratum facientem; igitur & ipsam facere sine originali peccato. Consequentia & Major patent; sed Minor declaratur. Quoniam non minùs potens est Deus in conferendo gratiam animæ Christi, quàm fuerit potens creare animam Virginis: quare propositum. Et sic per consequens, quàm in ipso primo creationis animæ Christi infudit gratiam gratum

facientem,

facientem, tam potuit hoc facere in primo creationis animæ Virginis: quare propositum. Et sic per consequens apparet de præservationis possibilitate. Circa secundùm, videlicet præservationis congruitate, quatuor pono conclusiones cum suis probationibus; quarum

CONCLUSIO I. *est hæc.*

Decens est & consonum rationi, ut omnis prærogativa quæ in serva denotat excellentiam, conveniat gradui regali.

Ista propositio sic deducitur. Sicut attenditur perfectio specierum secundùm considerationem philosophicam, ita perfectio dignitatum secundùm considerationem moralem; sed naturaliter ita est, quòd species superioris eminentis continet perfectionem speciei inferioris, ut aliàs declaratum est: igitur & moraliter ita est, quòd dignitas superioris continet eminenter inferiorem, vel saltem ita debet esse. Cùm igitur dignitas Regia in aliqua politia sit maxima dignitas in eadē, & militaris per consequens sit sub ea; sequitur quòd omnem excellentiam, quam habet militaris dignitas, eminenter continet vel continere debet dignitatis Regiæ celsitudo: & per consequens indecens videretur & indecorum, militem suum Regem excellere in aliqua excellentia singulari; quare propositum est decens: quod est propositum.

CONCLUSIO II. *est hæc.*

Decens est & consonum rationi, ut sponsa castissima sui sponsi, non careat quovis tempore castis amplexibus dilectionis glutino copulatis.

Ista propositio sic probatur: nullo tempore est licitum divortium inter sponsum & sponsam; igitur nullo tempore debet intervenire odium inter sponsum & sponsam. Cùm igitur odium à mente non expellatur perfectiùs quàm per suum oppositum, sicut & quælibet forma per suum contrarium: sequitur quòd inter sponsum & sponsam ad conservandum matrimonij decentiam, necessarium est contrarium odij; sed ista est dilectio mutua sine cessatione: igitur videtur quòd decens est, ut sponsa sui viri, non careat quovis tempore solatio mutuæ dilectionis: quod est propositum. Et confirmatur; nam indecens est quòd ordinatum ad finem aliquem, careat ex defectu proprio fine suo; sed matrimonium est ordinatum principaliter ad conservandum dilectionem & charitatem inter

proximos: igitur indecens est quòd in matrimonio sit dilectionis carentia & per consequens ex oppositò decens est quòd inter sponsum & sponsam sit continuitas dilectionis: quare propositum.

CONCLUSIO III.

Decens est & consonum rationi, ut Virginis conditio omnem honorem exhibeat nativæ propagini; qui suæ non derogat dignitati.

Ista propositio sic probatur. Omne præceptum de jure naturæ est cum decentia, juxta possibilitatem ab illo qui tenetur, cum diligentia observandum: sed filium honorare parentes quantùm potest bono modo, est de jure naturæ, imo etiam de jure divino; igitur decens est ut filius omnem honorem parentibus exhibeat, qui suæ non derogat dignitati. Consequentia & Major patent; & Minor apparet. Quoniam jus naturale dictat quòd principium conservativum & productivum alicujus veneratur, aliter Deo non esset exhibendus cultus latriæ de jure naturæ, quod falsum est: quare &c. Quòd etiam sit de jure divino, apparet: cùm sit primum præceptum secundæ tabulæ de honoratione parentum. Et confirmatur: quoniam illud est decens & consonum rationi, cujus oppositum est indecens & rationi dissonum: igitur honorare est decens & consonum rationi. Consequentia patet, cùm honorare & inhonorare sint opposita: & Minor apparet, quia contrarium naturæ est, alteri facere quod sibi nullus vult fieri; sed nullus secundùm rectam rationem vellet inhonorari, igitur nec alteri est faciendum, & per consequens tale est indecens, cùm videatur contrarium naturæ; & per consequens congruum est conditioni Beatæ Virginis, nativæ propagini honorem debitum exhibere: quod est propositum.

CONCLUSIO IV. *est hæc, & ex præmissis correlariè sequitur.*

Decentissimum extitit, & maximè consonum rationi, Beatissimam Virginem fuisse ab omni originali macula specialissimè præservatam.

Ista conclusio sic probatur. Omnis prærogativa quæ in servo denotat excellentiam, est attribuenda gradui regali; cùm igitur in regno gloriæ Beatissima Virgo sit Regina, & cæteri Sancti quodammodo quasi milites & Baro-

& Barones: ſequitur quòd omnis excellentia quæ alijs Sanctis competit in illâ politia, quòd etiam competat Virgini Mariæ. Conſequentia patet, & Major ex prima propoſitione; & Minor eſt Eccleſiæ ipſam Virginem Mariam vocantis Reginam gloriæ, & tunc ultrà. Cùm ergo Angelis & quibuſdam hominibus competat iſta excellentia, quòd non fuerint in originali concepti; ergo à fortiori hoc fuit decentiùs de Virgine Maria, quæ eſt Regina gloriæ: nam Eva non debet habere majus privilegium quàm gloriæ cæleſtis Regina. Præterea decens eſt, ut omni tempore ſit in amore ſui ſponſi, ut vult ſecunda propoſitio: ſed Virgo Maria æternaliter fuit ſponſa Dei prævisa, nec unquam erat maculanda ſordibus actualis criminis; nam, ut teſtatur Sapiens in perſona ſua dicens: Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio; igitur ſequitur quòd decens fuit ut Virgo nunquam fuiſſet ſub odio Dei Patris, & ſub obligatione ad pœnam æternam: & per conſequens decens fuit quòd nunquàm fuerit in originali concepta. Nam ad oppoſitum ſequitur, quòd decens aliquando fuerit quòd fuiſſet ſub odio Dei Patris, & ſub obligatione ad pœnam æternam. Nam, ut inquit egregius noſtri Ordinis Doctor Hermannus de Schildis in Tractatu de Conceptione Immaculatæ Virginis, c. 3. peccatum originale habet tres maculas in ſe. Prima eſt, quòd conſtituit filium iræ naturaliter & ex natura; patet per authoritatem Apoſtoli ad Ephe. 2. cap. Secunda macula, quòd omnem hominem ipſo infectum tradidit poteſtati Sathanæ; quod patet, quia per exorciſmum expellitur Sathanas à baptizandis, antequam per baptiſmum originale peccatum tollatur; unde Gregorius in Homilia 23. dicit, quòd ſacerdotes in exorciſmo demonia ejiciunt. Tertia macula originalis peccati eſt, quòd ipſum contrahens ſtatim condemnatur ad mortem æternam; non ſolùm quoad pœnam dani, ſed etiam quoad pœnam ſenſûs (ut latiùs videbitur, Domino concedente, in quodam ſermone) per quam in Adam omnes morimur: & per unius delictum intravit mors, ut Apoſtolus dicit. Imo Auguſtinus in lib. de Fide ad Petrum, condemnat ſempiterno igne. Aliæ etiam plures maculæ ſunt ipſius, quæ dimittuntur ad præſens gratiâ brevitatis: ſed omnia iſta piæ mentis effectus refugit ut venenum, &c. Quare, &c. Et propterea Venerabilis Anſelmus in lib. de Concep. Virginali, cap. 15. iſtam deſponſationē intelligens, dicebat quòd decens fuit, ut illius hominis cōceptio de Matre puriſſima fieret: nempe decens fuit ut eâ puritate, quâ ſub cœlo major nequit intelligi, Virgo Mater niteret; cui Pater unicum ſuum Filium,

quem

quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita daturum diſpoſuit, ut naturaliter eſſet unus idemque communis Dei Patris & Virginis filius: & quam gratiâ Filius Matrem ſibi ſpecialiter faceret, eligebat; & de qua Spiritus-ſanctus volebat & operaturus eſſet, ut naſceretur & conciperetur ille de quo ipſe procedebat. Hæc Anſelmus. Ex quibus verbis claret, Beatiſſimam Virginem fuiſſe Dei Patris ſponſam; ac per hoc gradum habuiſſe puritatis, quo ſub cœlo major nequit intelligi. Quare, &c. Præterea, quilibet filius debet honorem exhibere matri, ſecundùm legis decentiam, qui ſuæ non derogat dignitati: (ut dicit propoſitio tertia) ſed Dei Filius fuit filius Virginis, igitur debebat ſibi exhibere, vel ſaltem decens erat ut omnem honorem ſuæ Matri exhiberet, qui ſuæ non derogat dignitati. Cùm igitur ſine originali fuiſſe conceptam, non deroget honori Filij, cùm adhuc ſint in ipſo aliæ gratiæ excellentiores: imo prætenditur honor Filij quòd ſua Mater nunquam fuit peccatrix, quod decens erat quod illum honorem à Filio ſuo recepiſſet. Et hoc eſt quod dicit Beatus Hieronymus in Aſſumptione B. Mariæ: non, inquit, eſt dubium quin totum ad gloriam laudis Chriſti pertinet quidquid ſuæ Genitrici impenſum fuerit ac ſolemniter exhibitum. Ex quo colligitur quòd omnis honor impenſus Matri redundat in Filium: igitur decens videtur & honorabile, quòd Chriſti Mater non dicatur peccatrix; ſi ergo hoc indicat ratio, quòd alij debent ſentire de Matre Chriſti, quantò magis ipſe Chriſtus debuit hoc facere, vel ſaltem ſic facere fuit congruum, ſecundùm decentiam honeſtatis? quod fuit propoſitum. Et ſic apparet qualiter & quid ſentiendum ſit de præſervationis congruitate: quod erat ſecundum declarandum.

Circa tertium, videlicet de præſervationis actualitate, pono quatuor propoſitiones: quarum prima eſt.

Propoſitio prima. Redemptionis perfecta conditio indicat probabiliter, aliquem de ſtirpe Adæ concubinaliter deſcendentem nunquam fuiſſe originali crimine deturpatum. Volo dicere quòd illa conſequentia eſt in Theologia ſuſtinenda: Chriſtus fuit generis humani perfectiſſimus redemptor, igitur aliquod individuum redemptum fuit, & à peccato originali præſervatum.

Iſta concluſio ſic intellecta probatur; & quæro: Nunquid Chriſtus fuit perfectiſſimus redemptor, vel non? negativa non eſt rationabiliter à Theologo concedenda, videlicet quòd Chriſtus non fuit perfectiſſimus redemptor; ſi igitur datur affirmativa, tunc arguitur ſic: perfectiſ-

ſimus

ſiſſius redemptor eſt cui non defecit aliquis modus redimendi ; & per conſequens ſi Chriſtus fuerit perfectiſſimus redemptor, ſequitur quòd ſibi non defuit aliquis modus redimendi. Cùm igitur ſex modis fiat redemptio, ſequitur quod Chriſtus omnibus his modis aliquos in genere humano redemit.

Primus namque modus redemptionis eſt, quo quis redimitur poſt lapſum in peccatum mortale ; illo modo communiter redimuntur omnes peccatores.

Secundus modus eſt, quo quis redimitur poſt lapſum in veniale peccatum : illo modo redimuntur viri perfecti, qui ſublevantur poſt venialis peccati commiſſionem.

Tertius modus eſt, quo quis redimitur poſt lapſum in originale peccatum : & iſto modo, ut pueri parvuli in utero vel extra.

Quartus modus eſt, quo quis redimitur ne labatur in peccatum mortale : ut creditur de Apoſtolis poſt adventum Spiritûs-ſancti.

Quintus modus eſt, quo quis redimitur ne labatur in veniale ; ut quidam putant de Sancto Joanne Baptiſta, propter illum verſiculum : Ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſes. Quamvis Divus Pater noſter Auguſtinus in libro de Natura & Gratia oppoſitum ſentire videatur.

Sextus verò modus videtur modus perfectiſſimus, quo quis videlicet redimitur & ſervatur, ne labatur in originale peccatum. Cùm igitur Chriſtus quinque præmiſſis modis redemit : ſequitur quòd ex quo fuit perfectiſſimus redemptor, quòd in ſexto modo redemit : & per conſequens aliquod fuit in natura humana individuum redemptum quod non fuit in originali conceptum. Quare, &c.

Secunda propoſitio eſt hæc. Anima Mariæ utens libero arbitrio, quæ ſecum non patitur alicujus actualis criminis maculam, indicat ſe nunquam fuiſſe ſordibus originalis criminis deturpatam. Iſta concluſio ſic probatur : cujuſcumque originali, quantumcumque modicum daretur, non correſpondet pœna æterna ; ſed nulli veniali peccato correſpondet ratione ſuæ gravitatis pœna æterna, ſed tantummodo temporalis : ſi igitur alicui animæ ratione ſuæ dignitatis non correſpondet aliqua obligatio ad pœnam temporalem, ſequitur quod à fortiori nec aliqua obligatio ad pœnam æternam : & per conſequens ſequitur quod alicui animæ non convenit unquam fuiſſe ſub aliquo crimine actuali, veniali, nec vel mortali ; ſequitur quod à fortiori eidem nunquam convenit fuiſſe in originali peccato, & hoc poſt uſum liberi arbitrij : ut ſic poſſit ratio

confirmari. Si cum albedine non potest stare certus gradus nigredinis, ut puta, gradus vel duo, sequitur quod similiter à fortiori nec gradus nigredinis intensior, utpote vel quatuor : & hoc propter majorem repugnantiam. Igitur pariformiter, si aliquod peccatum minoris gravitatis non stat in anima aliqua habente usum liberi arbitrii propter suam deformitatem : sequitur quod nec aliquod gravius peccatum stabit in anima prælibata. Cùm igitur peccatum veniale sit minoris gravitatis quocumque peccato originali, sequitur quod excludens unum ratione suæ dignitatis, excludit & aliud : quod est propositum.

Tertia propositio est hæc. Anima Beatissimæ Virginis MARIÆ fuit redempta perfectissimè, & ab omni actuali crimine pœnitus extitit aliena. Ista propositio quoad primam partem probatur : quia anima quæ redemptione indiguit, quantò est ad majorem gradum gratiæ sublimata, tantò fuit perfectiùs redempta ; sed inter omnes creaturas per Christi passionem redemptas anima Virginis MARIÆ fuit ad majorem gradum gratiæ sublimata, sequitur quod fuerit etiam perfectiùs redempta, & nulla est æquè perfecta sicut ipsa : & per consequens ita fuit perfectissimè redempta. Secunda verò pars conclusionis, videlicet quod in ea nullum fuerit peccatum veniale, scilicet vel mortale, videtur B. Augustini in lib. de Natura & Gratia, circa medium, dicentis & loquentis de peccato actuali & originali : Propter honorem (inquit) Domini, &c. Vide supra. Ex quo sequitur manifestè, quod in ea nullum fuerit peccatum veniale, nec etiam mortale ; quare ab omni peccato actuali fuit pœnitus peregrina. Quarta propositio ex præmissis correlariè sequens, est hæc.

In Beatissima Virgine fuit nitor eximiæ pulchritudinis, excludens omnem maculam fœditatis. Ista propositio apparet. Nam anima B. MARIÆ fuit perfectissimè redempta, pro eo quod Christus fuerit perfectissimus Redemptor : sed ex hoc quod fuerit perfectissimus Redemptor, redemit aliquod individuum de stirpe Adæ per viam propagationis generatum, ne peccatum originale contraheret, ut dicit prima propositio ; & individuum perfectissimè redemptum fuit anima Beatissimæ Virginis, ut dicit tertia propositio : ergo sequitur quod anima nullum contraxit peccatum originale ; & per consequens in ea fuit nitor eximiæ pulchritudinis, omnem excludens maculam fœditatis : quod est propositum. Præterea si ab aliquo removetur quod minùs est detestabile, propter suam excellentiam & dignitatem ; à fortiori removendum quod est magis detestabile, ut & ex secunda propositione ; scilicet ab anima gloriosæ

Virginis

Virginis Mariæ removetur macula venialis peccati, ut dicit tertia propositio: ergo de æquo jure nullatenus debet contrahere peccatum originale. Et si dicatur, quod secundùm hoc, S. Joannes Baptista non fuisset in originali conceptus, quia nullum habuit veniale: hic respondetur prout dicit Hermannus de Schildis, & Petrus Aureoli, quod de mente B. Augustini (in lib. de Natura & Gratia) fuit, quod nec Joannes Baptista caruerit quandoque peccato veniali. Et ideo videtur satis rationabile quod, ex quo B. Virgo præservata fuit ab omni peccato veniali, quod minùs est, sequitur quod à fortiori à peccato originali; quod est propositum. Sed contra illam Minorem forsitan aliquis cavillaret sic: Quia Chrysostomus dicit super Matth. exponens illud: Ecce Mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te; Matth. 12. Dicit enim sic: manifestum est quod Mater Domini solùm hoc ex vana gloria faciebat, quod Christus cohibuit ibidem dicens: Quæ est Mater mea? Item super illud Joannis 11. Vinum non habent; dicit ibidem Chrysostomus, quod hoc dicendo volebat illis impetrare gratiam, & seipsam clariorem facere per Filium. Et fortassis humanum quoddam patiebatur; quemadmodum & fratres ejus dicentes: Manifesta teipsum mundo; quod Christus cohibuit dicens: Quid mihi & tibi est mulier? & post pauca subdidit Chrysostomus: Non enim quam oportebat, de Christo opinionem habebat; sed non est dubium hîc fuisse saltem peccatum veniale. Si hæc verba sint vera, ergo minor propositio non erat vera. Ad illa respondet speculativus Doctor Dominus Jacobus de Viterbio, quondam Archiepiscopus Neapolitanus, & illuminatus Doctor Hermannus de Schildis in suo Tractatu de Conceptione B. Virginis, dicens quod Chrysostomus excessit in verbis secundùm omnes; nec in hoc tenetur. Possunt tamen exponi verba sua: ut intelligatur Christus in ea hoc totum cohibuisse, non quidem inanis gloriæ motum, quemadmodum ad ipsam; sed quantùm ad illud, quod aliis æstimari poterat. Hæc Hermannus de Schildis. Præterea ex testimonio Salvatoris, Matth. xi. arguitur; ubi dicit quod inter natos mulierum non surrexerit major Joanne Baptista. Quæro de qua resurrectione loquitur; aut de ea quæ est de non esse, aut de resurrectione à peccato? Primo modo ista non videtur vera; quia tunc Virgo Maria non fuisset major Joanne Baptista, nec etiam ipse Christus. Est igitur sensus de resurrectione à peccato: videlicet quòd nullus qui cecidit per peccatum, & postmodum surrexit ad gratiam, est major Joanne Baptista. Si igitur Beata Virgo Maria in originali cecidisset, & postmodum surrexisset, non fuisset ma-

iſſet maior Joanne Baptiſta, quod falſum eſt: ergo nunquam cecidit. Jam, ut puto, ſatisfactum eſt omnibus qui alta ſapiunt; & in ſuperioribus uſque modò omnium intelligentium judicio ſatis probatum eſt, Beatiſſimam intemeratamque Virginem MARIAM non fuiſſe conceptam in originali peccato. Reſtat nunc ut aliqua ponam pro ſimplicibus & minus intelligentibus. Sed ſcio, dum inimici veritatis & Virginis glorioſæ iſta viderint; barbarus ſum omnibus qui horum, quæ dicam, experientiam non viderunt, & appellor fatuus à talibus: ſed veritatem novit Altiſſimus; & ipſi videbunt quantùm peccaverunt qui famam Immaculatæ Virginis denigrare non verentur. Turbabuntur à facie intima veritatis (quæ non explicatur linguâ, nec videtur oculo naturali) qui hæc audierint: ſed auferetur ab eis ſpiritus intelligentiæ ipſorum; & deficient coram ipſa, & convertentur in pulverem terrenorum, rapiendum à vento vanitatis: & ventus tempeſtatis & turbinis ventilet in æternum. Inſurgent vultu procaci, redarguentes me qui talia in ſcriptis reliqui: ſed ô utinam invenirem aut inveniſſem mecum Catholicè contendentes ex ſcripto firmato, non variabili aut nugaci verbo; quos aut per rationes Fidei cogerem oppoſitum ſentire à talibus verbiculoſis & garrulatoribus! Sed à Spiritu ſancto licentiâ acceptâ, pro ſimplicibus per modum Sermonis probabo concluſionem ſuperiùs poſitam. De poſt invoco concilium avium & beſtiarum, arborum & plantarum atque lapidum & ſtellarum; quorum intentiones conor explorare. Primò enim: quod non ſit in originali peccato concepta, probatur cum multis appropriatis teſtibus, cum multis famoſis Doctoribus, cum aliquibus validis rationibus, cum nonnullis exemplis naturalibus, cum certis ſignis mirabilibus.

Primus teſtis fidelis Virginis eſt Divus Pater noſter Auguſtinus in lib. contra quinque hæreſes, cap. 50. Ubi in perſona Regis ſic ait: B. MARIA potuit inquinari cùm ipſam facerem, potui inquinari cùm ex ipſa naſcerer. Sed ſecundum eſt impoſſibile; ergo & primum.

Secundus teſtis eſt Beatus Gregorius (& cantat quotidiè Eccleſia) Fœlix namque es ſacra Virgo MARIA, & omni laude digniſſima; & in alio loco: Sancta & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem cœli, &c. Ergo cùm magna laus ſit, non eſſe peccatis obnoxium: ſequitur quòd hâc laude eſt ſingulariter & meritò venerabiliter extollenda. Item Hieronymus in Sermone de Aſſumptione: Quidquid humanis dici poteſt verbis, minùs eſt à laude Virginis. Et per conſequens Virgini ſunt attribuenda omnia privilegia exemptiva culpæ vel peccati.

Tertius

Tertius teſtis eſt Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, in Sermone ad Gabaonitas, ubi ſic inquit: Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

Quartus teſtis eſt S. Baſilius in Sermone de Annuntiatione. Hæc eſt, inquit, quæ fuit in utero matris abſque originali peccato concepta & genita, & ab omni vitio mortali ſegregata, atque veniali privata: & in cunctis actibus & moribus S. Spiritûs gratiâ fœcunda.

Quintus teſtis fidelis Virginis eſt Sanctus Anſelmus in lib. de Conceptu Virginali, cap. 18. dicens: Decuit ut Virgo & Mater illâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequeat intelligi. Hæc Anſel. Sequitur ergo ex illo dicto Anſelmi, quod erat purior Angelis qui non contraxerunt peccatum originale. Sequitur ſecundò, quod erat purior primo homine in paradiſo; quia hæc omnia fuerunt ſub Deo. Ergo nullo modo fuit in peccato concepta.

Sextus teſtis fuit Beatus Bernardus in quodam Sermone, ubi ſic inquit: Puto quod copioſius munus gratiæ in MARTAM deſcenderit; quæ non ſolùm ejus ortum ſanctificaret, ſed etiam ipſam ab omni peccato ſervaret immunem.

Septimus teſtis eſt S. Ildefonſus Epiſcopus, qui ſic dicit: Denique, ſi non in utero matris ſanctificata fuiſſet; ejus Nativitas colenda non eſſet; nunc autem quia veneratione habetur authoritate totius Eccleſiæ, conſtat eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem: per quam non ſolùm Evæ matris eſt ſoluta maledictio, verùm etiam omnibus condonata eſt benedictio. Nullis ergo, quando nata eſt, delictis ſubjacens, nec peccatum originale in utero ſanctificata contraxit. Hæc ille. Et bene ſequitur quòd non contraxerit veniale: & per conſequens nullum peccatum. Et ex dicto S. Ildefonſi, ubi dicit: Si in utero matris ſanctificata non fuiſſet, ejus Nativitas colenda non eſſet; ſed nunc colitur per Eccleſiam: ergo Nativitas ejus fuit ſancta. Et ſic de Conceptione probatur. Si in utero matris ejus Conceptio non fuiſſet ſancta, Eccleſia non coleret ejus Conceptionem: ſed nunc tota Eccleſia ſolemniter colit ejus Conceptionem, ergo ejus Conceptio fuit ſancta; quia hæc Feſtivitas, ſcilicet Conceptionis, eſt initium omnium feſtorum, & origo. Quia ſi non fuiſſet concepta, non fuiſſet facta puerpera. Et mirum eſt quare hæc Feſtivitas à fidelibus celebrior non habeatur; cùm hæc Feſtivitas ſit ſanctior Nativitate Virginis. Quod probatur; quia Conceptio fuit ex ſpeciali gratia Dei, Nativitas generaliter à natura. Nam hodie impleta eſt

omni gratiâ, secundùm quod dixit ei Angelus: Ave gratiâ plena; Nativitas verò fuit naturalis. Secundò, Conceptio fuit miraculosa ex sterili matre; Nativitas verò fuit consueta. Tertiò, Conceptio fuit per Angelum nuntiata; Nativitas verò fuit consecuta. Ergo Conceptio est sanctior Nativitate.

Octavus testis est S. Dominicus in quodam libello; qui cùm erat in quodam Episcopatu, contra aliquos hæreticos ibidem existentes prædicaret, qui asserebant tres conclusiones falsas & hæreticas. Prima, quòd Christus non erat Deus: secunda, quòd in Sacramento Altaris non erat Corpus Christi; præterea, quòd B. Virgo non erat Mater Dei, quod fuit concepta in peccato originali. Sed S. Dominicus oppositum defendebat: & factâ prolixâ disputatione cum hæreticis, fuerunt concordes in hoc, quòd omnes projecerint suas conclusiones in ignem; & illæ quæ non essent combustæ, tenerentur pro veritate. Posuit ergo S. Dominicus Corpus Christi cum tribus conclusionibus oppositis in ignem: post triduum respicientes fornacem hæretici, invenerunt Corpus Christi super ignem cum tribus conclusionibus affirmativis nullam læsionem habentibus, tàm in Corpore Christi quàm in papyro. Et stupefacti hæretici de tam stupendo miraculo, crediderunt Virginem fore conceptam sine originali. Paveant ergo Filii, qui nolunt sequi vestigia tanti Patris: attendant ad dictum S. Anselmi in Epistolis missis ad Episcopos Angliæ, dicentis: Non credo eum esse amatorem Virginis, qui respuit celebrare Festum Immaculatæ Conceptionis.

Nonus testis est S. Brigitta. Nam in suis revelationibus habetur quòd quidam Capellanus suus, nomine Matthæus, semel interrogans eam dixit: Dic mihi Filia, si Virgo Benedicta fuerit concepta in originali macula? Et illa respondit: Semel interrogavi Beatam Virginem, ut mihi diceret modum suæ sanctissimæ Conceptionis; cui Virgo Benedicta respondit: Concepta sum ex Joachim & Anna sine originali macula. Hæc omnia revelavit Sancta Brigitta suo Sacellano, scilicet Magistro Matthæo, Ordinis Prædicatorum: qui statim celebravit Festum Conceptionis. Secundò probatur hoc idem cum multis famosis Doctoribus.

Primus Doctor est Sanctus Thomas Doctor Scholasticus, in 3. dist. 44. ubi sic inquit; Aliquod creatum invenitur, quo nihil purius in rebus creatis esse possit, si nullâ contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis. Hæc Thomas.

Secundus Doctor eſt Dominus Bonaventura Patavinus, Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalis Presbyter. Vide ſuperiùs.

Tertius Doctor eſt B. Auguſtinus de Roma, Generalis Prior Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, vir certè doctiſſimus; qui & nomine & re alter Auguſtinus meritò vocari potuit, eò quod ejus Sanctiſſimi Patris doctrinâ delectatus innumerabilia pœnè & ipſe edidit opera: & quod maximè, ſuper libris Sententiarum, ſuper Pauli Epiſtolas, ſuper Ethicorum; deinde de Libero Arbitrio librum unum, de Sacramento unitatis corporis Chriſti & Eccleſiæ, librum unum de Poteſtate Papæ, librum unum de Charitate Chriſti circa electos ejus; librum unum de Perfecta Juſtitia militantis Eccleſiæ. De poſt in fine vitæ compoſuit Tractatum unum de Peccato originali, in quo probat Beatam Virginem ſine originali eſſe conceptam.

Quartus Doctor eſt Magiſter Thomas de Argentina, Ordinis Eremitarum, ſuper 3. Sentent. diſt. 3. qui probat eam non conceptam fuiſſe in originali peccato, cum multis rationibus. Vide ibidem.

Quintus Doctor eſt Hermannus de Schildis, qui fecit pulcherrimum Tractatum de Conceptione Virginis glorioſæ: in quo probat multis rationibus & authoritatibus, B. Virginem non eſſe Conceptam in peccato originali, ex parte ipſius peccati; dicens quòd peccatum originale habet tres maculas: nota ſuperiùs. Etiam fuiſſet verum dicere, quòd totum corpus, & illa materia de qua formandum erat corpus Chriſti, fuiſſet omnino in poteſtate Sathanæ: quod omnino falſum eſt. Nunquam legi, nec vidi aliquem, qui ita ſolemniter ſcripſit pro B. Virgine, & contrà opinionem Prædicatorum, ſicut iſte devotus Doctor.

Sextus Doctor eſt Paulus Venetus, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, in una quæſtione. Nota ſuperiùs.

Septimus Doctor eſt Magiſter Theodoricus Wrigge, Ordinis Eremitarum, de Conventu Oſnaburgenſi; qui etiam fecit pulchrum Tractatum de Conceptione Virginis glorioſæ: in quo per longum proceſſum probat, Beatam Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali. Et quàm plures alij Doctores antiqui & moderni de Ordine Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Egregius Doctor Magiſter Heynemannus, egregius Doctor Magiſter Henricus Modeghe: egregius Magiſter Goſcalcus Hale, qui pulcherrimum Sermonem ſcripſit de Conceptione, qui incipit: Necdum erant abyſſi; egregius Magiſter Henricus

Schadehoet

Schadehoet, ut patet in multis positionibus quas posuit in Universita te Rostockensi.

Octavus Doctor est Alexander de Ales, Magister Parisiensis, de Ordine Fratrum Minorum; qui dum legeret in Universitate, arripuerunt eum tot infirmitates in eadem solemnitate, ut videretur ab Auditoribus velut mortuus. Stans igitur in eodem proposito; per aliqua tempora, annuatim frequentatis vicibus, in eodem Festo in eandem infirmitatem cadebat. Admonitus igitur à suis Discipulis ne deberet vilipendere tantæ Virginis Conceptionem; prædictus Doctor in se reversus, in dicta infirmitate devotè, ut potuit, gloriosæ Virgini vovit: quòd si eum liberaret à tali morbo, ad honorem suæ Conceptionis unum librum vellet componere, qui diceretur liber de Vita Beatæ Virginis. Statim facto voto redijt ad pristinam sanitatem; ipse verò non ingratus de tanto beneficio, composuit unum Tractatum: ubi in fine determinat Virginem fine originali esse conceptam. Ubi etiam narrat totum miraculum sibi factum.

Nonus Doctor est Wilhelmus Gwarro, qui fuit Magister Joannis Scoti. Probat hoc multis vijs & rationibus, quòd non fuit in originali concepta; qui dicit quòd potiùs ipsi vult dare aliquam prærogativam & superabundantiam, quam imponere defectum. Et idem probat quòd Festum Conceptionis est celebrandum: ut etiam testantur miracula quæ leguntur de isto Festo Conceptionis.

Decimus Doctor est Joannes Scotus, super 3. Sententiarum; ubi determinat, Virginem sine peccato originali conceptam, per rationes subtiles: ut quilibet cognoscat qualem devotionem habuit prædictus Doctor circa Virginem, & ejus Conceptionem. Nam existens Parisijs, propositâ illa quæstione, utrum B. Virgo esset concepta in peccato originali, pro majori parte concluserunt B. Virginem fore conceptam in peccato originali. Sed prædictus Doctor audiens talia, quamvis esset parvæ staturæ inter illos; attamen omnibus altior & subtilior intellectu, accinctus gladio Spiritûs S. omnia dicta eorum recitavit, & rationes solvit, & superaddens multas rationes probantes Virginem non esse conceptam in peccato originali. Omnes igitur stupefacti de tam subtilissima intelligentia, decreverunt quod de cætero Scotus, Doctor Subtilis vocaretur. Aliqui verò volentes primam opinionem pertinaciter asserere ibidem, scilicet quòd esset concepta in originali, multis dignitatibus fuerunt privati, & expulsi de civitate in civitatem; & aliqui de Regno

Franciæ

Franciæ. Hic ibidem coram tota Universitate determinatum fuit, quòd B. Virgo non fuit concepta in peccato originali: & obligavit se singulis annis Universitas prædicta, velle celebrare Festum Conceptionis Virginis, præsente totâ Universitate in Vesperis & Missa; & unus Magister tenetur facere Sermonem ad Clerum in Conventu Fratrum Prædicatorum.

Undecimus Doctor est Magister Joannes Klencock, Ordinis Fratrum Eremitarum, de Conventu Hervordensi, Glorioſus Doctor appellatus. De isto Doctore dicit solemnis Magister Ganderus de Meppis in Postillis suis super Evangelia Dominicalia, in Sermone de Ascensione, qui incipit: Recumbentibus undecim Discipulis; ubi tractat de usurariis & Judæis: & postmodùm dicit aliqua de Speculo Saxonum. Et dicit sic: Speculum Saxonum continet plures articulos ab Evangelio reprobandos, quos permisit Imperator Carolus in principio, ut in Fide permanerent ipsi Saxones, qui fuerunt duri ad Fidem convertendi; quod Glorioſus Doctor Joannes Klencock, Ordinis Fratrum Eremitarum D. Augustini reprobavit, circa annum Domini M. CCC. LXXVII. Regens Erfordiæ; & studens fui sub eo non tamen in Theologia, nisi rarò, sed in artibus: & vocavit hoc Speculum, veritatis umbraculum; unde à Duce Saxonum multas sustinuit persecutiones. Meliorem & doctiorem Magistrum in Theologia non vidi. Hæc Magister Ganderus de Meppis. Iste Joannes Klencock scripsit super libros Sententiarum, super Matth. super Actus Apostol. contra Speculum Saxonum, pulcherrimum Tractatum: & de post Tractatum unum de Peccato originali; in quo probat, B. Virginem nunquam contraxisse tale peccatum.

Duodecimus Doctor fuit Henricus de Urimaria junior, Ordinis Fratrum Eremitarum D. Augustini senioris Henrici nepos; hic propter celebrem scientiæ suæ famam à magnifico Romanorum Rege, Domino Carolo accersitus ad regendum Theologicæ Facultatis studium in Universitate Pragensi, accedente ad hoc Prioris Generalis mandato, cum provisione regia deputatus est. Cùmque ibidem actus suos Magistrales strenuè exerceret, Regi & regalibus, nec non Archiepiscopo, & toti Universitati quamplurimùm charus & acceptus; adhuc juvenis, annorum circiter quadraginta quatuor, vocante Domino citò de medio sublatus est, anno Domini 1454. die 21. mensis Aprilis. Cujus corpus in Erfordia honorificè requiescit. In cujus Epitaphio scripti sunt hi versus.

Alter de Vrimar Doctor jaceo tumulatus;
Dante Deo redimar, in dextra parte locatus.

Hic inſignis Doctor ſemper fuit defenſor Virginis, ut patet in multis poſitionibus Pragæ & Erfordiæ diſputatis.

Tertiusdecimus Doctor eſt Joannes Zachariæ, Ordinis Eremitarum, de Conventu Eſvegenſi. Hic præclariſſimus Doctor, & multarum artium ſcientiſſimus, atque venerabilis vir, anno Domini 1450. fuiſſe traditur: qui præter Sententiarum Commentaria, etiam contra Huſſitas egregiè ſcripſit. Hic in Concilio Conſtantienſi invictiſſimum Hæreticum Joannem Hus ſuperavit, ac igne cremari juſſit. Etiam præter alia ſua Opuſcula; contra opinionem Prædicatorum, Tractatum de Conceptione Virginis edidit.

Quartusdecimus Doctor eſt Simon, Ordinis Eremitarum, qui floruit anno Domini 1338. qui ut verus Evangeliſtarum interpres, & Chriſti Jesu imitator & verus amator; ipſius Salvatoris geſta in ordine colligens in quindecim ſubdiviſit libros, quos de Chriſtiana Religione intitulavit. Sed & alium librum de Doctrina Chriſtiana, de Patientia, de Symboli Expoſitione, de Speculatione Crucis, de Diſciplina ſpiritualium, de peccato originali, miro & quaſi divino ordine collegit. Hic in omnibus libris ſuis ſemper, ut verus Virginis amator, ſemper defendebat Virginem.

Quintusdecimus Doctor, eſt Dominus Albertus de Saxonia, Epiſcopus Halberſtadienſis. De iſto Alberto, quem ſic alii Albertucium vocant ad diſtinctionem Alberti Magni, dicit Magiſter Ganderus de Meppis in Poſtillis ſuis, in Sermone de tertia Dominica Adventûs, qui incipit: Cùm audiſſet Joannes in vinculis; inquit enim ſic. Adulatores dicuntur ab aula, quaſi Aulatores: hi mollibus veſtiuntur, magnos equos equitant, amicos promovent, & ſæculo vivunt, & non Deo. De quo facto nota quod circa annum Domini M. CCCLXX. in ponte Pragenſi pro ſpacio vadens cum Magiſtris multis, inter quos fuit ille egregius Magiſter Albertus de Saxonia, qui fecit Pariſiis Logicam, quæ dicitur Logica Alberti; cui ibidem obvians Prothonotarius Imperatoris Caroli, olim conſtudens Pariſienſis: qui dimiſſo ſtudio contra voluntatem ſocii ſui Alberti prædicti, cœpit ſe applicare curiis Principum, & per adulationem ſui excrevit, quod factus eſt Prothonotarius Imperatoris. Cùm autem hi duo diu pluribus adſtantibus Magiſtris ad invicem contuliſſent, tandem Prothonotarius aſcendens caballum jocosè dixit ad præfatum Magiſtrum Albertum: Adhuc ſortes currit; quaſi diceret: quantumcumque ſcis & didiciſti, adhuc vadis per pedes, & ego altè equito; cui reſpondit Magiſter improviſè: Nec mirum quòd beſtia

equitet

equitet beſtiam ; quaſi diceret, quamvis altè equitas, ſcio tamen quòd idiota es & ignorans. Statim de poſt Magiſter Albertus factus eſt Epiſcopus Halberſtadienſis, de qua Diœceſi fuit natus in parva villa, & filius unius ruſtici ; potenter tamen Epiſcopatum multis annis gubernavit. Ecce ſcientia ſua valuit ; nec alium gradum habuit, niſi quod Magiſter in artibus fuit, excellenter tamen & ſupra modum ſubtilis & famoſus: in tantùm quòd Urbanus Quintus, Sanctus ille Papa eum ad ſe Avinionem vocari juſſit, & Epiſcopatum conceſſit. Hæc Magiſter Ganderus de Meppis. Hic egregius Doctor, propter amorem Virginis multas propoſitiones Pariſiis & Pragæ, de Immaculata Conceptione defenſavit: in quibus glorioſam Virginem à labe originalis peccati immunem fuiſſe probavit.

Sextusdecimus Doctor, eſt Joannes Gerſon, Pariſienſis quondam ſtudii Cancellarius, Doctor Chriſtianus ; qui in Sermone de Nativitate, quem fecit in Concilio Conſtantienſi, ubi ſic inquit: MARIAM verò ita prævenit gratia ſanctitatis, ut quamvis lege communi teneretur obnoxia peccato originali, iuxta cauſas univerſales generationis ab Adam traductæ (non ſic autem Filius ejus JESVS, quia non ex virili concubitu genitus eſt) nihilominùs ipſa MARIA lege privata, & privilegiata, ſic præventa eſt, ut nequaquam illud generale contraheret: quantum hoc & potuit & decuit fieri, ut perfectiſſimus Salvator Filius ejus perfectiſſimum in Matre ſua modum ſalvationis impenderet ; taliter eam ſanctificando à peccato, ut in illud in quod aliquando caſura erat, ipſo ſanctificante & gratiam infundente non caderet, & ita contereret caput ſerpentis antiqui, nunquam ab ejus pede contrita. Longus eſſet ſermo, ſi cuncta proſequi vellemus de hac ſanctificationis materia; quam ad benedictæ Conceptionis ſuæ feſtivitatem remittimus. Hæc Cancellarius Pariſ.

Decimuſeptimus Doctor, eſt Alanus, vir eximius magnæque litteraturæ ; quia Magiſter Artium & Medicinæ, atque Theologiæ Doctor, vel ſecundùm alios, utriuſque Juris & Theologiæ Doctor. Sed poſt mortem ejus, in Epitaphio ſui ſepulchri metricè fuit deſignatum ut ſequitur.

Alanum brevis hora brevi tumulo ſepelivit ;
Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſcivit.

Duo ſcilicet teſtamenta, vetus & novum. Duo, ideſt, duas artes collaterales, Jura videlicet & Medicinam, vel Jurà & Theologiam. Hic in Anticlaudiano ſic inquit.

Hæc eſt ſtella maris. vitæ via, porta ſalutis;

Regula juſtitiæ, limes pietatis, origo
Virtutis, verbi Mater, thalamuſque pudoris:
Hortus concluſus, fons conſignatus, oliva
Fructificans, lilium redolens, Paradiſus amœnus:
Virgula pigmenti, vinaria cella liquore
Prædita divino, nectar cœleſte propinans.
Neſcia ſpineti, florens roſa, neſcia culpæ:
Gratiæ fons, expers limi, lux nubila pellens;
Spes miſeris, medicina reis, tutela beatis,
Proſcriptis reditus, erranti ſemita, cœcis
Lumen, dejectis requies, pauſatio feſſis. Hæc Alanus.

Decimus ſeptimus Doctor, eſt Petrus Comeſtor; qui ſic inquit:

Si fieri poſſet quòd arenæ pulvis & undæ,
Undarum guttæ, roſæ, gemmæ, lilia, flammæ.
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, ſexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne;
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ:
Ros, gramen, ſtellæ, cum piſcibus, anguis], ariſtæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere poſſent,
Quæ ſis vel quanta, Virgo Regina MARIA;
Quæ tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ætas. Hæc ille.

Decimusoctavus eſt Petrus Cretenſis, egregius Magiſter; qui in Commentario ſuo ſuper Lucam, ſic inquit:

Vnam nec maculam natura reliquit in ipſa.

Decimusnonus eſt Petrus de Aquila, Doctor Magnificus; qui etiam ſolemniter ſcripſit contra detractores Virginis.

Vigeſimus Doctor eſt Petrus de Candia, Magiſter Pariſienſis.

Vigeſimus primus Doctor, eſt Magiſter Franciſcus de Mayronis: ut in Tractatu ſuo, quem edidit de Peccato originali.

Vigeſimus ſecundus, eſt Dominicus Bolanus, Artium & Medicinæ Doctor, natione Patavinus, in Tractatu ſuo, qui incipit: Non parvo dolore animi afficior, cùm audio quoſdam magiſtrali infulâ decoratos viros pertinaciter affirmare, glorioſam intemeratamque Virginem MARIAM ab æterno JESU Chriſti Matrem, &c. Pro iſta parte videntur eſſe innumeræ authoritates, ſcilicet S. Auguſtini, Hieronymi, Anſelmi, & aliorum Sanctorum atque Doctorum; quas ſi quem delectat inſpicere, legat

Tracta-

Tractatum, quem fecit Petrus Aureoli de Conceptu Virginali : ubi reperiet copioſiſſimas authoritates, quas brevitatis cauſâ non adduco. Pro iſta parte eſt Dominus Linconienſis, qui in fine vitæ ſuæ exponens paſſum illum qui continetur in Canticis Canticorum, videlicet : *Tota pulchra es amica mea* ; excludit abea omnem fœtorem originalis criminis, videlicet actualis & venialis. Et pro iſta parte videtur Hugo de S. Victore, in quodam Sermone quem fecit de Conceptione Virginis.

Adducam ultimò quoddam mirabile dictum Machometi, in ſuo Alchorano, Alchorâ 11. ubi ſic inquit: Nullus de filiis Adam naſcitur, quem non tangat Sathan ; & ideo plorat ex ejus tactu : præter MARIAM & Filium ejus. Quòd ſi impurus & ſacrilegus Apoſtata talem exhibet reverentiam Virgini, ut eam ab opprobrio filiorum Adam excipiat ; cur audent Chriſtiani & maximè illi qui Religioſi dicuntur, ipſam aliquâ maculâ involvere, cùm ſit digna omni laude ?

Tertiò patet hoc idem rationibus. Primò probatur hoc de potentia Dei abſoluta. Quia Deus omnia poteſt, quæ non implicant contradictionem ; ſed præſervare Virginem à macula peccati originalis, non implicat contradictionem ; ergo ſic Deus potuit. Ideo dicit Job : *Quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine ? nonne tu qui ſolus es ?* 13. cap. Item qui ſervavit rubum ardentem, ille potuit præſervare Virginem, ne igne peccati originalis combureretur. Item qui præſervavit calceamenta & indumenta populi Iſraëlitici à corruptione per annos quadraginta in deſerto, ut patet Deut. 29. ille potuit Virginem præſervare à peccato. Item qui præſervavit Jonam in ventre ceti tribus diebus & noctibus, ne moreretur : ille potuit præſervare Virginem à peccato. Item qui præſervavit tres pueros in fornace ignis ardentis illæſos ; ille potuit etiam Virginem præſervare ab originali peccato. Item qui conſervavit Danielem in lacu leonum, etiam potuit Virginem præſervare à peccato.

Idem patet de potentia ordinaria. Nam Deus dedit præceptum Abrahæ, Geneſis 17. de Circumciſione, dicens : Circumcidetur in vobis omne maſculinum ; &, Maſculus cujus præputii caro non circumciſa fuerit, peribit de populo meo. Sed poſt Incarnationem Chriſti talis circumciſio eſt ſuſpenſa, & ſucceſſit Baptiſmus, ut patet ad Gal. 4. Si circumcidimini, Chriſtus nihil prodeſt vobis. Item Deus dedit legem quòd non eſſet furandum, dicens : Non furtum facies ; quam tamen ſuſpendit cum filiis Iſraël, quando egreſſi fuerunt de Ægypto, & ſpoliaverunt

Ægyptios, ut patet Exodi 12. Item Deus ordinavit quòd ſol nunquam quieſceret uſque ad diem Judicii; qui tamen ſtetit ſpatio unius diei, ut patet Joſ. 10. Item Deus dedit legem quòd unus vir debet habere unam uxorem; quam tamen ſuſpendit in Jacob & Abraham. Sic Deus ordinavit, quod omnes qui naſcuntur ſecundùm curſum naturæ, quod deberent in peccato originali naſci: ergo iſtam etiam potuit ſuſpendere in B. Virgine, quòd non conciperetur in peccato originali.

Quartò patet hoc idem cum nonnullis exemplis naturalibus.

Primum eſt: ſicut radii ſolares deſcendunt ſuper lutum, & tamen non deturpantur à luto, ſed potiùs illuminant lutum: ſic anima Virginis deſcendit ſuper terrenum lutum humanæ naturæ, & tamen non fuit deturpata à luto peccati originalis; ſed potiùs totam humanam naturam illuminavit.

Secundum exemplum eſt: quòd aurum in viſceribus terræ non corrumpitur, ſed potiùs perficitur; ſic Virgo in viſceribus matris non fuit aliquâ maculâ peccati originalis corrupta, ſed potiùs à Spiritu S. præſervata.

Tertium exemplum eſt: ſicut ramus abſciſſus ab arbore bona, & inſertus in malam arborem, non inficitur ab ea, ſed potiùs perficit eam; ſic anima B. Virginis non inficitur ab eo corpore, ſed potiùs ipſum corpus perficitur & ſanctificatur in omnibus partibus ſuis ex redundantia gratiæ ab anima B. Virginis.

Quartum eſt: ſicut roſa producitur de virga ſpinoſa, & tamen in ſe non habet aliquam ſpinam, ſed eſt tota pulchra & delectabilis viſu; ſic Virgo benedicta licèt fuerit producta de arbore ſpinoſa peccati originalis, tamen in ejus anima non fuit aliqua macula peccati originalis: & ita erat delectabilis viſu aſpicientium, quòd non ſolùm boni proficiebant in ejus viſu, ſed luxurioſi eam aſpiciendo fiebant caſti.

Quintum: ſicut Salamandra in igne non corrumpitur aut comburitur, ſed perficitur; ſic Virgo benedicta in igne peccati originalis non fuit uſta aut combuſta, ſed perfectior effecta, & gratiâ repleta. Qui etiam ſervavit in Arca diluvii octo homines, ne perirent: ille etiam potuit ſervare animam B. Virginis ne periret diluvio peccati originalis. Alia exempla naturalia invenies in alio Sermone de Conceptione.

Quintò probatur cum certis ſignis mirabilibus. Nam hoc ſacramentum ſacratiſſimæ Conceptionis voluit Deus revelare per miraculorum ſigna; quia miraculum eſt ſignum inſolitum, arduum, ſuper facultatem admirantis.

admirantis. Primum miraculum eſt, quod fuit quidam Sacerdos in Regno Ungariæ, qui prædicando aſſerebat Beatam Virginem fore conceptam in peccato originali; antequam perfecerat prædicationem, cecidit & mortuus eſt ante Altare. De hoc reddit teſtimonium Rex Ungariæ cuidam Magiſtro Mantuano.

Secundum miraculum fuit factum in civitate Toloſana, in feſto præfatæ Conceptionis. Fuerunt enim ibi duo Religioſi, quorum unus prædicabat aſſerens B. Virginem fore conceptam in peccato originali; ſed factâ prædicatione venit quidam lupus, & eum coram omnibus ſuffocavit. Alius verò idem prædicavit; ipſo deſcendente de ambone, volens celebrare Miſſam in Sacello S. Michaëlis, in qua erat quædam imago B. Virginis ſculpta in lapide marmoreo, pulcherrima viſu, quæ in ejus aſpectu revolvit vultum contra Fratrem, & remanſit ſic talis imago uſque in hodiernum diem. Frater verò qui hoc prædicaverat, finitâ Miſſâ factus eſt cœcus, & præ nimio dolore clamavit: O Virgo Beata redde mihi viſum, & ſtatim totum oppoſitum prædicabo; facto voto viſum reaccepit.

Tertium miraculum. Quidam Religioſus videns mulieres euntes ad Eccleſiam, dixit eis: Non benè facitis talia credere, quia fuit concepta in originali peccato. Et dixit: Rogo Deum, ſi eſt feſtum Conceptionis hodie celebrandum, quòd non perveniam ſanus uſque ad veſperam; veniente horâ veſperarum, repertus eſt in camera ſuſpenſus per pedes.

Quartum miraculum fuit in civitate Romana, coram Papa Martino V. anno 1424. Quidam Magiſter volens determinare quòd eſſet B. Virgo Maria concepta in originali peccato, expulſus fuit de civitate Toloſana. Venit Romam, coram Papa volens determinare quòd dixerat, in præſentia Papæ: & data fuit ſibi audientia determinato die & horâ. Omnibus aliis ibidem exiſtentibus in Palatio Summi Pontificis, ipſo autem non veniente; quidam Bedellus ivit pro eo, & ipſum reperit in lecto mortuum, & quidquid habuit interiùs, emiſerat. Judicia Dei, abyſſus multa.

Quintum ſignum fuit factum in Regno Aragoniæ. Quidam Frater Ordinis Prædicatorum adjuravit unum Dæmoniacum, ut diceret ſibi unum magnum dubium quod in mente gerebat, ſcilicet, ſi Beata Virgo concepta fuerat in peccato originali; Dæmoniacus reſpondit voce magnâ clamans: væ, væ, væ, qui feſtum Conceptionis non celebrant, ſed potiùs

tiùs malum de Virgine dicunt. Alia miracula invenies in alio Sermone de feſto Conceptionis. Nunc verò, ut præmiſi in principio Sermonis, invocabo lapides, aves, beſtias, arbores, plantas atque ſtellas; & primò incipio à Phœnice.

Phœnix, venias, propera amica mea; dic ſi creatoris tui Mater in peccato originali eſt concepta? Reſpondeo, ait Phœnix: Ego ſum avis una & unica in mundo; & ſicut ego à plaſmatore meo mirabiliter concipior, mirabili modo vivo, modoque mirando morior ſingulariter ſuper omnes aves mundi. Concipior ſine putredine & fœtore, ex aromatibus & lignis pretioſis: ſicut conditoris mei Mater abſque originalis peccati fœtore eſt concepta. Unde ait Pſalmiſta: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, &, Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Ergo Regina gloriæ nullo veſtitu vili, ſed vario virtutum flore fuit concepta. Et hæc dicens recedit.

Vocatur Aquila, ut referat quid ſibi aſſerendum videatur. Et reſpondet: Ego, inquit, avium à conditore meo poſita ſum Regina, & ab opifice meo accepi ſingulariter ſupra omnes aviculas, ut volatu meo excellam eas, altiſſimè me ſuper aërem expandendo; ut nulla ex meis ſubditis me ſequi valeat, ſed ſubditi mei per aëra ſuis extenduntur alis: & oculorum meorum intuitu video ſolis rotam irreverberato viſu meo; & hæc mihi à Rege omnium ſunt conceſſa. Cùm igitur Regina cœli, Domina Angelorum, & decor univerſalis machinæ mundi, electa ſit in Matrem Dei, & ſibi ſoli eſſe & Virginem & Matrem ſit conceſſum, (in quo omnes excellit fœminas & natas & naſcituras) & tam altè volaverit, quòd nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: concludo ego, quòd modo ſingulari Conceptu ſuo excedat omnes qui fuerunt, ſunt & erunt; & per conſequens ſine originali peccato eſt concepta. Scriptum eſt enim: Sanctificavit Dominus Tabernaculum ſuum; & idem: Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Ampliùs; ſicuti ego Aquila claritatem ſolis intueor; ſic Mater Domini mei Regis divini luminis radios abſque infectione recepit in ſua Conceptione, ubi nihil divinæ illuminationi poterat obſiſtere. Quapropter radios illos recipiens à peccato originali fuit præſervata. Et ideo dicit ad eam Rex Regum, dilectus ejus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; Cant. 1. Et hæc dicens ſubticuit avium hæc Regina. Tertia avis.

Tertiò Philomela vocatur, quæ ait: Avicularum quamquam ſim minima,

nima, tamen mirabilia in me formavit Altiſſimus; dedit enim mihi dulcedinem vocis quâ delectantur & homines & beſtiæ. Libertatem etiam dedit mihi, ut libera ſim ab impetu rapacium, & me volare, quocumque voluero, permittunt. Sic nimirum Factoris mei Mater cantu dulciſſimo, ſic ipſa ſola Filium Dei traxit de cœlo; unde meruit libertatem, ne ab aliqua rapaci capiatur culpa, ſed ſemper libera maneat: hinc concludendo quòd concepta eſt ſine peccato originali. Nam cùm eſſem in Paradiſo, vidi Evam liberam creatam, & non ſervam; ſed multò dignior eſt Mater Creatoris mei, quàm fuit Eva: ergo Maria fuit libera & non ſerva, & per conſequens ſine originali concepta: unde hac de cauſa Angelus ad eam dulce verbum cecinit dicens: Ave gratiâ plena. Vnde ſequitur quòd fuerit ſine væ ſimpliciter: ſed peccatum originale dicit magnum væ, quia iram Dei, & diabolo eſſe ſubjectam, ſecundùm Apoſtolum & Auguſtinum: ſed talem non decuit eſſe Matrem Dei; & ideo ſine originali fuit concepta. Et his dictis ſiluit Philomela. Audivimus igitur teſtimonium trium volatilium. Auſcultemus nunc, quid dicant bruta de Conceptione Virginis glorioſæ. Vocatur & nunc Unicornis.

Accedat Unicornis. Qui vocatus ait: auſterus ego ſum omnibus, attamen ſi virginum nuda videro corpora, auſteritatis oblitus in ſinu earum recumbens dulciter earundem ubera lambens, & quid mali contra eas fuerit attentatum, ſtatim invadentes occido & virgines ſanas & incolumes cuſtodio ne maculentur aut aliqua fœditate inquinentur. Si igitur ego qui beſtia ſum, ſic obſervo virgines ſicque intactas eas defendo ab omni irruente: nonne Dei Filius .... Matrem ſuam præſervando & protegendo ne culpam incideret quàm poſt culpam relevando, ſicuti ego virgines cuſtodio ne invadantur? Unde ipſa dicit: Ab initio & ante ſæcula creata ſum: in habitatione Matris in utero fuit ſancta. Concludo igitur quòd Maria Mater Dei fuit abſque peccato originali concepta. Et ſic obticuit.

Veniat & Leo, & narret quid ſibi dicendum æſtimet circa prælibata, qui veniens ait. Et quis eſt qui me vocavit? Ego Rex omnium beſtiarum dicam ſententiam meam circa enarrata. Conditor me ſummus condidit & contra omnium inſultus beſtiarum perpotentem fecit de gratia ſingulari, ita ut me irato cuncta terreantur, me rugiente tremant & paveant. Nonne igitur vas illud unde Patris in divinis factus eſt Filius, potentificare debuit contra immunitatem culparum? Nam ſi potens facta fuerit contra infirmitates & dolores Evæ, cui dictum fuit: In dolore paries filios; & con-

tra maledictionem Adæ, cui dictum: Pulvis es & in pulverem revertêris; ergo cùm ab utraque hac maledictione fuit præservata, quæ tamen non est peccatum sed pœna peccati, sequitur quod à gravissimo peccato, quod est originale, debuit præservari: quia à quo tollitur minùs propter reverentiam, ab eodem etiam tollitur majus: ergo &c. Unde concludo quod MARIA non fuit concepta in originali; & sic tacuit Leo.

Sed & etiam venit Mustela, ut illius sententiam etiam audiamus, & venit; quæ interrogata respondit. Bestiarum sum quasi minima, & pro Regina cœlorum loqui non verebor. Ecce quale animal ego sum, Factor meus tam parvam fortitudinem concreavit, ut basiliscum occido, qui tamen tam venenosus est ut interimat visu: ego tamen illum aggredior rutâ munitus, & non curans ejus venenum, ipsum fortissimum interficio, nec contra me quicumque potest. Cùm igitur Dei Mater alma munita fuit singulariss imâ gratiâ, quæ in ipsa fuit sicut in Christo, quanquam aliter, ut ait Hieronymus in Sermone de Assumptione; quæ tantam habuit gratiam, quod in originali non est concepta. Eadem etiam est caro Matris & Filii: non decuit igitur carnem, unde Dei Filius formatus est, esse obnoxiam veneno peccati originalis. Et sic Mustela suum propositum enarrans tacuit & quievit. Sequitur concilium jumentorum & arborum.

Vocatæ sunt & arbores, ex quarum omnium consensu vitis est locuta dicens: Audite me intelligentes. Ego audivi sententiam volucrum & quadrupedum, & in me arbores consensêre: & quidquid dixero, ratum habebunt & gratum. Vitis sum ego arbor nobilissima à Plasmatore meo tantæ creata virtutis, ut omnem lætificem creaturam rationalem; quæ me tantùm diligit, quod sine me nec in infirmitate nec in sanitate vivere poterit, imo à morte ipsam præservo & pristinæ sanitati restituo. Cùm autem Mater Domini mei mihi comparetur dicente Scriptura: Ego quasi vitis fructificavi: & ego à morte protego, ut prædixi; permaximè Virgo MARIA Mater summi Opificis à morte liberavit genus humanum mediante Filio suo: sed non debet mori spiritualiter quæ à morte spirituali omnes liberavit, ut jam dixi: ergo MARIA nunquam fuit mortua spiritualiter. Unde sequitur quod Virgo MARIA porta cœli, & Genitrix Filii Dei, & vivificatrix omnium, non sit concepta in peccato originali. Et hanc sententiam ego vitis pronuntio ex parte arborum & plantarum; & sic vitis tacuit & recedit.

Sequitur sententia lapidum; & carbunculi, qui profert sententiam ex

parte

parte omnium. Deinde vocantur lapides ut enarrent quid circa Virginis Conceptionem ſentiant. Unde quà vertitur præſens ſermo. Unde arbitrati ſunt in carbunculum; qui omnium ex parte profert ſententiam atque veram. Conveniunt ergo lapides omnes,& omnium ex parte carbunculus ait. Norunt omnes qualem me fecerit à principio Opifex rerum omnium in tanto claritatis radioſo lumine: ut non ſolùm mihi lucem præbeam, ſed omnia quæ tenebroſa fuerunt loca, meâ lucis claritate repleo, lætificans omnium oculos ne tenebris obſcurentur. Si igitur mihi claritatis donator claritatem ab initio dedit talem ut prænarravi; nonne dilectiſſimam Matrem ſuam debuit à principio ſui eſſe minus ornare & honorare quàm me qui lapis ſum & creatura non ſenſitiva? ipſe enim præcepit honorare parentes, & quod mandavit aliis, ipſe principaliter & dulciſſimè adimplevit. Unde ſequitur quod nulla in Virgine à principio ſui fuerit obſcuritas, ſed claritas plena atque perfecta; & per conſequens nullum in ea fuit originale.

Vocatæ ſunt & ſtellæ cœli, & reſpondit Auctor earum dicens: Hæc Virgo in principio ſui in prima facie ſigni apparuit munda & magni animi, magnique decoris, teſte Albumaſar lib. 6. majoris Introductorii: ergo in principio ſui non erat immunda & deformis per culpam. Item à ſui principio habebat ſplus honeſtatis, dicente Ovidio in lib. de Vetula: O Virgo felix, ô Virgo ſignificata per ſtellas, ubi ſpica nitet! ergo fuit ſine vituperio culpæ: ergo ſine macula peccati originalis. Ampliùs: in Conceptione hujus puellæ prima facies ſigni hujus Virginis erat de ſigno Virginis, ergo puella hæc erat incorrupta & intacta ſecundùm utrumque hominem: & ſedit tacens ſtellarum princeps. Ex quibus omnibus & ſingulis patet quòd Virgo MARIA fuit ſine peccato originali. Sic igitur apparet quòd ex gratia & ſingulari privilegio Beatiſſima Virgo fuit ab omni infectione culpæ originalis immunis. Huic etiam parti ſuffragantur alia pulchra miracula Sanctis Viris oſtenſa.

Circa quartum, videlicet qualiter intelligitur modus, quo Chriſti Mater fuit præſervata; apud Doctores fuit quadruplex opinatum. Primò, aliqui dicunt quod per infuſionis purgationem; imaginantur enim quòd maſſa ex qua corpus Virginis fuit formatum, in ſuis parentibus fuit corrupta, ſed antequam ſibi uniretur, fuit purificata: & per hoc anima non fuit unita carni infectæ, & per conſequens non contraxit labem originalem. Et iſta fuit opinio Pauli Veneti. Sed iſte modus implicat peccatum originale eſſe qualitatem morbidam in ſenſitivis viri-

bus complantatam, quod aliàs improbatum eſt.

Illi de ſecunda opinione dicunt, quòd fuit per cauſalitatis ablationem: iſti enim imaginantur quod licet peccatum originale non ſit in carne formaliter, eſt tamen cauſaliter. Et ideo dicunt quod in principio unionis animæ Virginis ad carnem, ablata fuit à carne cauſalitas diffundendi peccatum originale. Et iſtam opinionem tenet Magiſter Joannes de Suſato in ſermone Nativitatis B. Mariæ Virginis, qui incipit: Gaude & lætare filia Sion; & Magiſter Jordanus in ſecundo Sermone de Conceptione, ambo Ordinis Fratrum Eremitarum D. Auguſtini. Sed nec iſti benè dicunt, neque iſte modus videtur ſufficiens, pro eo quod non rectè ſentiunt de conditione peccati originalis, ut ſuperiùs dictum eſt.

Tertio modo, quòd fuit per privilegii ſpecialem conceſſionem; ita quòd hoc eſſet privilegium parentibus Virginis conceſſum, quod poſſent generare prolem in quam non caderet decretum generale: ſicut dicimus, cùm Dominus dicit ſervis ſuis quòd primogeniti eorum gaudeant privilegio libertatis; tunc cùm talis naſcitur, ſine obligatione ad ſervitutem naſcitur.

Quarto modo dicitur, quòd fuit per ſingularem diſpenſationem in Virgine, ne primo eſſe ſuæ Conceptionis caderet ſub Evæ infelicitatis elogio, ut non naſceretur in peccato originali. Sicut modò, ſi Papa diſpenſaret cum aliquo concepto in adulterio, ne naſceretur irregularis; & iſti duo ultimi modi videntur ſatis convenientes, & maximè ultimus: cùm peccatum originale, ut aliàs dictum eſt, contrahatur per modum cujuſdam irregularitatis. Poſſet aliquis imaginari, & eſt quintus modus, quòd ſicut, ſi Adam ſtetiſſet in ſtatu innocentiæ, fuiſſet totus immaculatus ſine peccati libidine, & ex hoc non fuiſſet libido fœdativa: ita parentes Virginis convenerunt ad invicem ex ſpeciali conceſſione ſine quacumque fœditate, vel carnis prurigine; & ſic Virginem Reginam conceperunt.

Et iſtum modum poſui juxtà concluſionem ſuperiùs poſitam. Et nota benè iſtam concluſionem, quia pulchra eſt. Sed ſcio quòd inimici Virginis glorioſæ iſtum quintum modum non admittunt, quia dicunt quòd Sacri Doctores communiter tenent, quòd in ſola Chriſti conceptione non fuit libido, & in omnibus aliis ſic; quia maximam difficultatem videtur habere (dicũt ipſi) quòd vir & fœmina poſſint conjungi ſine partis ſenſitivæ ſolamine: & ideo judicio aliquorum quartus modus videtur rationabilior inter omnes, quia per ipſum ſalvatur communis

propagan-

propagantium conditio, & oſtenditur omnis miſerationis magnificentia, quâ diſpenſat ne futura Domini Mater originale contrahat quovis modo. Sic igitur apparet qualiter ſentiunt circa Conceptionem Beatiſſimæ Virginis ſui dilectores præcipui, ſecundùm conſiderationem divinalis ſuffragii & ſpecialis exemptionis.

Ad ſolvendum rationes & authoritates Adverſariorum, eſt notandum ſecundùm Hermannum de Schildis in Tractatu ſuo de Conceptione, cap. 6. ubi dicit quòd ſacra Scriptura quadruplicem modum exprimit de conceptione alicujus. Uno enim modo accipitur pro ſuſceptione ſeminis, Hæb. 6. Fide Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit: ſecundo modo accipitur conceptio pro formatione humani corporis; unde Gen. 20. dicitur quòd Agar concepiſſe ſe videns, deſpexit Dominam ſuam; tunc enim primò conceptio cognoſcitur cùm corpus ſucceſſivè formatur: tertio modo Scriptura accipit conceptionem pro infuſione animæ, vel pro fœtûs animatione; tunc enim primò concipitur homo cùm anima infunditur. Unde intelligitur illud Pſalmi: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Quartò, ſacra Scriptura accipit conceptionem pro conſervatione fœtûs in utero; ut Hæb. 20. ubi Hieremias ſibi imprecatur quòd non fuiſſet natus ex utero, ſed venter matris fuiſſet æternus.

Secundò notandum eſt, quòd illud quod ineſt rei per naturam ex ſe, dicitur etiam ei ineſſe, ſi ab aliquo agente præveniatur vel præſervetur, ut hoc ei non inſit. Quod patet & in naturalibus. Quia cùm aër à natura ſua privatus ſit luce, ex natura ſua ei inſunt tenebræ vel privatio lucis, etiam cùm actu illuminatur à ſole. Et verum eſt dicere quod aëri ex natura ſua ineſt privatio vel carentia lucis, etiam cùm lucidus eſt; quia ineſt niſi præveniretur & præſervaretur à ſole vel alio corpore luminoſo. Et hujus ſimile eſt in omni creatura, quia de ſui ratione ex nihilo eſt, & tamen prævenitur & præſervatur à Deo, ne nihil ſit, etiamſi ab æterno fuiſſet; ex ſe tamen eſſet de nihilo, licet nunquam fuiſſet nihil. Hinc eſt quòd dicitur Iſaiæ 41. Ecce vos ex nihilo eſtis, & corpus veſtrum ex eo quod non eſt. Hinc eſt quod dicitur in Pſalmo: Omnis homo mendax; quod exponitur ab Auguſtino ſic de Martyribus: id eſt, ſecundùm quod ipſi erant mendaces ex ſe, niſi fuiſſent Spiritu ſancto præventi & illuſtrati. Et hujus etiam habemus exemplum in Vitis Patrum, in S. Agathone Abbate; quem cùm quidam Fratres tentantes ejus humilitatem & patientiam, dicerent eum eſſe ſuperbum, detractorem & fornicatorem,

quorum tamen nullum in ſe habuit : ipſe confeſſus fuit in his omnibus ſe reum eſſe, quia ſenſit ſe ab his vitiis ſolâ Dei gratiâ præventum & præſervatum ; ſed ex ſe ſibi ineſſe.

Tertiò notandum eſt, ſecundùm Hermannum de Schildis, ubi ſuprà: quod tam naturaliter quàm moraliter aliquid poteſt ineſſe radicaliter & cauſaliter alicui, quod tamen non eſt formaliter ; & de facto in naturalibus jam ſuprà poſitum eſt exemplum immediatè. Etiam moraliter, ſecundùm leges loquendo, aliquid poteſt ineſſe alicui de jure communi, à quo tamen poteſt eſſe præventus privilegio ſpeciali ; verbi gratia : omnis utriuſque ſexus tenetur confiteri ſuo proprio Sacerdoti, ut patet Extra. de Pœn. cap. Omnis utriuſque ſexûs ; tamen quotidie præveniuntur & præventi ſunt multi, ne Curato confiteantur, privilegio : manet tamen nihilominus lex in ſuo vigore. Nec oportet quod accipiantur privilegiati, ſed ſecundùm leges Canonis omnis homo tenetur, licet aliquis per privilegium jam ex communi conſuetudine (quam rationabiliter & ſcienter tolerat Eccleſia) quod ſibi poſſunt quos volunt eligere Confeſſores : ut patet per Hoſtienſem in Gloſſa ſuper dicta decretali, & Doctores Juris.

Iſtis notatis reſpondetur ad rationes alterius opinionis tenentis viam legalis imperii, & generalis traductionis.

Arguebatur enim primo ex radice concubinalis propagationis ; & ſic in ſententia: Quod competit alicui individuo ratione ſuæ ſpeciei, competit & cuilibet individuo ejuſdem ſpeciei : cùm igitur ſorti ex hoc quod eſt conceptus ex concupiſcentia & commixtione viri ac mulieris libidinoſa, conveniat fuiſſe in originali conceptum, & hoc ratione ſuæ ſpeciei: ſequitur quod & cuilibet individuo ejuſdem ſpeciei cui competit concubinaliter fuiſſe conceptum, eidem competit quandoque in originali fuiſſe : ſic fuit de B. Virgine ; igitur propoſitum. Major patet ; & Minor probatur per hoc quod ſorti competit, quod fuit in originali conceptus. Aut igitur ex hoc quod ſortes : & hoc non, quia tunc Deus non poſſet ipſum creare, quin produceret ipſum in originali conceptum ; & per conſequens non videtur quod ſibi conveniat aliundè quàm ratione propriæ ſpeciei.

Ad illam rationem reſpondetur. Pro cujus declaratione tres pono propoſitiones, quarum prima eſt hæc.

Contrahere peccatum originale non competit alicui ratione ſuæ individualis conditionis.

Iſta propoſitio apparet. Quia ſtat illud individiùm aliter eſſe productum quàm

quàm per legem naturalis propagationis, & tamen pro tunc non esset in originali conceptum; & haberet rationem individualem quam nunc habet: quare propositum.

Contrahere peccatum originale non convenit alicui individuo ratione suæ specificæ perfectionis. Ista propositio patet. Quia Christus non fuit in originali conceptus, & tamen ipse erat homo. Quia ratio specifica est indifferens formaliter ad culpaliter esse: quare propositum.

Originale convenit & competit alicui individuo in humana specie, propter demeritum primi parentis, & divinum decretum obligans filios Adæ ad pœnam sensûs pro tali crimine. Volo igitur dicere quòd non sufficit solum demeritum ad hoc quòd concubinaliter ab ipso descendens contrahat peccatum originale; sed requiritur divinum decretum imputans liberè Adæ posteritati tale peccatum. Quòd illi pueri habent pœnam sensûs, probatur per D. Augustinum in libro de fide ad Petrum; & habetur de Consec. dist. 4. Firmissimè tene & nullatenùs dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, in originali peccato nasci: qui si in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati, sine Sacramento Baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, de hoc sæculo transeunt, æterno igne puniendos. Hæc Aug. Idem probat Aug. in libro de Baptismo parvulorum, multis rationibus.

Prima est. Illi pueri vel erunt in Judicio à dextris vel à sinistris per sufficientem divisionem; quia non datur locus medius, secundùm Augustinum contra Pelagianos. Si à dextris, audient judicem dicentem: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; quod est contra Evangelium S. Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Si verò erunt à sinistris, audient judicem dicentem: Ite maledicti in ignem æternum. Et ideo illi Doctores qui dicunt quòd non habent aliam pœnam nisi damni, ut Thomas & Ægidius, turpiùs oberrant quàm Pelagius, ut dicit egregius nostri Ordinis Doctor Augustinus de Roma in Tractatu suo quem edidit contra Doctores scholasticos, ut puta contra Thomam & Ægidium. Idem tenet subtilissimus Doctor Gregorius de Arimino, in secundo Sententiarum. Idem tenet gloriosus Doctor Ioannes Klencock in Sententiis. Ad propositũ igitur applicando, dico, quod licet B. Virgo, quantùm fuisset ex parte parentum, contraxisset peccatum originale, tamen defuit alia causa, videlicet decretum Dei imputans illud sibi: & ideo non fuit in originali concepta.

Propterea

Propterea arguere ab uno requiſito, ad hoc, ut peccatum originale contrahatur, ad quodlibet requiſitum, eſt arguere ab iſta ſingulari ad ſuam univerſalem; ut quia ſortes currit, ideo omnis homo currit: conſtat quòd illud argumentum habet parvam radicem, & ſic eſt in propoſito. Nam in hoc conſiſtit fundamentum rationis ipſorum: hoc fuit concubinaliter conceptum, ergo fuit in originali conceptum. Eſt enim fallacia conſequentis. Et è converſo conſequentia eſt bona. Et ratio eſt, quia conſequens includit unum quod non includit antecedens, videlicet quòd ille conceptus per concupiſcentiam imputetur, per divinum decretum nullatenus imputetur. Et per hoc apparet, quòd ratio parum concludit.

Ad auctoritatem B. Auguſt. quæ inducebatur in de fide ad Petrum, ſic dico: quòd ſi iſta auctoritas capiatur de ritu ſermonis, iſti qui adducunt iſtam authoritatem, deberent concedere B. Virginem non fuiſſe ſanctificatam in utero: quod tamen ipſi negant. Conſequentia patet: nam authoritas dicit quod omnis qui fuit conceptus per concubitum viri & mulieris, fuit natus in peccato originali, & per conſequens etiam B. Virgo fuiſſet nata cum peccato originali, & ita non ſanctificata in utero. Oportet igitur ipſos authoritatem gloſſare, quam & ego gloſſo. Pro quo advertendum pro ſalute multarum authoritatum, quod diſtributio quædam eſt mobilis, & quædam accommodata. Prima membra dant communiter loqui, ut patet in propoſitione exceptiva & ſua præjacente. Nam cùm dico, omnis homo præter ſortem currit, ly homo habet diſtributionem immobilem, quia non contingit deſcendere ad partem extra captam; ſed ſua præjacens habet diſtributionem mobilem, cùm dicitur, omnis homo currit: & iſtæ acceptiones ſunt de virtute ſermonis. Diſtributio verò accommodata eſt ſecundùm intellectum, & ſine vocis expreſſione; ſicut dicimus de bonis viris, quòd ſemper orant, ſemper bonum faciunt, & tamen non eſt verum de virtute ſermonis; ſed eſt ſenſus: quandocumq; iſte bonus aliquid facit, illud eſt bonum, & ſic de ſimilibus. Ita in propoſito vult B. Aug. quod quilibet qui concipitur per concubitum viri & mulieris, nec præſervatur nec ſanctificatur in utero, naſcitur in peccato originali. Unum iſtorum habent iſti concedere de neceſſitate, ſi volunt ſalvare authoritatem; videlicet quod omnis qui ſic concipitur, nec ſanctificatur in utero, naſcitur in peccato originali: vel oportet eos diſtinguere, quod quandoque capitur neceſſitas communiter, quandoque propriè; & qualitercumque faciunt, oportet ipſos gloſſare authoritatem, ſicut & ego. Ex quo apparet quod illa authoritas modi-

cum

cùm facit pro eis, cùm æquæ ſit contra eos ac pro eis. Ergo, &c.

Secundò reſpondetur ad authoritatem Auguſtini. Primò dico quod conceptio capitur tripliciter. Primò pro commixtione ſeminis in amplexu viri & mulieris: alio modo capitur conceptio pro figuratione membrorum uſque ad inſtans animationis; & tertio pro introductione inſtantanea formæ in materiam diſpoſitam, ſcilicet animæ in corpus jam organizatum. Secundò notandum quòd contrahere peccatum originale intelligitur dupliciter, uno modo cauſaliter vel radicaliter, alio modo formaliter & effectualiter.

Primo modo loquendo, aliqui dicunt quòd Virgo glorioſa contraxit peccatum originale realiter & radicaliter, & ſic exponunt dicta S. Auguſtini & cæterorum Doctorum dicentium B. Virginem in originali conceptam: quia dicunt quòd illa materia fuit in libidine effuſa, ſed fuit mundata, purgata & curata. Quia libido eſt accidens ſeparabile differens realiter à ſuo ſubjecto, & ideo potuit ab illo ſeparari; & ideo purgatâ materiâ in introductione animæ, materia non contraxit originale. Et ſic dicitur ad rationem Thomæ, qui dicit parentes non fuiſſe curatos: ſufficit enim materiam illam fuiſſe purgatam. Quapropter quod Fr. Thomas præſupponit, hoc nos negamus. Sed ſecundo modo, ſcilicet effectualiter & formaliter, ipſi negant, quia fuit prævenia ante infuſionem animæ, ne peccatum contraheret originale, &c. Prima reſponſio eſt melior.

Ego verò huic reſponſioni aliam adjicio. Hæc namque propoſitio, omnis homo conceptus ex viro & fœmina concipitur in originali peccato, eſt accommodata, id eſt, pro pluribus vera: ſtat tamen unam accipi ſingularem. Eſt ergo vera univerſaliter quoad omnes, quantùm eſt de per ſe, & de jure, & intrinſecè: ſed per aliud de gratia & extrinſecè poteſt conſervari aliqua creatura privilegio ſingulari. Huic etiam addit egregius Auguſtinus: Firmiſſimè, inquit, tene quòd omnes qui ab Adam deſcenderunt, in die judicii cum corpore & anima reſurgent reddituri rationem de malis quæ geſſerunt; clarum eſt quòd diſtributio eſt accommoda, quia hæc glorioſa & glorificata puella non reſurget. Similiter iſta: omnis homo mendax, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt mendax. Abſit. Et iſta: omnes ſtudent avaritiæ. Revera nec Chriſtus mendax, nec Maria, neque Chriſtus avarus, nec Maria avaritiæ inhærebat. Et omnes his ſimiles propoſitiones ſunt accommodatâ diſtributione exponendæ.

Ad ſecundam authoritatem Auguſtini ſuper Pſal. 34. ſuper illo verbo: Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, dicit ſic: Dominus aſſumpſit carnem de maſſa ipſa quæ mortem meruerat; ex peccato etenim (ut celeriùs dicam) MARIA ex Adam mortua propter peccatum. Reſpondetur, quod certiſſimum eſt MARIAM ex Adam propter peccatum, revera non ſuum, ſed propter Adæ peccatum fuiſſe mortuam: mors enim fuit pœna ſequens ex peccato Adæ, cui dictum erat: Quacumque die comederis, morte moriêris. Chriſtus verò etſi morte violentâ mortuus non fuiſſet, attamen tandem ſenio defeciſſet, qui etiam ex natura peccatum nullum habuit; mortuus igitur fuiſſet & Chriſtus propter Prothoplaſti peccatum, qui ſinè originali ex natura & gratia unionis conceptus fuit. Nihil ergo contra me prædictis verbis probatur, niſi quòd per peccatum Adæ mors intravit in mundum, & ita in omnes tranſiit, qui de ſtirpe ſua proceſſerant: ex quo nullâ vi, nullo quoque modo ſequitur, MARIAM in originali conceptam.

Ad alias authoritates B. Auguſtini reſpondetur, quòd verè ſint de jure communi & de facto: iſto tamen non obſtante, Virgo hæc glorioſa innocens fuit de gratia ſingulari; non de jure ſed de facto. Nec eſt curandum, inquit Hermannus de Schildis Doctor egregius, ſi etiam aliquæ authoritates Sanctorum hoc tenent: quia cùm in principio de aliqua materia diſputabatur, Sancti nonnunquam diverſas ſententias propoſuerunt, & contrarias. Sicut patet de origine animæ, quam quidam Sancti poſuerunt eſſe ex traduce, quidam creatam in principio ante mundum corporeum, quidam creari de novo & infundi corpori organizato. Sicut patet in Epiſtola Aug. ad Hieron. & de multis aliis ſimilibus hoc invenitur: de quibus tamen poſtmodùm S. Doctores vel inter ſe ex diverſis diſputationibus, vel ex determinatione Eccleſiæ devenerunt in unam ſententiam uniformem, &c. Jam, ut puto, capiti ſatisfactum eſt; ad membra debiliſſima accedamus. Quod Auguſtinus ſit caput omnium Doctorum, probatur. Quia dicit Proſper in libro de Laudibus Auguſtini: Auguſtinus Dominus & caput omnium Doctorum eſt; ſicut enim lux inter corpora primum locum, ſic B. Auguſtinus inter omnes Doctores obtinet principatum. Et infrà: ſileant omnes Doctores, ut mellifluum os aperitur Auguſtini. Idem dicit Remigius: ſicut ſol in lumine ſuo excedit omnes planetas, ita Auguſtinus omnes excellit Doctores in exponendis ſacris Scripturis. Alii Doctores comparantur ſtellis, ipſe ſoli: quia ſicut ſtellæ à ſole lumen recipiunt, ita omnes alii lumen veræ ſapientiæ à fonte ſuæ doctrinæ hauriunt. Hæc Remigius. Hæc ideo dixerim, quia ſunt nonnulli beſtiales

beſtiales & fatui qui dicunt quod S. Thomas fuit ſimilis Auguſtino; eorum fatuitatem audiens, ſæpiùs riſi. Tales phantaſtici volunt ſe erigere, & Doctorem Scholaſticum ſuper omnes exaltare; quamvis in multis ſibi ipſi contradixerit; quod ab Ægidio Romano nunquam repertum eſt. Sed puto quòd multis riſum exhibebunt, velut alter Thales Mileſius, qui cùm ante ſe præcipitii foveam haberet, & ſtellarum diſpoſitiones conſiderare vellet, ad longiora proſpiciens in proximis cecidit: qui & à vetula hoc ſpectante irriſus eſt. Hæc propterea ſcripſi, ne ad ſtellarum diſpoſitiones, ad ipſius videlicet Auguſtini famam & ſcripta ſe elevent, & tantum Doctorem blaſphement; quia duos habet baculos paſtorales, uno percutit lupum, altero minatur gregem.

Ad auctoritatem B. Gregorii, &c. Hìc pro intelligentia iſtius authoritatis & ſimilium, eſt advertendum (ſicut ſuperiùs fuit dictum) quòd Conceptio ſumitur quatuor modis. Primò pro ſeminis ſuſceptione; ſecundò pro corporis formatione, figuratione, lineatione: juxta illud Sap. 6. In ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis & delectamento ſomnii veniente. Tertiò ſumitur pro animæ rationalis infuſione; juxta illud Auguſtini ſuper Joannem, exponentis illud verbum Joannis 20. Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & in tribus diebus excitabis illud? ipſe autem dicebat de templo corporis ſui; ubi dicit: In maſculo infunditur anima 46. die à ſeminis infuſione, in fœmina autem 80. die infunditur anima. Ad propoſitum igitur applicando, dico quod B. Gregorius, cùm dicit quod ſolum in mundo vidit hominem de mundo ſemine non eſſe conceptum, loquitur de Chriſto: quia hoc verum eſt de conceptione primo modo dicta, quòd ſolus Chriſtus fuit de mundo ſemine conceptus. Nam Adam fuit per creationem, & Eva de latere viri formata; Chriſtus verò non per commixtionem ſeminum, in quibus eſt fœditas corporalis, & libidinoſa conjunctio. Sed ex hoc non ſequitur quod B. Virgo peccatum originale contraxit, (ut priùs dictum eſt) quia in principio infuſionis animæ ad carnem, caro illa ab omni originali fœditate purgata eſt, ideo illa anima nunquam peccatum originale contraxit; vel quod in initio infuſionis animæ Deus Virginem ſpecialiter præſervavit: & ideo æquivocatio eſt de conceptione. Si enim loqueretur de conceptione primo modo; dicendum eſt, ſecundùm aliquos, quòd illud ſemen deciſum eſt per delectationem carnalem: quamvis ego hoc non aſſero. Sed ex hoc nihil ad propoſitum.

Secunda ratio fuit: Antequam infligitur pœna, &c. Ad illud potest responderi quadrupliciter. Uno modo, quòd aliquæ pœnalitates sequuntur de condigno originale peccatum: ut incineratio & putrefactio; & ab his B. Virgo fuit exempta, ut communiter creditur. Et ex hoc diceretur quòd mors & esuries non essent pœnalitates peccati originalis formaliter: quia & has Christus habuit: & ideo ex istis non arguitur quòd B. Virgo in originali fuerit concepta. Secundò dicitur, quòd dato hujusmodi pœnalitates sint propter peccatum originale introductæ; tamen sequuntur naturam humanam sibi relictam, & non propter gratiam stabilitam. Vnde sicut superiùs dictum est, quod etiam Christus senio fuisset mortuus, si non fuisset per Dei gratiam specialiter prȩservatus. Nunc autem attribuere uni quod potest plures causas habere de firmo per viam argumenti; ratio parùm valet. Sicut homo potest esse per creationem & generationem: nunc autem arguere, est homo, ergo per creationem; ratio parùm valet.

Tertio modo dicitur: dato quod mors non sit nisi propter scalam originalis peccati, adhuc non oportet, quod si aliquid non sit in originali, quod propter hoc non habeat istas pœnas. Et ratio est: quia potest una gratia fieri sine alia; poterat etiam præservari à culpa quamvis non à pœna: & hoc propter conformitatem sui cum Filio proprio, qui has pœnalitates voluntarie sumpsit.

Quarto modo dicitur: quod hæc pœna Virgini inflicta est ad gloriæ manifestationem, ut non esset in originali, & tamen pœnam peccati originalis sustineret. Et licet quælibet istarum rationum argumento satisfaciat; tertia tamen videtur probabilior. Et per hoc apparet ad aliam rationem, quæ ibi inducebatur: quod omnis pœnalitas est ex aliqua transgressione; apparet: quia dato quòd pœnalitas sit in aliquo ratione transgressionis, non oportet quod in eo sit culpa; sicut & in Christo pœnalitas fuit ratione transgressionis primi parentis, non tamen culpa. Sic & in Beata Virgine; quæ quantùm in ea fuit, habuisset etiam culpam, sicut & pœnam, si non fuisset præservata specialiter. Vel breviùs dicatur sic. Duplices sunt pœnæ, utiles & meritoriæ ipsas habentibus, aliæ sunt inutiles. Primas habuit Virgo glorioſa, ut per ipsas ampliùs mereretur: tales fuerunt pœnæ corporales, quas etiam Christus voluntariè assumpsit. Nam famem, sitim, dolores, tristitias, & hujusmodi assumpsit, quæ de se peccata non sunt: quibus etiam Sancti meruerunt præmia cœlestia. Et istæ pœnæ non resultant ex peccato personæ alicujus singularis, sed sunt pœnæ peccati

cati Adæ; quas etiam Christus suscepit, qui de jure & facto non habuit peccatum originale. Aliæ sunt pœnæ inutiles, utputa fomes seu concupiscentia carnis, rebellio carnis contra spiritum, & hujusmodi : & istæ non fuerunt in Virgine; quapropter sine peccato originali fuit concepta.

Ad aliam rationem de redemptione, cùm dicebatur quod Christus fuit universalis redemptor; tunc quæritur à quo redemit Virginem, si non fuit in originali concepta? Hîc dico pro materia argumenti, quòd redemptio quandoque attenditur penes sufficientiam, quandoque penes efficientiam. Primo modo Christus fuit universalis redemptor; quia omnibus sufficienter meruit, licèt non omnes salventur; cùm adhuc liberi arbitrii motus nihil sacri exhibitio requiratur. Ulteriùs dico, quòd aliquem redimere quantùm ad efficientiam, potest dupliciter contingere, vel sublevativè vel præservativè. Primo modo quis redimitur à peccato mortali; ut primi parentes ab originali, ut parvuli à peccato veniali: ut dicitur de viris justis. Secundo modo præservativè fuit B. Virgo redempta ab originali, actuali & veniali: & sic in rei veritate ipsa perfectissimè fuit redempta. Non igitur valet ratio: Non fuit sublevativè redempta, ergo non fuit redempta; & in hoc consistit radix illius rationis, quæ in veritate nihil valet; ac si arguerem: Non sum asinus, ergo non sum animal. Vel clariùs: secundùm Hermannum de Schildis dicendum quod Christus fuit universalis redemptor, & meliùs eam redemit præveniendo vel præservando, ne contraheret, vel post contractum peccatum ab ipso liberando. Sicut patet in exemplo: Christus ita redemit Abraham ab inferno vel limbo Patrum, sicut Petrum vel Paulum; sed meliùs Petrum, quem præservavit ne in limbum descenderet, quàm Abraham, quem ex ipso limbo extraxit. Et digniùs ipsa facta fuit membrum Christi per ejus redemptionem præservata & redempta, quàm si à peccato contracto fuisset liberata.

Ad quartum, cùm dicebatur in sententia quod munditia Christi fuit summa, sic quod munditia Virginis non fuit tanta; cùm igitur summa munditia sit per exclusionem peccati originalis, actualis mortalis, & venialis; sequitur quod munditia Virginis non excludit omnia ista. Quare, &c. Hîc dico quòd in munditia duo excluduntur: unum affirmativum, & aliud negativum. Affirmativum est gratiæ plenitudo, sed negativum non est existentia criminis, sive exclusio. Dico ergo quantùm ad negativum, quòd non præjudicat, Virginem habuisse æqualem munditiam cum Christo: sed sic nihil aliud est, nisi, nec Christus habuit aliud

peccatum, nec ſequitur Virgo MARIA. Sed quantùm ad poſitivum, ſic abſque dubio munditia Chriſti fuit major; ſicut & omnes virtutes in Chriſto fuerunt perfectiùs quàm in B. Virgine: ſed ex hoc non infertur quod B. Virgo fuerit in originali concepta.

Ad quintum; cùm dicitur quòd tota cauſa clauſionis januæ paradiſi fuit peccatum originale; ſi igitur Virgo MARIA non habuiſſet peccatum originale, ſi deceſſiſſet ante Incarnationem, quod evolaſſet ad cœlum, & ita non fuiſſet per Chriſti paſſionem redempta: quod falſum eſt. Ad iſtud dico, quod quamvis per peccatum primorum parentum ex decreto divino clauſa fuerit janua cœleſtis; tamen ex decreto divino nullus potuit intrare, niſi peracto paſſionis Chriſti myſterio. Et ideo ſancti Patres qui erant ab originali purgati, deſcendebant in limbum, expectantes reſerationem januæ cœleſtis. Sic fuiſſet cùm B. Virgine, ſi deceſſiſſet ante Chriſti paſſionem: & ex hoc non habetur quod mox evolaſſet; & per conſequens non fuiſſet redempta, ſicut jam dictum eſt de Patribus, qui erant in gratia & ſine originali quando deceſſerunt.

Ad ſextum; cùm dicitur quod conditio majoris humilitatis expreſſiva eſt propter noſtram redemptionem attribuenda Filio: ſed quod aſſumpſit carnem de illa quæ fuit quandoque ſub originali, eſt majoris humilitatis expreſſivum, quàm ſuum oppoſitum; igitur intentum. Hìc breviter dico, quòd ſi illa ratio eſſet bona, æquè probaret quod Mater Chriſti fuiſſet quandoque ſub actuali peccato. Unde ſic procedendo, ſecundùm ipſam probaretur quod Virgo MARIA fuerit major peccatrix quàm unquam fuerit in rerum natura: quod tamen falſum eſt, & impium cogitare; & ideo nihil valet. Nec obſtat authoritas Hieronymi adducta: Unde quòd propter peccatores venerat, de peccatricibus naſcens, omnium peccata deleret; quia ſufficit ad verbum Hieronymi, quod hoc ſit verum de parentibus remotis, non tamen de Matre ſua puriſſima: quod apparet ex ſuis verbis, de peccatricibus naſcens. Conſtat quod hoc non verificatur de immediatis parentibus; cùm nulli tales fuerint, niſi B. Virgo: & ſic in veritate ratio parùm valet.

Ad ſeptimum; cùm dicitur quod tota ratio quare ponitur quod non fuit in originali concepta, eſt, ut Mater Domini ampliùs honoraretur: ergo eâdem ratione eſſet dicendum quod fuit non concepta ex concubitu viri & mulieris; quòd non videtur verum: quare propoſitum. Hìc dico quod conſequentia non valet; & ratio eſt, quia ipſam non contraxiſſe peccatum originale, non eſt conditio excludens à Virgine reden-

tio-

tionem : nunc autem, si non descendisset per concubitum viri & mulieris, ipsa non indiguisset redemptione, sicut nec ipse Christus ; & ideo similitudo multùm claudicat. Nam, ut dictum est, perfectiùs fuit redempta per viam præservationis, quàm si fuisset per viam sublevationis: ergo similitudo modicùm valet.

Ad octavum ; cùm dicitur quòd solum motivum, &c. Hic dico quòd decentia potest sumi secundùm duplicem comparationem. Uno modo per comparationem ad agens, alio modo per comparationem ad effectum. Primo modo dicit modum agentis ; sed secundo modo est certa pulchritudo in effectu. Accipiendo igitur decentiam sive primo, sive secundo modo, ista consequentia nihil valet : hoc Deus potest facere, ergo decens est quòd hoc fiat ; quia istud consequens significat, vel quòd decenter hoc fit, vel in effectu est aliqua pulchritudo : & sic manifestè apparet quòd nulla illarum propositionum sequitur formaliter ex ista : Deus potuit hoc facere. Alio modo potest intelligi illa propositio : decens est quòd Deus hoc faciat ; hoc est, si Deus hoc faceret, illud esset decens & decenter factum : & ita conditionalis est necessaria. Quare, dum sequitur ex ista : Deus potest hoc facere ; sicut necessarium sequitur ad quodlibet. Sed sic arguendo tunc secunda consequentia non valeret ; videlicet : decens est quòd hoc fiat, igitur ita factum est. Dico igitur quòd positio ista se non fundat in illis propositionibus per modum consequentiæ, ita quòd una inferat aliam, & è contra, ut arguentes imaginantur : sed fundat se in illis propositionibus copulativè, & ex his non sequitur formaliter persuasivè, & modo veridico infertur alia propositio ; verbi gratiâ : Deus potest facere A, & decens est quòd A fiat ; & hæc decentia habet comparationem ad effectum : ergo A factum est. Ita est in proposito. Deus potest facere esse Virginem sine peccato originali, & ipsam sic esse decens est ; igitur sic factum est. Et similitudo adducta tunc non valet, cùm arguitur : Deus potuit genus humanum sine passione redimere, & ita ipsum fecisse decens est. Ista negatur, loquendo de decentia quæ est ex parte effectûs : quia est nec decens nec indecens ; & ideo nòn formaliter, sed persuasivè habetur ista propositio : quia requiritur ad hoc, quòd persuasivè inferatur, quòd ita factum est. Et sic apparet per quod medium tenet illa ratio, cui hæc propositio nititur.

Ad nonum dicitur ; quòd si esset incongruum quòd B. Virgo esset in originali concepta, hoc maximè videretur, quod est vel erat Mater Domini futura : sed hoc non obviat, quia beatitudo plus repugnat peccato

cato quàm maternitas; & tamen nulla est repugnantia quòd aliquid fuerit beatum, & tamen quod fuerit peccator: igitur & in proposito. Hîc dico quod nullum est repugnandi medium, quod B. Virgo fuerit Mater Christi & fuerit in originali concepta. Nec ex hoc dicitur quod congruum fuit, quòd B. Maria non fuit in originali concepta: quia repugnans est oppositum; & ideo ratio nihil valet.

Ad decimum; cùm dicitur quod non est aliquid temerariè asserendum, quod dictis Sanctorum & S. Scripturæ authoritatis non munitur præsidio. Hîc dico, ut superiùs apparuit, quod pro ista causa sunt plures Sacri Doctores; & hoc dicere congruum est, nec in aliquo dissonum dictis S. Scripturæ; & ideo sic sentire & asserere non est temerarium, sed Fidei, pietati & Sanctorum authoritatibus, ac etiam rationi conforme.

Ad ultimum; cùm dicitur quod illud est sentiendum de B. Virgine, quod ipsam inducit ad majores gratiarum actiones: sed in originali fuisse, & postmodum fuisse purgatam, est motivum majoris laudis; igitur. Hîc dico quod si ista ratio esset bona, per ipsam faciliùs concluderetur quod fuisset in peccato mortali; quod si sic fuisset, habuisset motivum majoris laudis: quia de majori periculo liberata. Dico tamen ad materiam argumenti, quod major est gratia præservationis, quàm sublevationis, respectu ejusdem peccati. Unde major gratia esset alicui, si deberet in foveam cadere, quod præservaretur ne caderet, quàm quod permitteretur cadere, & postmodum sublevaretur. Nec parabola Salvatoris adducta facit ad propositum, de duobus qui debebant uni fœneratori: quia, ut apparet, palam posita est de duobus quorum cuilibet debitum fuit dimissum; ita quod non fit ibi comparatio, nisi respectu sublevationis. Et ex ista tunc non sequitur quòd gratia sublevationis sit major præservationis; & sic, ut apparet, rationes istæ modicam habent efficaciam contra istam propositionem.

Ad authoritates verò Canonis adductas, dico breviter, quod omnes concludunt de jure communi, non autem de speciali gratia præservativè. Et consimiliter dico, ut superiùs dixi ad authoritâtem Divi Patris nostri Augustini. Unde quod quandoque reperitur, secundùm apparentiam vocis, una authoritas Augustini pro illa parte, quandoque pro alia; nec est putandum, Doctorem sibi contradixisse: ideo est dicendum quod quandoque loquitur de jure communi, quandoque de speciali gratia, sive præservatione.

Ad

Ad dictum Anſelmi adductum, dicitur ab aliquibus quod non fuit ſuum dictum, ſed ſui Diſcipuli. Sed quia ibi non corrigit ſe, relinquit ſub dubio, & dubia ſunt ad tutiorem partem interpretanda. Ideo credendum eſt, Anſelmum fuiſſe de opinione contraria. Verùm tunc poſſet dici, quod ſi pro tunc Anſelmus fuerit iſtius opinionis, tamen poſtmodum per miraculum informatus oppoſitum tenuit, ut patet in Epiſtola quam ſcripſit ad Epiſcopos Angliæ, de Conceptione Virginis celebranda.

Ad dictum B. Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes, ſolet dici tripliciter. Primo modo, quòd hoc non aſſeruit, quia in fine illus Epiſtolæ totum reliquit correctioni Summorum Pontificum: & ideo nihil aſſertivè dixit. Sed iſta reſponſio non eſt ſufficiens, quia omnes Doctores quandoque habent opiniones contrarias, ſe tamen in ſic opinando ſubmittunt judicio Romanæ Eccleſiæ. Dicitur ſecundò, quod eſto quòd in vita S. Bernardus tenuerit quòd B. Virgo fuerit in originali concepta, tamen in morte revocavit. Quia dicit quidam quòd quidam Monachus in Abbatia Clarevallenſi deſideravit videre B. Bernardum, cui apparuit totus lucidus excepto pectore, in quo erat quædam macula: qui cùm interrogaſſet quid eſſet quòd haberet in pectore? reſpondit, quòd erat propterea, quia in vita aſſeruerat Virginem fuiſſe in originali conceptam. Sed iſta reſponſio videtur primâ facie fictitia. Sic etiam leviter, ſi vellem tenere unam concluſionem, fingerem miraculum; & credo etiam quòd ſi tale miraculum fuiſſet, quòd majorem publicationem habuiſſet. Et ideo dicitur quòd in hac parte non eſt recipiendus: & iſtud eſt magis conſonum opinioni congruitatis; & ratio eſt, quia teſtimonium partis non recipitur contra partem. Nunc autem B. Bernardus, ut apparet in Epiſtola iſta, eſt pars; & ideo illum allegare contra illum qui tenet oppoſitum, non eſt conveniens argumentatio. Sicut volentes probare quòd mundus non fuit creatus; & hoc modo Theologico diceretur: Ariſtoteles dicit hoc. Et ſic conſequenter diceretur de Magiſtro Sententiarum, Bonaventura, & aliis qui fuerunt iſtius opinionis, quòd in hac parte teſtimonia eorum non ſint recipienda; ſicut nec ipſi aſſumerent teſtimonium Anſelmi, Lyconienſis, Hugonis & aliorum qui iſtam opinionem tenuerunt: & ſic apparet quid eſt ad illas authoritates dicendum.

Quæ autem prædictarum opinionum eſt eligenda? dico ſicut quidam Doctor dicit, quòd nullâ ratione me ad hoc cogente, ſed ſolâ devotione

puriſſima credo & ſimpliciter fateor, quòd B. Virgo MARIA Dei Genitrix ſuper choros Angelorum exaltata, nunquam fuit ſordibus originalis criminis deturpata; cùm ipſi dicat Sponſus in Canticis: Tota pulchra es amica mea, &c. Et ad ſic credendum omnes Chriſti Fideles adhortor: quod niſi per ignorantiam à veritatis tramite declinarem, potiùs volo laudans deficere, quàm perire vituperans. Et ideo parvi ingenii virum reputo illum, qui propter rationes, quibus utuntur Doctores, tenet magis unam partem quàm aliam: cùm hujuſmodi rationes ſint de levi ſolubiles. Sola igitur devotio, amātiſſimi Fratres Religionis Auguſtinianę, nos moveat, puritatem ab omni crimine B. Virginis MARIÆ totis viribus commendare. Ad cujus honorem & laudem ego Pater Ioannes de Meppis, dictus Scyphouwer SS. Theologiæ Lector, ac Prior Conventûs Tanglimenſis, hunc Tractatum ex diverſis Doctoribus in unum recollegi, anno Domini 1492. ipſo die Remigij Epiſcopi & Confeſſoris; anno verò meæ ætatis 28. & ſic terminatur.

CARMINA.

Vivas in Chriſto Ioannes Prior. Ab iſto
Iam ceſſes opere, quod Virgini credo placere;
De Meppen nate, ſit quodque malum procul à te.
Qui tibi non ſegni det cœli gaudia regni:
Et citò poſt mortem juſtorum det tibi ſortem,
Servus curſor pridem, dudumque Lector ibidem.
IIII. C. ſed priùs M. tunc octuaginta ſeptem,
Tempora per plura; de communi tibi cura
Extat namque bono cœleſti ponere throno.

TRACTA-

TRACTATUS
V. Petri Cantoris,
TITULUS.

V. Petri Cantoris Parisiensis Doctoris celeberrimi, Tornacensis Episcopi electi, ac demùm in Longoponte Cistercienſi, Diœcesis Sueſsionensis Monachi, Sermo de Conceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ.

VENERANDAM Conceptionis sanctissimæ Dei Genitricis diem, Fidelium omnium unanimitas, unanimi cathegorizet devotione, quia per hanc obtenebrato tetrâ caligine mundo, nova novum solem productura aurora refulsit; per hanc sedentibus in umbra mortis filiis Adam, salutis paraſceve, divinæ providentiæ gratia prærogavit. De qua Conceptione, ad honorem Dei, & ejusdem sanctissimæ Genitricis MARIÆ, cujus Conceptio nobis præ manibus est, pauca differere suscepimus: ut & eorum qui hujus Conceptionis celebritatem votivo solemnizant affectu, ad ipsam celebrandam animetur devotio, & eorum qui, ne hæc Conceptio celebretur, repagula contradictionis obtendunt, planetica obtundatur objectio.

Postquam igitur de restaurando damno, quod paradisiacæ libertati

ſerpentinus illo verſipellis intulerat, id eſt, de homine reparando, cujus jacturam ægrè cœleſtis ferebat curia, à ſecreto æternoque Dei conſilio definita ſententia per cœleſtis militiæ caſtra præcrebuit: corde natus genitoris Dei Unigenitus, ex præcepto Patris, æquè inolitæ bonitatis diſpenſatione, id in ſe negotii ſuſcepit. Licet enim propria ecclypſeos inconſtantiâ, vitæ vernantis privilegio privatus, dominio mortis homo ſubancillari addictus eſſet: hoc tamen divinæ bonitatis clementiâ, ad ejus compaſſionem inclinavit, quòd cavillatoris verſuti, diaboli ſcilicet tergiverſatione ſeductus corruit; quod gravis, ac hominis nimium pro viribus ultrix, juſtaque pro meritis pœna ſit ulta nefas, quodque poſt caſum, caſus pœnitens, caſumque lamentans à ſtirpe primitiva, per ſucceſſionem, uſque ad Chriſti adventum, electa ad bonum poſteritas, liberationem ſuam pœnitenti fletu præſuſpiravit, deſideravit, & expetiit. Verùm, ut pro tranſgreſſore & trangreſſione, jure cœli Deo ſatisfieret, oportuit illi pro homine reſtitui hominem: & hominem talem, qui identitatem naturæ, non culpæ, parilitatem humanitatis, non criminis, participium cum homine haberet carnis, non corruptæ carnalitatis; ut ſcilicet totus, & animâ & corpore mundus, pro immundis mundandis Deo mundum offerret ſacrificium: quo ſacrificio immundus mundaretur, mundatuſque Deo Patri dignè reconciliaretur.

Hoc quidem per Angelum non potuit: quia qui in cœlo nulla carneæ molis gravedine depreſſus, ſed totus elimis ſtare non potuit in veritate; quomodo in terra ſtaret in bono carnis oppreſſus gravitate? Item nec à quoquam hominum humana ſorte naſcentium, humanæque tantùm monetæ caracterem habentium, prætaxatus reconciliationis hominis cum Deo poſſet modus elaborari. Quia ſi protoplaſtus parens omnium, cui nec generantis patris officium, nec præprægnatæ matris puerperium naſcendi cauſam præbuit; ſed adhuc virgo terra parens, pater verò Dei manus extitit, quem Dominum domus ſuæ, & principem atque œconomum totius mundanæ univerſitatis conſtituerat: ut pote, quem omnimoda animi virtute, ratione videlicet, ingenio & memoria, ſapientiaque, & ſcientia omni, dotibus quoque corporis, id eſt, decore, fortitudine, agilitate, agendique facultate & potentia perfectum, perfecta Dei operatio effecerat; adeò, ut quidquid in omnifaria virtute animi ſeu corporis, poſteritatis ejus hæredes particulariter & diſtributivè habuerunt, iſte omnia ſimul affatim ex dono Dei in ſe habuit; quin etiam qui incude immortalitatis malleatus à mortis omnimodo acceſſu

immu-

immunis esset, nisi priùs ipse ex libertate propriæ voluntatis morti accessisset. Si iste (inquam) talis, tam dissertus, tam potens in paradisi etiam soliditate, ubi nihil erat lubricum, sibi ipsi quin labefactaretur opitulari, seque post lapsum ab ejus pedica, cui se mancipaverat, emancipare non potuit; quomodo servum totum genus humanum manumitteret, quicumque posterorum sive Patriarcha, sive Propheta, vel quilibet Patrum, quorum nullus primo homini æquiparari potuit; præsertim cùm omnes in Adam peccaverunt, & omnes peccato immundi sorduerunt? Immundus enim immundos mundare non posset, neque sui compos, gravique sub jugo coarctatus nequaquam aliorum servum solveret, hostili colla subacta jugo.

Miseriæ igitur miseri hominis misertus misericordiarum Dominus; quod per Angelum, quod per hominem non potuit, per seipsum fieri elegit: ut videlicet hominem assumeret, & in homine hominem captivatum liberaret, subiretque legem nascendi, sed incognitam naturæ, inusitatam rationi, inrepertam usui, Divinæ verò congruam dignationi: cujus nativitatem, & signa illustrarent divinitatis, & jura commendarent veræ humanitatis. Signa quidem divinitatis fuere: quod sine mortalis genitoris ministerio conceptus, quod de Virginalis integritatis cellula natus: ut nec floridæ Matris castitatis aliquatenus emarcuerit lilium, nec in ejus nativitate damna sui ullatenus senserit materni pudoris Virginale sigillum: quòd per Angelos obsequiali Evangelio ejus est Pastoribus ortus nunciatus, & cœlesti cantilenâ in ortu suo glorificatus. Quod autem non olosericis, aut aurifrigiatis, sed humilibus digna cœlo membra pannis obsitus, quod circumcingentis fasciæ officio infantile corpus adstrictus, quod parvus parvi cunabuli fovit, causâ quietis, loculum: quod non suis Dei vagitibus maternæ diligentiæ solicitavit affectum, quod indigus lactis, lactei roris ex ubere materno susceptit haustum, quod infantili ætati commune sustinuit epithetum; vera veræ humanitatis signa fuerunt, & rerum indicium.

Huic itaque tam glorioſæ, tamque admirabili, & tam necessariæ sæculis omnibus Incarnationi suæ, non fortuitâ, non casuali electione, electam sibi Genitricem aut voluit aut debuit habere Dei Filius: sed sicut ab incommutabili providentia dispositio ordine, quod carnem susciperet, progressum est; ita & de qua carnem susciperet, ab æterno præelecta electione, provisum est. Unde non à Fidei exorbitat integritate, quod rationis examen hortatur credere, carnem illam tam omnimo-

dò puram, tam neceſſariò ſanctam, tam electivè, ſalutiferam, carnis Salvatoris materiam, ſancti ſanctorum ſcilicet carnem participaliter futuram; illam (inquam) carnem Virginalem, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ſanctè generatam, ſanctiùs conceptam, quam conſtat ſanctiſſimè natam. Sanctè quippe genitam non immeritò dixerim, cujus generatores in ejus generatione non contraxit ſtimulantis laſcivia libidinis: ſed præoptatæ ſpes ſobolis, ſed obedientia angelicæ admonitionis. A juſtorum namque excocta materietate, omnis voluptuoſæ titillationis æſtus, virtutum æthica funditùs eliminat; nec viam juſtitiæ defæcato pede perambulat, quam diſſolutæ libidinis luxus enervat. Ut autem in eis, quæ de vita ſancta utriuſque parentis beatæ Dei Genitricis ſcripta ſunt, quia ea intitulatio apocryphi obnubilat, ad probandam coràm ſanctitatem ſuperſedeamus: in hoc ſolo eos juſtos & ſanctos fuiſſe rationis experimentum argumentatur, quod ad tantæ generationis officium electi fuerint, ad quod nec Patriarcharum merita, nec Prophetarum gratia, nec ſanctorum cujuſquam obſequia admitti meruerunt.

Quapropter ſi ſine veritatis læſione dici poſſet, quod rationi conſentaneum eſt; liquidò colligitur, beatos Beatæ Virginis genitores, nec Patriarcharum quoquam juſtitiâ inferiores, nec Prophetarum quolibet ſanctitate obſcuriores: quippe cùm quod de Dei Genitrice Patriarcharum præſignaverunt ænigmata, quod Prophetarum de ea prænunciaverunt oracula, iſti miniſterio generationis exhibuerunt. Verùm ſi indignior eſt umbra veritate, ſi poſterior eſt alieni promiſſi & beneficii prænunciator, ipſius promiſſi exhibitore: neceſſariò conſequitur, parentes ſanctiſſimæ Virginis Patriarchis & Prophetis, juſtitiæ & ſanctitatis electione præpollere; quia, ut prædictum eſt, quod illi de ortu ejus figuris & vaticiniis promiſerunt, iſti ex Dei dono generando impleverunt. Illi naſcituram meruerunt prænunciare, iſti à Deo obtinuerunt prænunciatam generarè. Cæterorum nemo ſanè ſapientiam apocryphi involucro injurietur, quod Angelus tantæ Virginis generationem parentibus juſtis, ſobolis donum & ſolatium, diutina & præcordiali ſupplicatione à Deo obtinentibus prænuntiaſſe dicitur & præmonuiſſe; ſed ... beata credulitate amplectendum, ſine genitorum præſcientia non poſſe: quia nec deberet generari, quam conſtat prolixo ante tempore à Prophetis id in ſpiritu Dei videntibus, & ſanctis patribus prænunciari; per cujus nativitatem Deus totius mundi voluit ſalutem operari.

Si

Si autem in veteri veterum . . . ut hiſtorialis declarat veritas, ad conceptionem quorumdam, quorum vita tempore exiguo, exiguoque populo commoda futura fuit, Deus Angelica annunciatione eorum parentes prædoceri voluit: divino profectò derogat honori, qui vel yperboleos abſurditati deputat, vel præconatur apocryphum ſcriptum illud, quo beatæ Virginis Conceptionem Angelus utrumque ejus parentem prædocuiſſe aſſeritur; de qua non exigui temporis populive, ſed totius mundi ſalus æterna prædicebatur naſcitura. Item ſi, ut Evangelium evangelizat, Simeonis ſancti & juſti meritum à Deo obtinuit, ut Chriſtum videre, antequam moreretur, mereretur; quanti meriti putamus Ioachim & Annam beatos parentes Beatiſſimæ Mariæ extitiſſe, qui carnem illam meruerunt generare, nutrire, procurare, cujus carnis particeps Dei Filius dignatus eſt exiſtere? Salvâ igitur Fide, à fidelibus credi poteſt & debet, parentes Matris Dei, ſanctos & juſtos extitiſſe: & à juſtis & ſanctis non niſi juſtè & ſanctè tantæ dignitatis Virginem genitam & conceptam fuiſſe; quippe cùm nihil unquam ſanctiùs fecerint, quàm cùm eam mundo genuerunt.

Hinc igitur conſtat quàm ſit rationis egenus, deroget & Chriſti quantùm Genitricis honori, qui ejus Conceptionem idcircò non eſſe ſolemnizandam dogmatizat, quod eam in peccato conceptam effigiat: cùm probetur utrolibet, vel utroque duorum errorum irretiri; ut vel Angelum aſtruat ejus Conceptionem parentibus non prænunciaſſe, vel ſi Conceptio illa in peccato fuit, peccatum præmonuiſſe. Item ſi, ut ſemini verborum effutire præſumit linguoſitas, Matris Filii Dei Conceptio peccati deturpata fuit convicio; nemini lippum mentis oculum non habentium erit nubilum, parentes ejus, quos veræ rationis cenſura juſtos fuiſſe allegat, tantò graviora juſtitiæ ſuæ damna in ejus generatione incurriſſe, quantò conceptioni generatio præponderat in crimine. Generatio quidem, & Conceptio; tamen ſi commomentaneæ videantur eſſe, nec generatio ſine Conceptione, nec conceptio patrari valeat ſine generatione; generatio tamen tantò prævenit Conceptionem, quantò mora agit cum generantium germine, antequam coaguletur ad conceptûs habitudinem. Generatio namque non niſi utriuque ſexûs communione celebratur, conceptio autem ſolius matris officio adaptatur. Cum itaque generatio præcedat conceptionem, quidquid carnalitatis, quidquid voluptatis, quidquid coeuntis libidinis exanimat, in hora effuſionis & generationis vehementiùs exæſtuat. Cùm verò in ſummum voluptatis

luptatis exæstuans maris & fœminæ delectatio germinis substantiam in stroæ orificium impulerit, omnem uterque voluptatis obullitionem è vestigio amittit: quia in hora effusionis seminis, voluptatis summum sentitur, post seminis effusionem, sine intervallo, pœnitudo & fastidium subsequitur; & cùm post seminis effusionem, seminis fiat à muliere conceptio, constat proculdubio quod in conceptione nulla delectatio sentitur. Die igitur clariùs sane videnti elucet, quod nec peccato delectationis conceptionem præcedentis, conceptionis puritas inficitur, nec concipientis delicto conceptus aliquatenus commaculatur: quippe cùm quælibet conceptio divino tantùm, non humano fiat artificio. Non enim pro libito est viri, ut in muliere cum voluerit, gignat, aut pro velle est mulieris, ut ex viro cùm sibi libuerit, concipiat: sed tunc & vir in muliere gignit, & ex viro mulier concipit, cum seminis eorum substantiam Deus in aptitudinem fœtûs convertit. Et cùm artificio manûs Dei substantia germinis in moneta imprimitur conceptionis, tunc demùm & propriè dicitur conceptio; non cùm generantium voluptas exercetur in carnali officio. Soli nempe Deo Conceptionis operatio attribuitur, quo operante in matricis conclavi ad proventum fœtûs, gignentium semen retinetur.

Ut autem assertionis nostræ machina inflexibilis authoritatis suffulciatur columnâ, Beati Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi viva super præfatis argumentatio discretâ audiatur patientiâ. In libro quidem de Conceptu Virginali, & originali peccato edito, quibusdam præmissis: *Puto*, inquit, *originale peccatum nullatenus asseri esse in infante antequam habeat animam rationalem; sicut nec in Adam fuisse justitiam priusquam fieret homo rationalis. Nam si Adam & Eva generassent sine præcedenti peccato, non tamen esset in semine justitia, priusquam formaretur in viventem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile justitiæ priusquam fuit homo; non potest suscipere originale peccatum, antequam fiat homo. Nempe originale peccatum esse injustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est injustitia, & originale peccatum est peccatum, utique est injustitiæ.* Constat igitur ex irrefragabili Beati Anselmi assertione, ut cùm in suscepto semine non sit originale peccatum, nec omnino aliud. Item post pauca idem ait: *Si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali natura: ergo ista non est ulla natura debitrix justitiæ, nisi rationalis; sicut nulla natura susceptibilis est justiciæ præter rationalem. Quare, quoniam injustitia non potest esse, nisi ubi justitia debet esse; originale peccatum quod est injustitia, non est nisi in natura rationali. Sciendum quoque est, quia justitia non potest esse nisi in voluntate,*

tate, si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata: quare nec injustitia. Videtur itaque sequi, quòd aut infans statim ab ipsa conceptione animam habeat rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere; aut in eo non est peccatum originale, mox cùm conceptus est. Hæc, & alia plura de Conceptionis puritate prædictus Archiepiscopus differens, etiam illud Beati Job, quo dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Illudque Psalmistæ: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; eleganti enucleat expositione: objicienisque quod sibi ab aliis objici posse præspeculatus est, *Si*, inquit, *non statim infans ex ipsa conceptione habet peccatum, quid est quòd dicit Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptū semine? & quomodo verum est quod dicit Sanctus David: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? Quæram igitur si possum, quomodo quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, de immundo tamen semine, & in iniquitatibus & peccatis concipi dicantur? Sapè utique divina Scriptura asserit aliquid esse, quando non est, ideo quia futurum esse certum est: sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit: In quacumque die comederis ex eo, morte morièris; non quòd ea die mortuus sit corpore, sed quoniam de illa necessitatem accipit aliquando moriendi. Et Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando, ait: Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem. Non enim corpora eorum quibus loquebatur mortua erant, sed propter peccatum moritura, quia per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors; sic in Adam omnes peccavimus, quando peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia ex illo futuri eramus: & tunc facta est illa necessitas, ut cùm essemus, peccaremus, quoniam per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Simili modo de immūdo semine in iniquitatibus & peccatis concipi potest homo intelligi, non quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatum, sive iniquitas: sed quia ab illo semine, & ab ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quod non est aliud quam peccatum & iniquitas. Nam etsi vitiosâ concupiscentiâ generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quàm est in sputo vel sanguine; si quis malâ voluntate expuit, aut de sanguine suo aliquid emittit. Non enim sputum, aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum: & vera sint quæ de divina Scriptura opposui. Quippè non est in illis peccatum, quia non habent, sine qua non inest, voluntatem: & tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt peccandi, cùm homines jam erunt, necessitatem.*

Hoc itaque teſtimonio Beati & Eſtorici Archiepiſcopi Anſelmi, imò veritatis argumento allegante; cùm omnis conceptio, utpotè Dei operatio, ſine peccato ſit, ejus procul dubio Conceptio excellentiùs, ſi fieri potuit, ſine peccato fuit: & ita ſancta, quòd de carne ſua carnem Filii Dei erat propagatura. Perſpicuum eſt prorsus quam [illegible] prora capitis eorum infatuetur, qui Beatam Virginem Dei Matrem in peccato aſſeverant conceptam, & ob id non eſſe celebrandam ejus Conceptionem: cùm ex certa pateat ratione, nec etiam gentilis cujuſquam conceptionem in peccato fieri, niſi fortè effectum pro efficiente, id eſt, peccatum pro matre peccatrice velint intelligi, ut intelligatur ita: in peccato, id eſt, in peccatrice matre eſt concepta. Nec hoc quidem præexaminatam impedit rationem; quia in peccatrice concipi, non eſt opus Dei, ideſt, conceptum peccato commaculari. Sicut enim Chriſti crucifixio ſancta crucifigentium nequitiæ non fuit obnoxia: ita Beatæ Virginis Conceptio à generantium peccato, ſi peccatum aliquod interfuit in generando, probatur aliena. Generationem etiam ejus ab Angelo divinitùs præmonitam, àque juſtis parentibus, ſine cauſa voluptatis & laſcivia concupiſcentiæ carnalis exactam, minimè fuiſſe ſanctam; quis, niſi mente captus, auſit aſſerere? cùm Venerabilis & catholicæ dogmatis Presbyter Beda, conceptioni præcurſoris Domini tale non dubitaverit teſtimonium exhibuiſſe. Ait enim in Homilia, quæ in vigilia ipſius Beati Baptiſtæ authenticâ ſolet celebritate lectitari: *Divinitùs procuratum eſt, ut ſterili matre & utriuſque parente provectioris ætatis Ioannes naſceretur; quatenùs etiam ipſo ortûs eius miraculo pateſceret, virum magnæ virtutis futurum eſſe, qui naſcebatur: ubi deficiente omni laſcivia concupiſcentiæ carnalis, conſtaret quia nulla in conceptione cauſa voluptatis, ſed ſola cognita ſit ſpiritalis gratia prolis. Si igitur in eis laſcivia concupiſcentiæ carnalis, & cauſa voluptatis defecerat: ſine ambiguitate nulla eos in generatione prophetici & divinitùs proviſi hominis, ejuſmodi titillatio affecerat.* Quis igitur aſſerat ſanctam non fuiſſe ejus generationem, quæ per Angelum fuit præmonita, & ſine carnalis concupiſcentiæ nævo celebrata? Credibile quoque videtur, & eſt, genituram Dei Genitricis, & Conceptionem tantò genituræ & conceptioni Beati Joannis in ſanctitate præminere, quantò Dei Genitrix Beato Joanni ſupereminet ſanctitatis dignitate. Ille quidem amicus ſponſi, hæc ſponſi ſponſa, ille præcurſor Imperatoris, hæc Imperatrix ſingularis; ille judicis præco, hæc judicem portavit in utero; ille Propheta, hæc prophetarum Domina, ille Agnum Dei oſtendit, hæc genuit, lactavit, fovit, educavit: ut ei voce

dicere

dicere possit veridicâ ; Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.

Et cùm non modò Beatus Joannes, sed nec quisquam naturali lege natorum, aut valeat ei, aut debeat in aliquo comparari : necessariò consequitur, ut ejus generatio & Conceptio aliorum omnium generationi & conceptioni incomparabiliter præfulgeant sanctitatis prærogativâ singulari. Divinæ nempe excellentiæ convenire videtur, ut qui Præcursoris sui generationem miraculo voluit sanctitatis commendari, Matris suæ generationem sanctificaret miraculo excellentiori : cùm ejus genitores, ut jam peroratum est, nullum ad eam generandam contraxit voluptatis incentivum ; sed prolis desiderium, sed divinum per Angelum oraculum. Parentes verò ejus non id propter genitores, sicut nec alij dicti sunt, quòd generationis virtus, quæ propriè Deo attribuitur, eorum actioni approprietur : sed quia per eorum subministrationem & actionis exercitium, ex locuplete penu locuples censura creantis præparatum semen ad dignam Filio suo Genitricem fabrefaciendum incudi naturæ transmisit ; ut ex vasis parentum subtilibus thesaurum produceret, quo vestitum deauratum, varietate omnium carismatum, non tantùm circumdatum, sed & repletum eidem Filio suo conficeret.

Si autem Conceptionis ejus sanctitas cuiquam minor ideo putatur, quia modus Conceptionis testimonio vel scripto authenticæ personæ non certificatur : evidenti sibi satisfaciat ratione, non oportere hominum testimonio probatum fuisse, cui probatur Deus ipse testimonium perhibuisse. Testimonium utique quod sanctè fuerit genita, sanctè concepta, in hoc Deus patenter perhibuit ; quòd in sinum uteri ejus, Spiritu sancto cooperante, nasciturus introivit : quòd cum carnis eius substantia, salvo Virginitatis ejus sigillo, ex ea natus processit, cui tam excellentissimæ & ineffabili Incarnationi & Nativitati, ut materia & Mater fuerit, digna non esset, nisi caro eius sanctè genita, sanctèque concepta fuisset. Nemo igitur rationale sapiens animal, nemo Catholicæ Fidei dogmate imbutus, eam sanctè genitam, sanctèque ambigat esse conceptam, quam constat Deum elegisse sibi in Matrem : sufficientissimumque cunctis, & probatissimum testimonium debet esse, & ea quæ dicta sunt, & sanctiora & mirabiliora quàm dicta sunt de ea, contigisse ; quòd de ejus carne carnem sibi voluit Deus assumere. Denique qui dogmatizant sanctam ejus Conceptionem idcirco non esse celebrandam, quòd in peccato autumant fuisse conceptam ; quare cum tanta celebritate Na-

tivitatem ejus ſolemnizant, cui, etſi neſciant, ſimili accuſatione derogant? Quod enim in peccato concipitur, in peccato naſcitur, niſi ante in utero ſanctificetur.

Cæterùm ſancta illa anima, quæ cuſtos & arca ſummi mundificatoris futura fuit, ſi non niſi mundo corpori uniri debuit, munditiam illam revera à primordio Conceptionis ſuæ corpus ejus ſuſcepit, in qua munditia naſcens, in identitate unius perſonæ cum anima, immunditiæ incremento uſque ad Filii ſui conceptionem permanſit. Non enim divinam decebat facetiam & puritatem, ut ex carne cicatrizata ſibi naſcendi materiam aſſumeret; quod quidem contigiſſet, ſi caro virginalis per peccati corruptionem in ſui primordio vulnerata, tametſi poſtea ſanata per ſanctificationem, extitiſſet. Nam quamquam aliquis de immundo mundus, de injuſto iuſtus, de peccatore ſanctus, divinâ gratiâ effici poſſit, tamen ei improperari poterit quod immundus, quod injuſtus, quod peccator extiterit. Quod improperium longè à Dei Genitricis munditia relegatum eſt; nec non verè prædicetur ſemper Virgo ſemperque ſancta, ſi in primordio ſui fuit corrupta.

Si verò nullus Catholicorum Patrum eam in morte cum corpore ſimul aſſumptam ex vero aſſerere auſus fuerit: & tamen aſſumptam cum corpore, unde & aſſumptio ejus dicitur, Eccleſia non contradicit; quare ſimul ſanctè genitam, ſanctèque conceptam non prædicat filius Eccleſiæ: nec recipit, licet Conceptionis ejus ſeries à viro authentico ſcripta non ſit? Firmitatem ſiquidem Fidei catholicæ nullatenus infirmat, ſi mirabiliter ſanctèque credatur & prædicetur concepta, quæ mirabiliùs ſanctiùſque cæteris mortalibus eſt nata, mirabiliùs ſanctiùſque cæteris omnibus eſt de hoc ſæculo aſſumpta, ut hanc prærogativam & ſupereminentiam habeat, quod & habet inter homines, imo ſuper omnes homines Mater Dei, Tabernaculum fœderis, Regina cœli, porta paradiſi; quòd in naturæ virtutumque opere ei quiſquam non valeat æquiparari. Majeſtati namque divinæ competit, ut quam in Matrem Filio ſuo contra naturam elegerat, ultra naturæ uſum in ejus primordio ſanctificaret: ut dicatur & ſit ſanctarum ſanctiſſima, & ſuper omnes mulieres benedictas, excellentiore benedictione benedicta. Intereſt igitur omnium Chriſtiani nominis & honoris ſigillo ſignatorum, ſanctam ejus credere, confiteri, digniſque præconiis efficere Conceptionem; in qua corporis Filij Dei materia primordialiter præparabatur; in qua humanæ natutæ, quæ in protoplaſto ſtipite corrupta fuerat, redintegrationis antidotum

dotum conficiebatur : in qua verſipellis hujus mundi Principis tyrannidi exitium finale machinabatur.

Nos ergo, Fratres chariſſimi, quibus à quocumque editam Beatæ Dei Genitricis Conceptionem credere, creditam ſancire, ſanctam defendere præcipit Fides, invitat pietas, ratio hortatur; affectuosâ celebritate amplectamur, ſcientes Fidem non naufragari, cui conſtat pietatis & rationis remigio ſubveniri. Præterea, illa, de qua loquimur, pietatis & miſericordiæ fons eſt, cœli & terræ imperatrix eſt, omnipotentiæ Mater eſt: tantæque eſt dulcedinis & gratiæ, tantæ bonitatis & clementiæ, tantæ benignitatis & munificentiæ, ut non relinquat irremuneratum quod ei honoris gratiâ fuerit exhibitum. Inſtemus ergo laudibus, pſalmis, hymnis & cantibus, voce, votis, affectibus hæc dicentes attentivè :

O Regina Regni Dei,
O cœleſtis vas diei!
Verbi Dei fœlix aula,
Cœli melos & coraula,
Mundi jubar & aurora;
Hoc pro grege Deum ora:
Serva precor maris ſtella
A gehennæ nos procella.
Virgo dulcis, Virgo pia,
Naufragantum ſpes MARIA;
Da ſalutem, redde portum,
His qui tuum colunt Ortum.
Roſa cœli, voces audi
Quas aptamus tuæ laudi;
Audi preces, ſume vota,
Quæ plebs offert tibi vota.
Placa nobis, quem foviſti,
Virgo pura Mater Chriſti;
Virgo pura Sponſum ora,
Ne nos damnet mortis horâ.
Sed cùm fuerit finita
Hæc mortalis nobis vita,
Sorte donet Angelorum,
Nos Creator ſæculorum. Amen.

Incipit Tractatus Magistri Petri Abaelardi, de Conceptione B. & Gloriosæ Virginis MARIÆ.

PLerique tanto devotionis affectu Matrem Domini amplectuntur, ut non solùm Nativitatem, vel dormitionem ipsius celebrandam esse censeant, verùm etiam diem, quo concepta est, instituerunt solemnem; sed cùm ejus Conceptio immunis non videatur à peccato, juxta illud Psalmistæ: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, nonnulli hujus Conceptionis noviter institutam calumniantur solemnitatem: quæ in peccato, ut dicitur, carnalis concupiscentiæ facta, magis luctu, quàm gaudio judicatur digna. Nativitatem verò ejus, sicut D. Joannis haberi solemnem, non improbant, cùm non fuerit culpa in ortu, sicut extitit in conceptu. Et de Joanne quidem Angelus prædixit, quia *Spiritu sancto replebitur ex utero matris suæ*: ut ibi (inquiunt) sanctificatus sicut Hieremias, nasceretur Sanctus; nec non & solemne Nativitatis gaudium annuntians; *& multi* (inquit) *in Nativitate ejus gaudebunt*. De Matre verò Domini nihil tale Scriptura commemorat: ut videlicet aut in utero sanctificaretur, aut sancta nasceretur, aut in ejus Nativitate futurum gaudium prædicetur. Sed nunquid ideo Nativitatem Joannis, qui sanctificatus dicitur natus, Nativitati MARIÆ præferemus, ut hæc scilicet Nativitas majori devotione quàm illa sit celebranda? Revera ita est, si Scripturæ authoritatem magis attendamus

quàm

quàm personarum dignitatem; sed quia hæc dignior est persona præ-
dignitate decendit perso-
dignitate, tantò eorum solemnitates majori devotione sunt
celebrandæ. Alioquin ipsa Joannis Nativitas ex Scripturæ auctoritate
Dominicis quoque festivitatibus præferenda videretur, in quibus vide-
licet futurum non est gaudium, sicut in Nativitate Joannis promissum.

Cùm igitur Matrem Domini longè digniorem constet esse Joanne,
Scripturæ poterit ejus Nativitatem præjudicare, ut
videlicet Joannis Nativitas, cui promissum est commune fidelium
gaudium, & quam clariorem tam præcedentia quàm subsequentia fe-
cere miracula, sit magis celebratione digna? Ipsa quippè statim an-
nuntiatio Joannis miraculum habuit, cùm pater incredulus obmu-
tuerit. Habuit & conceptio sterili pariter & senili matri collata.
Habuit exultatio infantis in utero matris ad adventum MARIAE Spiritu
sancto repleti, sicut & mater ejus Elisabeth; habuit quoque circumcisio
usu sermonis patri restituto, ut filij nomen non tam scribendo quàm
proferendo indicaret. Magnum quidem Joannem magnalia ista prædi-
cant, qualia nequaquam de Matre Domini, aut de ipso etiam Domino
Scripturæ commemorat authoritas. Unde & fortassis conceptio quoque
Joannis Martyrologio inserta in plerisque locis celebritatem obtinuit,
sic quippe scriptum est: octavo kalendas Octobris Conceptio Sancti Jo-
annis Baptistæ; sed nunquid conceptio senili, ut dictum est, matri de
sterili collata, Conceptioni MARIAE est præferenda, cùm illa in miraculo,
ista præemineat in commodo? Multas certè mulieres, si ad exteriora
respiciamus, videmus in multis MARIAE præferendas donis. Ecce enim
Joannis matrem prophetiæ spiritu repletam Evangelista commemorat.
Quòd Annam Prophetissam, sicut & Simeonem adventum Christi non
solùm prophetare; verùm etiam ostendere non reticet, tanquam hic plus-
quā Propheta, & ipsa sit habenda. MARIAM verò prophetiæ spiritu repleri
non legimus. Imo etiam quod tam ipsa, quàm Joseph puerum JESUM in
comitatu esse existimantes, in quo ipse non erat, cum magna anxietate
quærebant eum inter cognatos & notos, nec eum invenientes ubi pu-
tabant, tandem Hierosolymam reversi fortuitu ibi eum invenerunt. Mul-
tas etiam tam virginitatis quàm martyrij palmam legimus adeptas, &
immensis miraculorum donis glorificatas, quæ nequaquam MARIAE
collata legimus. Nec mirum, cùm & ipse Dominus majora Discipulis in
talibus contulit, quàm sibi reservaverit. *Qui credit in me*, ait, *opera quæ ego*
facio,

rexit inter natos mulierum *hæc fecit*. Ipse Joannes, quo major non surcerit nullum, habuit, ut dictum est, in annuntiatione, conceptum, signum fero matris, circumcisione miracula, quibus caruit in vita. Nativitas ejus habuit festum, passio non meruit solemnem triumphum: denique & corpus ejus permissum est incendi, ut in omnibus ejus novissima minùs sint prioribus glorioſa. Quod & ipse proprio confessus testimonio; *Me oportet*, inquit, *minui, illum autem crescere*. Quem illum? Utique Mariæ Filium, Creatorem & Salvatorem omnium. Hic est lapis parvus, qui de monte sine manibus abscissus in montem magnum crevit, & universam terram replevit.

Hujus ergo è conversò parva fuerunt priora, sed extrema maxima. Eadem & in Matre ejus præeminentia virtutum designata in monte, de quo abcissus est lapis ille, completa novimus; quæ primò parva, postmodum effecta est summa. Confer & matris sicut filios, & similia in ipsis reperies. Uxor Elisabeth Pontificis, ista sponsa extitit fabri. Illam Conceptus liberavit ab opprobrio, hæc concepisse etiam ipsi Joseph visa est de adulterio: sed cùm ad partum jam ventum fuisset, illa in dolore hominem, hæc sine dolore peperit Creatorem. Illius partus attulit hominibus gaudium, istius verò Angelorum meruit præconium. Illa in proprio, ista peperit in alieno; non Joannem tamen in domo vel stella designat, vel Magi requirunt: sed in præsepio adorant Christum. Dormivit Elisabeth communi omnium morte, & more cadaverum corpus ejus putrefactum, dissolutum est in pulverem: quod nequaquam de Matre sua Christi sustinuit gratia; sicut & ejus vacuum meruit sepulchrum, & Gregorius Turonensis adstruit in libro Miraculorum. Unde & sicut Dominus die Ascensionis assumptus in cœlum ab Evangelista narratur, ita & de Matre cantatur: *Assumpta est MARIA in cœlum*. Ipsa denique Collecta cùm dicitur in ea die: *hujus Assumptionis, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, &c.* quid aliud ostendit quàm eam corpore quoque jam glorificatam esse?

Hinc patenter colligitur ex ipsis quoque rerum eventibus, ad quantam gloriam producta sint Mariae novissima; ut propter hoc venerentur etiam priora, tam Nativitatem scilicet ipsius quàm Conceptionem, de qua agimus. Nam quòd cùm mirabiles martyrum veneramur agones, tota festivæ jucunditatis causa posterioribus magis, quàm in prioribus consistit: nec tam attendimus passiones quæ præcedunt, quàm

præmia

præmia quæ ſuccedunt. Dolores quippe paſſionum, lucrum magis habent quàm gaudium : nec tamen exultationem à nobis exigunt quàm compaſſionem. Hinc illæ ſunt Rachelis lachrymæ ſuper filiorum morte. Hinc & Pſalmiſta fletum paſſionum exultationi præmittit præmiorum : *Euntes*, inquit, *ibant & flebant mittentes ſemina ſua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Hîc & admonemur gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus ; mortem, quæ pœnale malum, eſſe bonam, aut malam ex his vocamus, quæ ſequuntur eam. Congaudemus martyribus, non quia vitâ privantur, ſed quia vitæ naſcuntur. Unde & natalitia vocamus eorum ſolemnia; & pro noviſſimis quę perceperunt, recolimus priora, quæ pertulerunt. Hinc & communi proverbio dicitur: Omnis laus in fine canitur. Pauli quoque Apoſtoli converſionem, quamvis in peccato ejus graviſſimo factam, qui ſummus erat Chriſti perſequutor, ſolemnem dicimus propter ſubſecutum inde commodum. Simul in eodem facto & Pauli malitiam videmus, & Domini clementiam : nec minùs propter adjunctum malum perſequentis, beneficium laudamus convertentis ; imo tantò magis commendamus hoc bonum, quantò illud immaniùs cognovimus malum. Dum converteretur Paulus, peſſimus erat : dum conciperetur Maria, culpæ nihil habebat, quia nondum erat. Dies ille converſionis malitiâ Pauli, & miſericordiâ Domini plenus, ejus nomine ſolemnitatem habet inſignitam, cùm ſævitiam ſuſtinebat immenſam. Die illo Paulum cœcitate percuſſum, & ſic tribus diebus permanentem nihil egiſſe illius boni ad quod ſeparabatur, agnovimus. Sed adhuc cum tantæ malitiæ & infidelitatis reatu obligatum novimus, antequam per triduum baptiſmi gratiâ huic ſolveretur : quod in eo proprium, non originale jam erat peccatum. Sed quòd hic dies nuntium boni ſubſequentis extiterat, celebrationem meruit ſolemnitatis : cùm nullus tamen poſteriorum dierum, quibus tot & tanta prædicatio Pauli operata eſt, id obtinuerit. Converſionem ejus prædicatio ſubſecuta commendavit : nec tamen hoc boni conſummatio, ſed illa boni inchoatio ſolemnitatis attollitur præconio. Sic & in Matre Domini Conceptionem ejus vel Nativitatem, non ea quæ præceſſerunt, eximia faciunt, ſed ſubſequentia : quæ quantò ſint meliora, tantò præcedentia ſunt venerabiliora. Si enim Nativitatem ſolemnitate dignam cenſeamus ; Conceptionem etiam non veneremur ? Laudamus Dominum in Nativitate naſcentis, non ipſam ; neque enim laus eſt naſcentis quòd naſcitur, ſed ejus, cujus gratiâ id agitur. Sic nec

MARIAE Conceptionis ejus laus eſt adſcribenda : ſed divinæ gratiæ, quæ hanc eſt operata. Ipſa quippe, & conceptum dat matri, & formam ſemini, ac deinde producere ad ortum ; cujus donum eſt conceptus, formatio eſt ejus opus, beneficium eſt ejus partus. Auguſtinus de Bono Conjugali, lib. 1. *Semen enim hominis, ex qualicumque homine Dei creatura ſit cùm eo mali intentibus malè erit; non ipſum aliquando malum erit.* In de Nuptiis & Concupiſcentia libro 2. *Rectè igitur dicimus ita ; nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non poteſt accuſari : ſicut adultorum malum, bono naturali quod inde naſcitur, non poteſt excuſari.* Item natura humana, quæ naſcitur vel de conjugio vel de adulterio, opus Dei eſt.

Habes & ſcriptum de Sara : *Viſitavit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat ; & implevit quæ locutus eſt : concepitque, & peperit filium.* Et poſt aliqua, Scriptura de Rebecca commemorat : *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis ; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Ecce patenter Rebeccæ conceptum, quamvis in peccato (ut dicis) factum, vocat Domini donum : de quo alter electus, alter reprobus erat naſciturus ; & ecce mirabilior eſt ſterilis conceptus quàm ipſius partus : non enim gravidam miramur parere, ſed ſterilem concipere. Magnum itaque hoc donum : quod tam divinam potentiam commendat, quàm gratiam. Quamvis ergo partus quoque Rebeccæ donum Dei ſit, ſicut & conceptus, mirabiliùs utique donum : majores itaque grates exigere videtur. Quod autem ſunt ſingulæ feſtivitates, niſi quædam de divinis beneficijs gratiarum actiones? Jam verò partum ut (diximus) quàm conceptum, divinum conſtat eſſe beneficium ; alioquin igitur Sanctus Iſaac quomodo uxori à Domino poſtularet conceptum, niſi huic ejus exiſtimaret donum ? Aut quomodo filium à Domino poſtularet, niſi & à Domino conceptum ſperaret ? aut qua ratione Dominus daret conceptum, ſi concipere eſſet peccatum? Nunquid qui præſtat conceptum miniſtrat & peccatum? Abſit. At ne fortè objicias conceptum quoque adulteræ ſicut & Rebeccæ donum Dei eſſe : ſcias hoc potiùs eſſe quàm donum Dei ; ſola enim, quæ ad utilitates pertinet, donis commemoramus, cætera verò magis iræ ipſius quàm gratiæ tribuimus. Nemo etenim donaris alicujus deputat pœnas, quas irrogat : ſed tantùm beneficia quæ præſtat iis. Cùm quis alicui datiratus colaphum, & alteri benignus equum, utrumque donis ejus commemoramus : quia iſtud gratiæ, illud adſcribimus iræ.

Conceptio itaque Dominicæ Matris donum Dei eſt : qui ipſo quoque carnalis concupiſcentiæ malo utitur in bono, & militibus ſuis perſecutorem

ſecutorem malum convertit in bonum ; & tranſitorias pœnas paſſionum, in perenne refrigerium. Attende agonem Martyris, peccatum perſequentis, pœnam patientis ; virtutem conſtantiæ, quam adminiſtrat Dominus. Videmus donum Dei, ipſam videlicet conſtantiæ virtutem, duobus malis permixtum, peccato ſcilicet affligentis, & cruciatibus afflicti : Nunquid ideo minùs ipſam conſtantiæ virtutem donum Dei dicemus, aut tanquam malum improbabimus, quia eam malis ſociatam vidimus ? Quæ itaque non videremus neceſſaria, niſi adeſſent & mala. Nunquid & Martyris paſſio eſt culpabilis, quia ex iniquitate infertur perſecutoris? Aut converſio Pauli non debuit eſſe feſtiva, quia in gravibus ejus, ut diximus, peccatis eſt facta ? Sic cùm Dominus conceptum tribuit mulieri, qui ex concupiſcentiæ malo deſcendit ; nunquid culpabitur Dei donum, propter adjunctum, vel præcedens concupiſcentiæ malum ? Quod utique donum minimè non eſſet, niſi malum illud adjunctum eſſet: aut non de bono ſuo grates ſunt referendæ Domino pro adjuncto, ut dictum eſt, vel præcedente in parentibus concupiſcentiæ malo ?

Sed ut tandem redeamus ad controverſiæ noſtræ originem ; Concepta eſt, inquies, MARIA in peccato. Cui reſpondeo : nunquid & nata eſt in peccato, ſeu etiam cum peccato ? improperas Conceptionem, quia in peccato factam ; & commendas Nativitatem tanquam à peccato mundam ? Certè peccatum illud concupiſcentiæ, vel carnalis voluptatis malum, in quo, ut dicis, Conceptio facta eſt MARIÆ, parentum potiùs erat quàm MARIÆ quæ nondum erat ; quod enim non eſt, utique peccatum habere non poteſt : nec ſemen illud ante formam & vitam, peccati reatum poteſt incurrere ; ſicut nec damnationi, ſi ita remanſerit, poteſt ſubjacere. At verò cùm aliquis naſcitur, quia jam eſt : eſt utique jam peccatum habere, vel damnationi poteſt ſubjacere. Quamvis ergo, ut objicis, MARIA ex Conceptione immundi ſeminis peccatum originale contraxerit : tamen quia tunc cùm non erat, peccatum non habebat, (quod itaque etiam habere poſſet cùm naſceretur) multò minùs immunditia Conceptionis ei eſt imputanda quàm peccatum illud quando eſt nata. Vide ergo ne ſi feſtivitatem Conceptionis infirmare coneris, multò magis ſolemnitatem Nativitatis improbare videaris.

Si enim objicias, quia mater eam in peccato concepit ; attende, quia & eam etiam peccato peperit ſecundùm communem generationem : quam ipſam etiam continet verior translatio Pſalterij, ſive etiam Septuaginta à Beato Hieronymo correcta, ut Romana tenet Eccleſia ;

ſive ab ipſo poſtmodum ſecundùm Hebraicam veritatem facta Septuaginta: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea.* Hebraicum: *Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato peperit me mater mea.* Unde & Job ipſum humanæ nativitatis diem maledicere non eſt veritus; ſic enim habes ſcriptum: *Aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo; pereat, inquit dies, in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: homo conceptus eſt.* Ipſe quoque Hieremias in utero ſanctificatus ait: *Maledicta dies in qua natus ſum, in qua die peperit me mater mea; maledictus verò, qui nunciavit patri meo dicens: natus eſt tibi puer maſculus, & quaſi gaudio lætificavit eum.* Certè ſi ad maledictum pœnæ quod ex peccato primorum parentum contraximus, hæc maledictio referatur; multò magis nativitas noſtra quàm conceptus ſubjaceret maledicto: in hac enim peccatum jam habemus, & naſcendo præſentibus ærumnis pœnas incurrimus, quas antea non ſentiebamus. Quod & Beatus diligenter attendens Auguſtinus, non ſolum Chriſtum, ſicut ſine peccato conceptum, ita & ſine peccato profitetur natum. Quòd tam ex propria dicit ſententia quàm ex authoritate B. Ambroſii confirmat. Ait quippe ſic contra Julianum Pelagianum, libro 2. prædicti Doctoris authoritatē introducens: *Per unum*, inquit, *Dominum IESVM ſalus ventura nationibus declaratur, qui ex Virgine natus, generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur: Ecce ne inquit, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Item poſt aliqua de ipſo Ambroſio: *Videbimus quomodo vos ingenti mole authoritatis obtriverit; dicit enim in libro contra Novatianos: Omnes enim ſub peccatis naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt; ſicut habes lectum dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Item de Concupiſcentia carnis adversùs ſpiritum, Sermone 1. *Experti ſunt oculi eorum ad aliquid quod nunquam ſenſerant, quod in motu ſui corpore nunquā expaverant: quod texerunt, verè ſenſerunt. Ecce unde trahitur originale peccatū, ecce unde nemo ſine peccato naſcitur.* Idē de Nuptiis & Cōcupiſcentię lib. 1. *Ex hac carnis concupiſcentia quæcumq; naſcitur proles, originali eſt obligata peccato: niſi in illo renaſcatur, quē ſine iſta concupiſcentia Virgo concepit. Præterea quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus.* Idē in lib. de Fide ad Petrū: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites omnē hominem qui per concubitū viri, & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, atque impietati ſubditū, mortique ſubiectum: & ob hoc naturâ iræ filium naſci.* At ne fortè Joannem hîc excludere nitaris, tanquam pluſquam hominem ſicut pluſquam Prophetam eum profitens, quem ſicut Hieremiam in utero dicis ſanctificatum: Venerabilis Beda Presbyter in peccato

etiam

etiam teſtatur natum, ait quippè ſic de Joanne in Homilia illius lectionis Evangelicæ: *Venit IESVS à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, &c.* Ait inquam ſic: *Quamvis nullus inter natos mulierum major; quia natus tamen de muliere, culpæ nævo non carebat. Quoniam ergo ſcriptum eſt; Quid eſt homo, ut immaculatus ſit, & ut mundus appareat natus ex muliere? Iure timuit hoc quamvis ſanctè natus, tamen ex muliere: & ob id à culpæ macula non immunis baptizaret Dominum.* Hoc autem Venerabilis presbyter, quia conceptus ex muliere, ſed quia natus ex muliere: tanquam in nativitate quàm in conceptione intelligat ipſum peccato ſubjacere; quando videlicet jam eſt, non quando nondum eſt. Si ergo Nativitas quando Joannis à peccato non immunis, nec ob hoc tamen ſolemnitate caruit? quid accuſas hoc in Conceptione Dominicæ Matris?

Quidquid autem de Nativitate & vitâ Joannis ſentias, volo ut aliquid prærogativæ reſerves Dominicæ Matri: nec quando agitur de peccato humani generis, eam ſicut cæteros illi ſubjaceas, quam immenſus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus ab hujuſmodi quæſtionibus prorſus eſſe vult excluſã. Ait quippe ſic in libro de Natura & Gratia contra quemdã ſuper ijs diſputans: *Cõmemorat eos qui juſtè vixiſſet* (verba Auguſtini referũtur) *non tantummodo non peccaſſe, ipſam etiam Salvatoris Matrem, quam dicere ſine peccato, confiteri neceſsè eſſe pietati: de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem; unde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum? Hac ergo Virgine exceptâ, ſi omnes ſanctos poſsemus interrogare utrum eſſent ſine peccato; quid fuiſſe reſponſuros putamus? Vna voce clamaſſent: ſi enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Attende Frater tam eximij Doctoris conſilium; ne præſumas negare ad vincendum omni ex parte peccatum quiddam ſpecialiter eſſe collatũ: ut cujus ſanctam profiteris Nativitatem, ſanctiorem fatearis & vitam; & quo ampliùs vivendo proficere, ut fieret Mater Domini, ſanctior mereretur fieri; ut ſi nata fuerit abſque peccato, non eam poſtmodum adſtruas ſordidatam peccato. Cui certè cùm dicitur: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, hoc eſt, ſuperiorem, quamdam in te habebit divina gratia ſupra hunc quem habuit; diligenter innuit, non in eandem primò venturum, quin ſemper in ea fuerat: ſed ut diximus, ſuperventurum, ut ſupra gratiam ſanctificationis, quâ conceperat ipſam, omnium ſanctificationem de ſe naſcituram mundo conferret. *Ipſe quippe*, ut ait Apoſtolus, *factus eſt ſapientia nobis à Deo, & juſtitia & ſanctificatio*; de qua igitur ſanctificatio naſceretur, omnium

eſſe oportuit ſanctiſſimam omnium. Cùm de peccatis agitur hominum, prædictus Doctor eam omnino vult excludi: nec communi hominum ſubſcribere conditioni in his quæ pertinent ad peccatum; & tu eam, ſtatim ut fuerit, peccato aſſeras ſordidari: ut hanc ejus repellas ſolemnitatem, quæ apud multorum celebratur devotionem? Quam ſi ab omni macula peccati non dicamus ſemper alienam: non video ubi reperias illam cui dicitur ſponſam, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Una eſt columba mea; una eſt matri ſuæ electa, genitrici ſuæ.* Si hoc ad Eccleſiam generalitèr referas, ut hîc, ſicut dicitur, Tota pulchra ſit abſque macula: non poterit ſtare veritas. Si ad aliquam fidelium perſonam hoc reducas; ut eam non ſemper, ſed aliquando totam adſtruas eſſe pulchram; multùm hanc publicabis ſponſæ prærogativam; cùm nullum fidelium maculis peccati ſemper conſtet eſſe aſperſum, ſaltem quando in baptiſmo ſordes omnium deponit peccatorum. Quis eſt etenim dignus dici hortus concluſus, fons ſignatus: ne ad eum habeat aditum alienus? ubi hoc iſti ſingulariter adſcribitur? Cui denique animæ illa ſingularitas veraciter tribuetur; *Una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ?* Nulli profectò, quantùm æſtimo, niſi hujus Virginis prærogativæ.

Hæc igitur una, & tanquam unica extitit matris ſuæ: quæ ſingulari ſanctitate præmunivit in ſinagoga fideli. Hæc ſemper hortus concluſus, & fons fuit ſignatus; ad quam divinâ protectione ſemper munitam, omnium muro virtutum vallatam Diabolus acceſſum non habuit, nec immunditiæ ſuæ ullum impreſſit veſtigium; aut puritatem ejus tanquam limpidiſſimi fontis, quam ſibi Dominus propria tanta Spiritûs ſancti arca conſignavit: ſuggeſtionibus, alvus Mariæ potuit præturbare.

Sed ut ad ipſam redeamus Conceptionem; immundum, inquies, ſemen eſt, & totius origo peccati: ideoque Conceptus magis quàm Nativitas improbandus. Immunditiam quippè ſeminis Job ipſe profitens, ait: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Sed nunquid in ſemine iſtam immunditiam peccatum ejus appellas, quod, ut dictum eſt, habere non poteſt? Aut nunquid ex hac quacumque immunditia ipſum etiam Conceptum (quod donum eſt Dei) dices immundum; & non magis Nativitatem, in qua is qui naſcitur, jam eſt peccato ſordidatus? Si dixeris ſemen immundũ, quia ex immunditia concupiſcentiæ deſcendit: utique & Nativitas ex eadem origine procedit, in qua qui naſcitur, jam ſuo, quod contraxerat, peccato dicitur contaminatus. Quid enim cogit nos

confiteri

confiteri propter hæc verba Job MARIAM? quomodo de immundo semine concepta esset? Non enim quia Deus hominem faceret mundum de immundo semine conceptum, ideo in MARIA fieri hoc est concedendum magis; quàm si diceretur divina gratia hominem nequissimum à suis flagitijs, cùm voluerit, revocare. Quod enim dicitur indefinitè, & pro aliquibus verum potest esse; non cogimur generaliter accipere. Quòd si hinc maximè in Conceptione MARIÆ immundum semen accuses, quia totius est origo peccati: nunquid & totius quod sequitur, est origo boni? Quippè qui nascitur, bonus futurus non esset, nisi cōceptus præcessisset. Si quid parùm mali, plurimū conferat boni; nunquid habet nullā gaudij causam? Certè adventus Domini in mundum multis extitit causa damnationis & peccati, pluribus salutis: unde & de ipso Simeon ait: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorū in Israel.* Ipse quoque Dōs de adventu suo loquitur dicens: *In judicium ego veni in hunc mundū; ut qui non viderit, videat, & qui vident, cæci fiant.* Et iterum: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem nullam habent de peccato suo.* Cùm ergo multis adventus Christi in tantùm nocuerit, ut non solùm eis causa peccati, verùm etiam gravissimæ damnationis extiterit; ideo hunc adventum veneratione celebimus indignum? Illa verò immunditia seminis, ex qua conceptam dicis MARIAM; quid ipsi MARIÆ, vel cuiquam nocuit? Non enim MARIA ex peccato inde contracto damnationem incurrit: quamvis temporalibus subjacuerit pœnis; sicut & Dominus absque peccato conceptus fuit. Unde ergo Conceptionem MARIÆ magis quàm adventum Christi poteris improbare, & non potiùs tam Conceptionem quàm Nativitatem maximè commendare; in quibus consistere videtur totius exordium salutis humanæ?

Sed fortasse inquies, quia hoc ad celebrationem solemnitatis non sufficere, quòd hæc MARIÆ Conceptio tanti fuerit origo boni, ut fortè simul ratio conceptiones quoque parentum ejus lætabundas esse adstruat; quas ejusdem boni, & causas fuisse constat. Ad quod facilè est respondendi: aliud esse causam reddi, aliud argumentum referri. Juxta ipsos Philosophos, universalia inferiorum causæ sunt, ut animal hominis; & homo est quia est animal, non tamen homo est si est animal. Et cùm sit concubitus causa partûs, verum est aliquam peperisse, quia concubuit: non tamen verum est peperisse eam, si concubuit; sed è converso; à partu magis ad concubitum, juxta rei naturam, tanquam ab effectu ad causam argumentum ducitur necessarium. Aliud ergo est (ut diximus)

causam

cauſam reddi, aliud argumentum afferri: ſæpè namque contigit, ut cùm duo pariter aliquid bonum fecerint, alter inde præmium ferat, quod alteri denegatur; cùm perſonæ dignitas illum magis quàm iſtum commendet. Cenſet Veritas quoſdam in ſe delinquentes veniâ dignos, quia neſciunt, inquit, quid faciunt: & pro eis orat. Dixit & Apoſtolus ſe miſericordiam conſecuturum, quia ignorans perſecutus eſt Eccleſiam; nunquid hæc ignorantia omnibus veniam merebitur, ut hujus ignorantiæ cauſa eundem in omnibus habeat effectum? Habet Laurentius feſtivitatem, quia Martyr Domini occubuit: non habet Iſaias, quamvis in eo eadem reperiatur cauſa. Noli ergo cauſam, quam induximus ad Conceptionem ſummæ Virginis celebrandam, etiam ad præcedentium parentum ejus conceptiones referre: quorum nec glorioſus occubitus, & mors in conſpectu Domini pretioſa ſolemnitatem meruit obtinere. Quæ ſanctior omnibus extitit, excellere omnibus debuit privilegio ſolemnitatis: & tantò magis gaudium afferre mundo, quantò ſalus, quam peperit, per ipſam magis omnibus appropinquavit. In qua non tam conſiderare convenit quòd ex ipſa Dominus carnem acceperit, ſed quod ſola hæc privilegium ſingulariter meruit; quod Beatus Auguſtinus in libro de Sancta Virginitate meminit, & ex verbis ipſius Domini convincitur: *Beatior extitit percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Non enim dubitandum eſt, ante ipſam nullum vaſculum dignum reperiri poſſe: cui tantæ donum infunderetur gratiæ, nec tam diu Dominum diſtuliſſe hoc, niſi quia non reperiit tantæ dignum habitaculum gloriæ.

Major certè nobis cauſa eſt exultationis in Conceptione ipſius vel Nativitate, quàm in ejus mortis dormitione. Sibi quippè eſt mortua, ſed omnibus communiter tam concepta quàm nata. Morte præſentes finivit ærumnas, & ſibi moriendo profuit: Conceptio verò ipſius atque Nativitas totius naturæ ſalutis facta eſt cauſa. Illa dormitionis ejus ſolemnitas, quâ receſſit à nobis: Angelorum, ad quos tranſiit, præcipuè eſt dicenda; Conceptio verò ejus atque Nativitas, quibus nobis conjuncta, & noſtram eſt ſalutem operata; tantò devotiùs à nobis ſunt celebrandæ, quantò pro nobis ſalubriùs ſunt factæ. Quòd ſi abſque teſtimonio, vel potiùs firmamento dicas Mariam ſicut & Joannem in utero ſanctificatam, ne ipſa inferior Joanne videatur, & Nativitatis ejus ſolemnitas commendetur: & ego eam Joanni præferens, etiam ſine peccato dicam conceptam; ut Conceptionis quoque ſolemnitatem commendemus

demus. Quid enim nos impedit credere hanc gratiam Dominum parentibus suæ Genitricis posse & velle conferre: ut absque omni carnalis concupiscentiæ labe sanctissimum illud corpusculum generarent, quod solum sensuit dignum suæ Incarnationis honore?

Non dubitamus parentes primos sine peccato ad humani generis propagationem in Paradiso filios esse procuratos: & quicumque deinceps generaret, hanc habiturus gratiam, si priores illi inobedientiæ non incurrissent culpam. Quod ergo de omnibus esset commune, cur conferri non potuit parentibus Mariæ? Cui quidem existimationi meæ, & illud maximè consonare videtur, quòd in laude Joannis secundùm Matthæum Dominus ait: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista.* Quis enim Domini Matrem dubitet Joanne longè digniorem? Quæ si in peccato fuit concepta, quomodo veritas in Joanne videbitur verax? Nisi fortè ut jocando loquatur; quia dixit inter natos, non inter natas, maribus tantùm non fœminis, id est, fortiori, non infirmiori sexui eum proposuerit: tanquam in masculino genere non sit consuetudo Scripturæ fœmineum quoque includere, dicente Evangelista de Domino: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nunquid quia filios dixit, exclusæ sunt & filiæ? Hac utique ratione exclusa est & Martha, quæ non solùm fide, verùm etiam corpore susceptit ipsum, & susceptio devotè ministravit. Quomodo ergo si in peccato Maria sit concepta, veritatis erat sententia? Si verò à peccatis sit immunis ejus Conceptio, patet propositæ quæstionis solutio; non enim Dominus ait: major Joanne non fuit, sed, major Joanne non surrexit; surgere autem est à peccato erigi, juxta illud: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis.* Si ergo Maria nunquam in peccatum corruit, salva est veritatis assertio. Quamvis ipsa major Joanne extitit, tamen major Joanne non surrexit: quia nunquam, ut dictum est, cecidit. Quòd autem Dominus quasi sæpiùs Joannem laudans juxta Lucam dixerit: *Dico enim vobis, major inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est*; dixit quidem neminem Prophetarum esse Joanne majorem, sed hoc nequaquam esse negavit Matrem, quia nullatenus, ut supra meminimus, legimus prophetissam. Non enim illa, quæ in Cantico suo de futuro pronunciat dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, &c. ad inspirationem propheticam referenda sunt: de quibus ipsa jam verbis Evangelicis fuerat instructa, & per propheticam Elisabeth insuper confirmata.

Nolo, frater (qui quam sis) ut tuæ opinionis figmento Mariam dicas

in utero sanctificatam, ut solemnitatem Nativitatis ejus commendes, & Conceptionem infirmes; ego autem eam magis semper asseram sanctam, quàm sanctificatam: nequid ex opinionis figmento, sed ipsius veritatis testimonio; ut videlicet Joanne major, ut dictum est, ipsa fuerit, nec major surrexerit, quæ nunquam in peccatum cecidit; quia solemnitatem Nativitatis Mariæ tantò jam roboratam tempore calumniari non audes, cogeris fingere eam quoque sicut Joannem in utero sanctificatam esse; ne videlicet ipsa Joanne videretur inferior, aut ejus Nativitas minùs quàm Joānis habeatur celebrior. Sufficeret tibi juxta opinionem tuam, eam Joanni adæquare: ego verò ex ipso veritatis testimonio eam Joanni præfero, nec solùm de Conceptione, verùm etiam & de Nativitate. Quòd enim Joannes in utero sit sanctificatus, ut sine peccato sit natus, nulla potest Canonis authoritate vel ratione confirmari: habes quidem eum ex utero Matris suæ Spiritu sancto replectum, sed nequaquam sicut Hieremiam sanctificatum; ad hoc, inquam, Spiritu sancto repletum, ut jam adventum Domini cognosceret, & ad eum exultaret. Sed & matrem ejus ad adventum Mariæ repleri Spiritu sancto ex gratia prophetiæ Scriptura commemorat; sed nunquid ideo ipsam immunem à peccato censebimus esse, cùm prophetiæ vel miraculorum gratiam non solùm electis noverimus concessam? Cornelium quoque adhuc ethnicum ante baptismi gratiam Beatus Hieronymus dono Spiritûs sancti profitetur mundatum; sic quippè ait scribens ad Heliodorum: *Non facit ecclesiastica dignitas Christianum; Cornelius Centurio adhuc Ethnicus dono sancti Spiritûs mundatur.* Ecce jam ad prædicationem Petri Cornelium credentem, & Spiritûs sancti gratiam suscipientem, quamvis adhuc ethnicus ante baptismum dicitur à proprijs peccatis per fidem Christi, & dilectionem fuisse mundatus: quem tamen postmodum baptizari propter originale peccati vinculum necessarium fuit; quod etiam donum fidei vel dilectionis si Joanni Christo recognito concedamus in utero fuisse collatum, non ideo tamen confiteri cogimur ab originali etiam peccato ipsum sicut Hieremiam absolutum, & ideo sanctificatum. Multùm quippè refert inter mundationem originalis peccati ipsum sicut Hieremiam... cùm & ante perceptionem Sacramentorum hic possit justificari ex fide jam per dilectionem operante; sicut de Abraham scriptum est: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*; & multi Sacramentorum percipiunt gratiam, quos nequaquam ideo sanctis vel justis hominibus connumeramus: cùm nullis adhuc virtutum præemineant meritis. Non enim parvulos baptizatos

statim

ſtatim morientes, de quorum ſalute nemo fidelium dubitat, more ſanctorum veneramur: nec ipſos etiam adultos quamvis jam ſint à peccatis mundati, ideo profitemur juſtos; cùm nullas adhuc eorum virtutes noverimus, vel bona opera perceptæ gratiæ ſuperinducta. Juſtitia quippè virtus eſt, quæ unicuique quod ſuum eſt tribuit; ex hac virtute nequaquam verè juſti dicuntur, quouſque remiſſionem peccatorum jam perceperunt; quod diligenter B. attendens Hieronymus in illa altercatione Attici orthodoxi & Critoboli hæretici, ex perſona Attici: ſi enim baptiſmus ſtatim juſtum faceret, & omni plenum juſtitiâ, nequaquam utique Apoſtolus Neophytum refutaret; ſed baptiſmus vetera peccata concidit, novas virtutes non tribuit; dimittit è carcere, & ſi laboraverit, dimiſſo præmia pollicetur. Sicut ante non omni perceptâ Sacramentorum gratiâ jam ſtatim juſti ſunt dicendi; ita è converſo nonnullos eſſe contigit ante hujus gratiæ perceptionem jam per fidem Chriſti & dilectionem juſtificari, & ut de Cornelio dictum; à primis jam peccatis mundari. Quis enim fideles nondum baptizatos cùm ad meritum properant eâ charitate ferventes, de qua Veritas ait: *Majorem autem dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; dubitet eos jam juſtos appellare quos tantâ videt virtutum præeminere perfectione: quamvis adhuc originali vinculo peccati dicantur obligati? qui videlicet nondum vel baptiſmum perceperunt, vel martyrium compleverunt.

Ad hunc itaque modum, ſive Joannem, ſive Hieremiam dicas in utero fide & dilectione jam ſanctum vel juſtum ſtetiſſe; non tamen ideo ab originali peccato poteſt eos abſolvere: ſed illi ſententiæ ipſos etiam in peccato conceptos conſtat ſubjacere, pro qua eis etiam Circumciſio neceſſaria erat; Domino ad Abraham dicente: *Circumcidetur ex vobis omne maſculum; maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*: hoc eſt, non erit connumeranda populo Dei. Quod fortaſſe ſacramentum ideo tale fuit inſtitutum ut ſolummodo viris conveniret; ne iſtam Domini Matrem lex iſta comprehendens, eam originalis peccati convinceret ream. Denique, illam Joannis ſeu Hieremiæ ſanctificationem antequam naſcerentur; Hieronymus ad prædeſtinationē magis refert quàm ad completionem rei jam factam. Sic quippè Hieremiam exponens ait: *Priùsquam te formarem, &c. Non quòd ante conceptionem (ut hæreſis ſuſpicatur) fuerit Hieremias, ſed quòd præſciret eum futurum Dominus; cui necdum facta, jam facta ſunt, ſecundum illud quod Apoſtolus loquitur: Qui vocavit ea quæ non erant, quaſi ea quæ eſſent.. Quod autem ſanctificatur in*

utero, juxta illud Apoſtoli debemus accipere : Poſtquam complacuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, &c. Idem ad Marcellam de vita S. Virginis Aſellæ ſcribens ; tanquam ad hunc modum in utero ſanctificatam ſeu benedictam profitetur dicens : *Præmitto quòd in matris utero benedicitur antequam naſcatur ; quòd adhuc in facie involuta pannis, & vix annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis conſecretur, vel id gratiæ omne quod ante laborem hunc : licet Dominus præſcius futurorum, & Hieremiam ſanctificet in utero, & Ioannem in alvo matris faciat exultare ; & Paulum ante conſtitutionem mundi ſeparet in Evangelium Filij ſui. Vnde & alibi dicit idem Apoſtolus : Qui elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Hinc & Chryſoſtomus ait in ſermone de Hieremia : *Magnum Hieremiæ eſt meritum, quia ante promeretur quàm naſcitur ; ante ſanctificatur quàm editur : ante Propheta conſtituitur quàm mundi exordio potiatur.* Dicuntur ejus merita ; & ab eo necdum exercentur officia. Quod ergo Hieremiæ dicitur : *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedit te* ; ſic accipiendum Hieronymus innuit, tanquam Dei prædeſtinatione, non in re jam completum fuerit : quod & de quibuſlibet verum eſt electis. Aut ſi hoc ad aliquam Hieremiæ pertineat prærogativam ; quid nos cogit de Joanne id quoque recipere, qui in virtute & ſpiritu Eliæ potiùs quàm Hieremiæ Dominum præcederet ? Unde & ipſe Dominus hanc virtutem exprimens, non tam eum Eliæ comparat quàm Eliam vocat. Planè & ipſe Joannes Chriſti baptiſmum profitetur ſibi neceſſarium, dicens ad Dominum : *Ego debeo à te baptizari ; & tu venis ad me ?* Certè cùm in utero Joannes Spiritu ſancto repletus Dominum recognoverit ; non eſt dubium, ex hac Spiritûs ſancti tam plenitudine, tam fide Chriſti, quàm dilectione quæ operit multitudinem peccatorum, ipſum jam fieri perfectum. Ubi ſi jam omninò erat abſque peccato, tam originali ſcilicet quàm proprio ; & poſtmodum ita peccaverit, ut baptiſmo Chriſti egueit : vide ne meliorem eum prædices naſciturum, quàm natum ; & cùm vir tantus ad perfectum virtutum vivere debet, ad perfectum vivendo potiùs perveniret.

Ut autem controverſiæ finem imponam ; quia ſervum Dei non oportet litigare : in arbitrio conſtituo lectoris, quam juxta ea quæ dicta ſunt, partem eligere velit concluſionis. Certè ſi rationem vel auctoritatem magis quàm opinionem attendamus ; faciliùs arbitror poſſe convinci MARIAM ſine peccato conceptam, quàm poſtmodum à peccato ſanctificatam : nec etiamſi in peccato concepta ſit, contradicendum eſſe, ſolemnes Deo gratias perſolvi de ipſius Conceptione ; in qua illo malo concupiſcentiæ

cupiſcentiæ parentum videmus dicendum tam benè uſum: ut etiam ſuprà meminimus. Eſther diſpenſatoriè gentili eſt copulata; quam omninò copulam Judæis lex interdicebat. Parebat libidini Regiæ, nec fortaſſis abſque propria voluntate: quam in ipſo coitu non poterat vitare. Nec ſolùm tanquam coacta parebat, verùm etiam ſe adornando, ipſam Regis concupiſcentiam in ſe nonnunquam incitabat; ut quò ei ampliùs placeret, faciliùs populi ſui liberationem impetraret. Quid plura? Sic & fecit & votum obtinuit; & tantò hic ejus affectûs authoritatem eſt executus, ut hæc ſola liberatio populi Dei honorem obtineret ſolemnitatis. Legimus Debboram & Judith populum ſuum liberaſſe: nec pro hac liberatione aliquam concupiſcentiæ notam incurriſſe, aut fœmineum aliquid commiſiſſe. Multos etiam fortium virorum ſimiliter de hoſtibus novimus triumphaſſe; ut Abraham pugnando, Moyſem orando, Joſue dimicando: & multos alios fidelium bellatorum magnas populi ſui liberationes reportaſſe. Nulli tamen horum hoc magnis virtutibus ſuis id obtinuerunt, ut feſtivitatem haberent tam egregia facta ipſorum; ſoli hoc Eſther videmus reſervatum, ut dictum eſt, ſerviendo concupiſcentiæ malo: de bono quod conſtituit, ſolo eſt feſtivo ſublimata præconio. Certè ſi originem & cauſam hujus liberationis conſideres, ex qua videlicet eam Eſther impetravit, Regiæ indulgendo libidini: non ſolùm improbandam, verùm etiam deteſtandam hujus liberationis cenſebis feſtivitatem, quamvis in canone veteris Teſtamenti ſancitam; ſed ut divinâ gratiâ benè uteretur in malis, hinc quoque doceret ſe laudandam eſſe: hanc præcipuè librationem inſtituit eſſe ſolemnem, ne quis fortè ulla ipſius beneficia calumniari præſumeret propter adjuncta, vel præcedentia, vel ſubſequentia mala.

Si ergo ſolemnitatem hujus liberationis ex concupiſcentiæ (ut dictum eſt) malo provenientis non licet improbari; quâ ratione quis calumniari audeat feſtivitatem hujus de qua nunc agimus, Conceptionis? Hæc quippe nequaquam facta eſt ad unius populi corporalẽ ac temporalem liberationem: verùm ad totius mundi perpetuã ac ſupremam ſalutem, & ad generalem à graviſſima oppreſſione noſtram ereptionẽ. Copulata eſt mulier fidelis infideli, judæa gentili, quod (ut diximus) lex prohibebat: parentes Mariæ legitimè ſunt permixti ad ſobolis propagationem, adquod lex maximè item eos cogebat ex maledicti ſententia. Unde & illud eſt B. Auguſtini in libro de Bono coniugali: Continentiam Joannes, & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat. Illo itaque tempore,

„ cùm & lex diei Patriarcharũ ſubſequẽs maledictum dixerat, qui non ex-
„ citaret ſemen in Iſraël; & qui poterat non premebat, ſed tamen habebat.
„ *Item ad Iulianam de viduitate ſervanda:* Nec quia dixi, Ruth beatam, An-
„ nam beatiorem; cùm illa bis nupſerit, hæc uni viro citò viduata diu
„ vixerit: continuò te meliorem putes eſſe quàm Ruth. Alia quippe priſ-
„ cis temporibus ſacrarum fœminarum diſpenſatio fuit, quas nubere obe-
„ dientia, non concupiſcentia compellebat; ut propagaretur populus
„ Dei, in quo præmitteretur prophetię Chriſti: cùm & ipſe populus per ea
„ quæ in figura contingebant illis (ſive in his, qui ſcirent, ſive in his,
„ qui illa neſcirent) nihil aliud eſſet quàm prophetia Chriſti: ex quo naſ-
„ ceretur etiam caro Chriſti. Ut ergo populus ille propagaretur, male-
„ dictus habebatur per legis ſententiam, qui non ſuſcitaret ſemen in Iſ-
„ raël. Unde & ſanctæ mulieres accendebantur, non cupiditate concum-
„ bendi ſed pietate pariendi; ut rectiſſimè credatur, coitum non
„ fuiſſe quæſituras, ſi proles poſſet aliter provenire: & viris uſus plu-
„ rimarum vivarum (fortè fœminarum) concedebatur. Cujus rei non
„ concupiſcentiam carnis, ſed providentiam generationis fuiſſe cau-
„ ſam, illud oſtendit; quòd ſicut ſanctis viris habere plures uxores
„ vivas, non ita etiam ſanctis fœminis licebat miſceri maritis pluri-
„ bus vivis: quoniam tantò eſſent turpiores, quantò magis appeterent;
„ unde nec eſſent fœcundiores. Perinde Sancta Ruth, cùm ſemen, quale
„ illo tempore neceſſarium fuit in Iſraël, non haberet in mortuo viro, quæ-
„ ſivit alterum de quo haberet. Hoc maledictum legis Gephte filia con-
„ ſiderans, Virginitatem ſuam deflebat; quòd Virgo moritura ſemen in
„ Iſraël non eſſet relictura. Hâc itaque bis conjugatâ ideo Anna uni
„ viro viduata beatior fuit, quia & prophetiſſa Chriſti eſſe meruit; quam
„ credendum eſt etiamſi filios nullos habuit (quod quidem Scriptura re-
„ ticendo reliquit incertum) eo ſpiritu prævidiſſe Chriſtum ex Virgine
„ proximè eſſe vẽturum, quo potuit agnoſcere & parvulũ. Ab hoc oppro-
„ brio ſe liberari Elizabeth exultabat dicens; Quia ſic fecit mihi Dominus
„ in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

Ad te Fratrem redeo, quisquis ſis hujus noviter inſtitutæ Solemnitatis calumniator; ut intelligas eo tempore, quo MARIA concepta eſt, & adhuc ex maledicto legis propter generandam prolem, ad exercendam carnalem concupiſcentiam homines cogerentur: intelligas, inquam, in parentibus MARIÆ quale illud fuerit quod etiam tempore gratiæ Apoſtolus commendat honorabile connubium & thorus

rus immaculatus; quod utique connubium multò magis sacratio legis commendat & utilitas huic secura, quàm quod contra legis sanctionem Esther commiserat. Neminem certè Fidelium arbitror esse qui si lectulum illum inveniret, quo Dei Genitrix concepta fuit, non ei reverentiam exhiberet. Sepulchrum ejus & vestes, quæ sanctissimum illud corpusculum contegerunt, pro maximis habemus reliquijs, & immenso studio veneramur; quæ tamen ad beatitudinis gloriam constat pervenire non posse, nec resurgere in ea quæ ab ejus aliena substantia; quantò magis autem illi semini, unde tam MARIÆ quàm Domini corpus est formatum, honorem nos convenit exhibere debitum: & de hoc ipso nostræ redemptionis exordio grates persolvere Domino, quòd & ipsum semen dedit, & in tantam gratiam multiplicavit?

Habet communem utique solemnitatem inventio capitis Sancti Joannis, inventio reliquiarum Sancti Stephani, Cathedra Sancti Petri, festivitas quæ dicitur ad vincula, propter corporalem salutem uni mulieri gutturosæ collatam; quid obsecro magis contulit utilitas illa, scilicet gutturosæ sanatio, an MARIAE Conceptio? quid horum magis Deo placuit, nisi quod humanæ saluti magis necessarium fuit? Habes, Petre, tres solemnitates; MARIA tua & omnium non solùm hominum, sed & Angelorum Domina duas: non enim Dominicæ Incarnationis conceptio, Matris est dicenda, in qua est facta, sed potiùs Filij à quo humanitas est suscepta. Hæc oblatio Domini secundùm legem facta in templo, tam MARIAE quàm ipsi est imputanda; sicut & Circumcisio à parentibus facta, vel baptismus ei à Joanne traditus in Epiphania. Nolo, Petre, nolo ut numero festivitatum MARIAM Domini Matrem indigneris tibi adæquari; quam in omnibus tibi desideras præferri. Multas etiam Sanctorum festivitates in diversis locis celebrari novimus: non solùm de Natalitijs ipsorum, verùm etiam de translationibus corporum, vel miraculorum, aliorumque beneficiorum.

Absit Sanctissima Sanctarum, Beatissima Beatorum, ut aliquam harum festivitatum Conceptioni tuæ comparem dignitate, sicut nec utilitate. Abundet unusquisque in sensu suo, dicat quod voluerit, sequatur quod elegerit; meum est & semper erit propositum, Fideles magis ad tuum honorem incitare, quàm hinc retrahere. Etsi enim quòd noviter est institutum, quibusdam sit dubium, nec tamen manifestè veritati contrarium: boni est hominis, quæ dubia sunt, in meliorem partem interpretari. Nec timeo hanc festivitatem suscipere, etiamsi minùs videatur habere

rationis;

rationis; dum plena ſit pietatis, & ad eam charitas perducat, non vanitas. Cujus honori ſi quis præſumat detrahere, nemini ejus invidia credo velle parcere, non tam alij iniquus quàm ſibi; ut illud in eo proverbio impleatur: Qui ſibi nequam, cui bonus? qui profectò, ni fallor, nec Nativitatem tuam, Domina, celebrari permiſiſſet; ſi antequam illa inſtitueretur, in ejus arbitrio id conſtitueretur. Non enim quod nunc abſque omni authoritate vel ratione fingere compellitur, te ſcilicet, ſicut & Joannem in utero ſanctificatam: & non ſemper fuiſſe ſanctam, etiam fingere cogeretur.

Denique, nec nos illa ejus terreat calumnia: Quòd ſi etiam matrem MARIAE, ſicut & ipſam ponamus ſine peccato concepiſſe; non hoc ſit MARIAM laudare, ſed tam ejus laudibus, quàm Chriſti detrahere: cùm videlicet nec ſolam MARIAM ſine peccato concepiſſe, nec ſolùm Chriſtum dicamus ſine peccato conceptum eſſe. Cui nunc quoque reſpondeo; imò id maximè ad laudem & honorem Virginis pertinere, ut videlicet per eam hoc filiæ bonum ſit & matri conceſſum: quæ ſcilicet mater cùm aliam peperit filiam, nequaquam hanc habuit gratiam. Eâdem ratione & ad Chriſti laudem refertur, ſi ſuæ ſimilem dedit Matri Conceptionem: tantò enim Mater extitit melior, quantò & Filio fuit ſimilior, & à peccato ſemper immunis extiterit. Nec dubium eſt ad laudem Filij pertinere quidquid ipſe fecit pro Matris honore. Boni quippe eſt hominis non æmulum eſſe, ſed bona quæ habet, aliis impartiri: & hoc magis ad ejus laudem conſtat pertinere, ut quantùm judicat oportere, bonum ſuum aliis magis communicet, quàm ſingulariter ſibi reſervet. Alioquin ipſe Dominus non fieret conſors miſeriæ noſtræ, niſi nos participes faceret ſuæ gloriæ: qui enim invidus ſui patris hæres quærere fratres venit & cohæredes, qui non rapinam arbitratus eſſet eſſe ſe æqualem Deo; exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, & ſecundùm id quod à Matre accepit, minor Angelis factus eſt, ut ſuper Angelos ipſam etiam collocaret: quem utique honorem Mater non haberet, ſi hunc ſibi proprium Filius reſervaret. Nunquid & cùm hoc profiteremur de Matre, dices nos gloriæ Filij detrahere; quòd ſolus hanc gloriam voluerit habere, ſicut & de Matris objcis Conceptione? An & de Patris honore detrahimus, cùm unicum ejus Filium etiam mulieri concedimus; ut ipſe quoque ſit Filius mulieris, qui & Dei Patris: nec indignetur Dominus Pater, ſi & illa ſit Dei Mater, & eundem illa, quem ille genuerit? Longè major eſt mulieris honor Deum genuiſſe, quàm ſine peccato conceptam & na-

tam

tam esse ; quod animalium quoque fœtibus constat esse commune.

Non times Christi laudibus detrahere , cùm id quòd sine peccato est natus , non solùm MARIÆ , verùm etiam Joanni concedis & Hieremiæ : ut tantò minùs bonum hoc Christi laudabile inveniatur , quantò à pluribus participatur ; cùm è contrario , juxta verissimam Philosophorum assertionem , Omne bonum cùm in commune deducitur , pulchriùs eluceſcat ; & quo magis multiplicatur , ipso sui augmento meliùs fiat. Concedis prædictos sanctos & MARIAM sine peccato natos ; nec vis in hoc eis MARIAM præferre : ut hoc præ cæteris jam haberet dignitatis , quia futura erat Dei Genitrix. Vide ne sic Filium honorare studeas , ut Matri derogando , magis eum offendas , qui quantò sanctiorem sibi Matrem elegit , tantò Nativitatem suam ampliùs commendavit. Unde & in laude Joannis merita parentum præmittuntur , cùm dicitur : *Erant autem ambo justi ante Dominum.* Illud etiam tuis adjunxisti calumnijs : præsumptuosum esse , id nec à fidelibus institui , quod nullâ antiquorum Patrum auctoritate possit roborari , qui si hanc , ut ais , solemnitatem judicassent rationabilem , nunquam eam præterijssent. Sed hac profectò ratione , quidquid tempore aliquid novum institutum est , refelli posset : tam videlicet novum Testamentum , & nova Christi Sacramenta antiquis superaddita , quàm cætera quæ Sancti Patres ad nostram doctrinam salubriter scripserunt , vel ad amplificandum divini cultûs officium , instituerunt. Priores quidem patres prædicatione sua Ecclesiam fundantes , civitatem Dei ædificarunt ; posteriores verò eam exornare studuerunt : & processu temporis tam Ecclesiasticorum , quàm sæcularium Doctorum pariter scientiâ crevit , ut perciperent multa quæ priùs non fuerant animadversa. Undeque illud est Daniel : *Pertranſibunt plurimi , & multiplex erit ſcientia* ; & Priscianus : *Quantò* , inquit , *juniores , tantò perſpicaciores.* Dum persecutio in primitiva desæviret Ecclesia , satis spiritualibus viris fuit eam ædificare , si non possent exornare ; pacem verò Ecclesiæ jam dudum divinâ gratiâ largiente , paulatim institui cœperunt & multiplicari quæ ad divini cultûs amplificationem congrua sunt judicata ; tam in solemnitatibus quàm in cæteris ad honorem Dei superadditis ; unde & ipsam Dominicæ Matris Nativitatem non ex longo tempore constat haberi solemnem.

Noli obsecro , Frater , ex tua obstinatione Fidelium devotionem impedire , si hanc cum illis celebrationem dedigneris suscipere ; quam quasi cæterarum radicem solemnitatum concedis succedere. Sicut enim ne-

mo te cogit, ut eam ſuſcipias; ita nec tuum eſt quemquam compellere ut ab ea deſiſtat: quam & ſuſcipere ſit pium, & rationi conſentaneum & opportunum. Prætermitto quod plerique prætendunt, ad ſolemnitatem, de qua nunc agimus, commendandam, revelationem ſcilicet (ut aiunt) cuidam Venerabili Abbati ſuper hoc factam; & beneficio, tam ipſi quàm cæteris qui aderant naufragantibus collato confirmatam. Non enim opus eſt inducere dubia; cùm habeamus certa, vel quæ plurimum commendat tam ratio quàm authoritas. Etſi enim quæ dicimus, non videantur neceſſaria; plena tamen pietatis non debent refelli, quæ non poſſunt reprobari. Præſentis Opuſculi finem facerem, niſi quia calumniatorem callidum ſuſpicor; & contra hoc aliquid machinaturum; cui etiam ſit mihi reſpondendum. Dicam interim Domino, dicam ejus Genitrici: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Finit; ad horam finem expectans.

EXPLICIT.

Tra-

Tractatus R. P. Hermanni de Schildis, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, de Conceptione Glorioſæ Virginis MARIÆ.

Sententia ſummaria, & brevis recollectio Opuſculi.

NE intellectus alicujus circa continentiam hujus Opuſculi diſpergatur, utilitas ejus ſub brevibus verbis colligitur, & ſummaria ponitur in hunc modum. Primò ponetur ordo dicendorum in hoc opere; & ipſum in dũas partes diſtinguitur: in quarum prima ſub novem capitulis oſtenditur quomodo Beata Virgo in ſuâ Conceptione præventa fuit ne inficeretur peccati originalis abyſſi caligine; quod in quatuor primis capitulis per quatuor vias probatur efficaciter, & in quinque capitulis ſequentibus auctoritates Sanctorum, & rationes Doctorum contra præmiſſa inducuntur. Diſtinctiones quædam utiles & neceſſariæ ponuntur, ex quibus auctoritates Sanctorum, rationes Doctorum, in quantùm videntur præmiſſis contraria, ſolvuntur generaliter, & cum dictis in hoc Opuſculo

concordantur. Solutiones quoque ad ſingulas auctoritates & rationes præmiſſas dehinc ſpecialiter adaptantur: & demùm prima pars thematis ad propoſitum applicatur, oſtendendo quomodo peccatum originale rectè abyſſus, vel abyſſi vocatur. In ſecunda parte hujus Operis ſub duodecim capitulis oſtenditur quo modo Beata Virgo in ſua Conceptione accepit à Deo quadruplicem benedictionem; ex quibus feſtum Conceptionis ejus ſortitum eſt prærogativam, juxta triplex ejus privilegium ipſi Virgini collatum. Ex quibus omnibus infertur, quòd nihil horrendum apparet in celebritate feſti benedictæ Conceptionis Virginis; ſive ponatur in originali peccato concepta, ſive non, ſecundùm quamcumque opinionem. Et poſtremò Opuſculum ipſum in laudem Virginis concluditur: & demùm à legentibus, & præcipuè ab amatoribus Virginis venia poſtulatur.

De prima Parte.

PRima ergo pars præter prologum epiſtolarum, & ordinem dicendorum, habet novem capitula; in quorum primo, quòd Beata Virgo in originali peccato concepta non fuit, probatur ex divina omnipotentia, per tres propoſitiones, quarum prima eſt.

Quòd circa Conceptum & ortum ſuæ glorioſæ Matris, Dominus totum fecit, quantùm omnipotentia ejus ſuſtinuit, & Maternæ dignitati congruum fuit, nec conditioni humanæ repugnavit. Quæ propoſitio ibi multipliciter probatur & deducitur. Secunda propoſitio eſt; quòd Virginem Beatiſſimam fuiſſe præſervatam ab infectione originalis peccati, divinæ potentiæ non repugnat; & quòd hoc dignitati Matris Dei modis omnibus congruebat: nec conditioni humanæ aliquid repugnans continebat; quæ etiam propoſitio ibidem probatur multipliciter. Ex quibus duabus tertia propoſitio, quaſi concluſio intenta infertur: quòd Chriſtus ſuam Matrem in ſua Conceptione ab infectione originalis maculæ præſervavit. Ubi poſtmodum inducuntur quædam fortes inſtantiæ contra præmiſſa, & ſolvuntur.

In ſecundo capitulo deducitur idipſum ex divina decentia, per tres propoſitiones; quarum prima eſt, quòd ſecundùm omnes Sanctos, & Doctores Catholicos, omninò decuit Chriſtum, quòd Mater ſua præſervaretur ab omni peccato actuali, veniali, etiam minimo.

Secunda eſt, quòd ſecundùm Auguſtinum & plures alios Sanctos, omnino

omnino decuit Deum, quòd corpus ſuæ Matris præſervaretur à corruptione & incineratione.

Tertia propoſitio eſt, quòd omnino ſine comparatione plus inficit animam contagioſa infectio peccati originalis, quàm macula peccati venialis, vel incineratio. Quæ tres propoſitiones ibi lucidè deducuntur. Ex quibus demùm quarta propoſitio infertur, quòd nullo modo decuit Deum quòd Mater ſua peccatum originale contraheret. Quæ etiam via per duas propoſitiones univerſales efficatiùs confirmatur: & inducuntur inſtantiæ contra primam & tertiam propoſitionem; quæ etiam ibi eam ſolvuntur.

In tertio capitulo, Virginem non contraxiſſe peccatum originale, probatur ex triplici peccati originalis indecenti macula.

Quarum prima eſt: quòd naturaliter conſtituit filium vel filiam iræ.

Secunda eſt: quòd omnem hominem, ipſo infectum tradit poteſtati ſathanæ.

Tertia macula peccati originalis eſt: quòd contrahens ipſum, ſtatim condemnatur ad mortem æternam, vel fit obnoxius morti æternæ. Ex quibus formantur tres propoſitiones; quarum prima eſt, quòd non decuit Matrem Dei tanquam filiam iræ pro ſuo crimine quocumque fuiſſe condemnatam ad mortem temporalem: ſive illud crimen voluntate alienâ, vel propriâ meruiſſet; vel quòd tanquam infamis de adulterio vehementer ſuſpecta fuiſſet, vel corporaliter obſeſſa à diabolo, pro quocumque brevi momento.

Secunda propoſitio eſt: quòd minùs decuit Dei Matrem fuiſſe filiam iræ ſpiritualiter, & traditam fuiſſe omnimodam ſathanæ ſpiritualiter: & verè fuiſſe condemnatam ad mortem æternam pro quocumque brevi momento.

Tertia propoſitio eſt: quòd contrahens peccatum originale fit naturaliter filius iræ; ſpiritualiter traditur in poteſtatem ſathanæ, & fit obnoxius & debitor mortis æternæ.

Quarta propoſitio eſt concluſio ex præmiſſis elicita; quòd Matrem Dei peccatum originale contrahere, nullatenùs decebat: propter graviſſimas maculas quibus omnem contrahentem & ſe infectum maculat. Quæ via etiam per quaſdam rationes alias efficaciter confirmatur ibidem; quarum una eſt, quòd ſequeretur quòd ipſa Beata Virgo non fuiſſet Virgo virginum: quia per peccatum originale fuiſſet corrupta mentaliter.

Secunda est: quòd Deus solus non intrasset & exivisset per eam, sed etiam diabolus; & sic sacra Scriptura juxta Ezechielis vaticinium & prophetiam, esset falsa. Instantiæ quæ contra præmissa possent fieri, reservantur ad instantias generales.

In quarto capitulo pro eadem conclusione inducitur quarta via, ex Sanctissimæ Virginis quatuor privilegiis, & ex ejus singulari excellentia; quorum primum est, quòd ipsa sicut Mater Dei fuit ab æterno, & semper est & erit in æternum inter omnes puras creaturas Deo dilectissima.

Secundum ejus privilegium est: quòd tanquam omnium creaturarum purarum Sanctissima & excellentissima ipsa est Regina cœli & terræ; & Domina Angelorum, & corona omnium Sanctorum.

Tertium privilegium est: quia ipsa est solamen, & ultimatum refugium omnium peccatorum & miserorum.

Quartum privilegium est: quòd ipsa est medium omnis gratiæ transfusivum.

Ex primo ejus privilegio ostenditur quòd non fuit huic privilegio compossibile quòd peccatum originale contraxerit; quia sequeretur quòd ab æterno & semper non fuisset Deo dilectissima omnium creaturarum: cùm minimus inter Angelos bonos ipsâ dilectior fuisset; cùm nunquam filius iræ, nec obnoxius morti æternæ fuisset.

Ex secundo privilegio concluditur quòd indignè Regina Angelorum, & corona omnium Sanctorum fuisset & esset; si quandoque peccato originali infecta, filia Sathanæ, & morti æternæ obnoxia fuisset.

Ex tertio ejus privilegio similiter, & ex quarto concluditur idem; ubi etiam additur auctoritas benè probans omnia ejus privilegia prælibata: & expressissima auctoritas Augustini cum intentione aliorum Doctorum, scilicet Anselmi, Richardi de Sancto Victore, & Linconiensis, inducentur ad probandum, & confirmandum efficaciter quòd in originali non fuit concepta.

In quinto capitulo contra præmissa iuducuntur novem auctoritates Sanctorum, & tres rationes potiorum Doctorum.

In sexto capitulo ponuntur quædam utiles & necessariæ distinctiones: tam de Conceptione quàm de originali peccato; & de hoc, quòd rei inesse dicitur ex se, etiam tunc quando actu non inest. Item de hoc, quòd tam naturaliter quàm moraliter aliquando potest inesse alicui rei radicaliter & causaliter, quod tamen non inest sibi formaliter & de facto;

cto; prout ibidem probatur naturalibus & legalibus rationibus, & exemplis.

In septimo capitulo ex præmissis distinctionibus respondetur ad omnes auctoritates & rationes præinductas generaliter, cum conclusione principali hujus Operis; scilicet quòd Beata Virgo non sit concepta in originali.

In octavo capitulo applicantur speciales solutiones ad quamlibet auctoritatum & rationum in speciali; quæ etiam solutiones ibidem probantur, & lucidè declarantur per rationes & auctoritates Sanctorum.

In nono capitulo aptatur particula auctoritatis thematis, ad propositum: & ostenditur quòd juxta triplicem ethymologiam nominis, abyssus, vel abyssi vocatur, juxta triplicem maculam quam infligit; ita ut rectissimè Beata Virgo pro sua Conceptione assumere possit & dicere nos informando: *Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram*; & in novem capitulis terminatur prima particula hujus Operis.

De secunda parte hujus Operis.

SEcunda pars hujus Operis tractat de Virginis benedictione; & duodecim capitula habet. In primo capitulo narratur quadruplex conceptæ Virginis benedictio, secundùm quod in Scriptura sacra quadrupliciter accipitur conceptio; scilicet pro conceptione seminis, formatione seu organizatione corporis, creatione animæ, & quartò pro ipsius animæ infusione, & corporis animatione.

In secundo capitulo ostenditur quomodo juxta primam acceptionem conceptionis, in gloriosæ Virginis Conceptione Deus benedixerit virtuti generativæ parentum Virginis: ut quamvis diu steriles fuerint naturaliter, tamen à Deo benedicti & adjuti processerunt ad fœcundæ generationis actum. Ubi etiam inducitur quæstio, an ipsi parentes in generationis illius actu libidine fuerint moti; & probabiliter ostenditur quòd non: licet hoc pertinaciter & determinativè non asseratur, cùm communiter à Sanctis & Doctoribus contrarium teneatur.

In tertio capitulo; quomodo juxta secundam acceptionem conceptionis, Deus benedixit virtuti formativæ in effigiatione corporis Virginis gloriosæ: ut etiam ultra omnem naturæ modum corpus fœmineum omnium nobilissimum formaret & effigiaret.

In quar-

In quarto capitulo declaratur quomodo juxta acceptionem tertiam conceptionis, ſcilicet pro animæ creatione, Deus benedixit conceptæ Virgini, creando animam illam ſanctiſſimam: quæ poſt Caput noſtrum immediatè ab ipſo Capite eſſet omnis gratiæ receptiva.

In quinto capitulo dilucidatur quomodo juxta quartam acceptionem conceptionis, ſcilicet pro corporis animatione, benedicta fuit Virgo concepta: ut fieret canalis vena omnis gratiæ injuſtos, & veniæ ac miſericordiæ in peccatores & miſeros transfuſiva.

In ſexto capitulo per privilegia Virginis concluditur triplex prærogativa feſti Conceptionis. Primò quòd in eo incepit apparere univerſi pulchritudo; ut per reſtaurationem divinitùs conſummanda. Secunda prærogativa; quia ex hoc feſto & tempore incepit communicari divina beatitudo: ut in ſe perfecta & conſummata. Tertia prærogativa; quia per multa miracula eluxit hujus diei ſanctitudo; per quæ toti mundo fuit ejus celebritas declarata.

Septimum capitulum deducit ex tribus primam hujus Conceptionis prærogativam. Primò ex eo quòd fuit concepta hoc tempore materia illius carnis, per quam finis ſuo principio jungeretur; cùm illi divinitas Filij perſonalitèr vniretur. Secundò, quia concepta fuit illa quæ fuit initium reſtaurationis univerſi: ſicut prima mulier fuit principium ſubverſionis univerſi, & condemnationis humani generis. Tertiò, quia concepta fuit una creatura, ſuper univerſi regimen tanquam Regina & Domina creaturarum omnium, collocanda.

Per octavum capitulum deducitur ſecunda prærogativa hujus feſti, duabus auctoritatibus; quarum una eſt Ambroſij, & ſecunda Bernardi.

Nonum capitulum enucleat tertiam hujus feſti prærogativam, ex deductione Beati Anſelmi, celebritatem ejus per multa miracula demonſtrantis: & per triplicem ſanctificationis excellentiam in hac die collatam Virgini glorioſæ.

In decimo capitulo ex omnibus præmiſſis lucidè probatur & declaratur, quomodo omnino nihil horrendum apparet, etiam ſecundùm quamcumque opinionem ponentem Virginem in originali peccato, vel cum parentum libidine conceptam; unde hujus feſti celebritas non ſit modis omnibus veneranda: & hoc pluribus exemplis & rationibus declaratur.

Undecimum capitulum concludit hunc tractatum cum laude Virginis glorioſæ, cum devota auctoritate Beati Auguſtini.

Duodecimum

Duodecimum capitulum; quòd à legentibus hoc opuſculum, & præcipuè ab amatoribus Beatæ Virginis, de imperfectione Operis venia poſtulatur. Et de hac materia pro meliùs ſentientibus divina magnificentia collaudatur; & ſic ad laudem Chriſti, & glorioſæ Virginis ſuæ Matris finaliter hoc Opuſculum terminatur: cui eſt honor & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Explicit Sententia ſummaria, & brevis recollectio Opuſculi de Conceptione Virginis glorioſæ.

INCIPIT TRACTATUS ſeu Opuſculum.

Necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram. Proverbiorum 8. capitulo. Beatus Ambroſius in Commentario ſuper Lucam dicit ſic: *Non mirum ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à MARIA; ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem primò fructum ſalutis hauriret ex pignore. Quapropter Beata Virgo, quæ prima fructum ſalutis ex Filio hauſit, ſub ænigmate æternæ ſapientiæ, ante abyſſos dicitur concepta. Necdum erant abyſſi, &c.* Quæ verba non ſecundùm ſolùm æternam ejus Conceptionem, quæ in mente divina æternaliter erat concepta; ſed etiam ſecundùm temporalem, quâ concepta fuit in utero ſuæ matris, congruenter exponi poſſunt. In quibus verbis duo principaliter innuuntur. Primò, divina præventio, ne inficeretur peccati originalis abyſſali caligine: unde præmittitur, Necdum erant abyſſi. Secundò, humana conceptio; in qua repleretur omnis benedictionis ſpirituali plenitudine. Unde ſubditur; Et ego jam concepta eram. Primum horum, ſcilicet quòd fuerit prævenia ne inficeretur peccati originalis abyſſali caligine, quadruplici viâ, donante Chriſto ejus Filio, declarabitur; & ſecundùm hoc prima pars auctoritatis applicabitur. Secundum verò, enarrando benedictionem & gratiam ſibi in Conceptione collatam, & rationibus & auctoritatibus probabitur; & ſecundùm hoc ſecunda pars thematis deducetur & adaptabitur. Primum ergo declaratur quadruplici viâ: quarum prima ſumitur ex divina omnipotentia; ſecunda ſumitur ex divina decentia: tertia, ex peccati originalis indecenti macula; quarta verò, ex ipſius Beatæ MARIÆ Virginis privilegijs, & in ſingulari excellentia.

CAPUT PRIMUM.

In quo prima via deducitur ex tribus propoſitionibus.

PRima via ſumitur ex Dei omnipotentia, quæ deducitur ex tribus propoſitionibus; quarum prima eſt, quòd Deus circa ſuæ Matris Conceptum & ortum totum fecit quidquid omnipotentia ejus ſuſtinuit, & Maternæ dignitati, ac conditioni humanæ congruum fuit. Quæ propoſitio primò probatur rationibus; deindè auctoritatibus & exemplo.

Prima ratio eſt talis. In excellentiſſima omnium creaturarum Deus ſecundùm omnipotentiam operatur; ſed Beata Virgo eſt omnium creaturarum excellentiſſima, ut ſuppono per Fidem: Chriſtus enim creatura non dicitur, ſecundùm quod patet per Auguſtinum, & per Magiſtrum Sententiarum. Sed probo Majorem. Quia excellentiſſima omnium creaturarum, eſt ſummum operum divinorum, de facto ſaltem, & ut ſic pro quanto eſt excellentiſſima; ſed ſummum operum divinorum arguit potentiam activam in ſummo; ſed hoc eſt ſolùm omnipotentia, quia cuilibet potentiæ finitæ altior eſſe poteſt: ergo in ſummo creaturarum Deus ſecundùm omnipotentiam operatur. Eadem etiam Major ratione aliâ declaratur: omnis enim effectus per ſuperabundantiam perfectus, arguit cauſam in actu perfectam ſecundùm ſuperabundantiam; ſed excellentiſſima creaturarum eſt effectus ſecundùm ſuperabundantiam perfectus: ergo. Major & Minor ſecundùm rectam rationem philoſophantium & theologizantium, videntur eſſe notæ ex terminis; quia optima non poſſunt eſſe niſi ab optima cauſa: quoad Majorem; & Minor ex terminis patet. Item eadem Major declaratur primò, ſecundùm Philoſophos: quia ſi totum univerſum eſt optimum operum primi; maximè quoad ipſius ordinem, quòd eſt meliùs bonum poſt bonum Ducis. Geneſis primo: *Erant omnia valdè bona*; & Ariſtoteles ſecundo Metaphyſicæ hoc dicit expreſsè: oportet dicere quòd primum fecerit hoc ſecundùm ultimum ſuæ potentiæ, ſaltem in actu. Item Commentator dicit pro confirmatione Majoris, in tertio de Anima; quòd natura fecit ultimum de poſſe, producendo Ariſtotelem: licet hoc idem non ſit verum quantùm

tùm ad Aristotelem, tamen sufficit quantùm ad verificationem Majoris, quòd summo effectui correspondeat summa potentia activa; & sic videtur ista propositio probata auctoritatibus, & exemplo. Minor etiam principalis rationis declaratur: quia puræ creaturæ altior gradus dari non potest quàm quòd sit Mater Dei; nisi sumeretur ad unitatem suppositi, & tunc esset Deus, sicut Christus; nec pura creatura remaneret. Et sic probata videtur prima propositio, quòd Deus in productione Virginis secundùm omnipotentiam operatus fuit; & fecit quidquid divinæ omnipotentiæ, dignitati maternæ, & conditioni humanæ non repugnavit.

Secunda propositio est ista: quòd Virginem fuisse præservatam ab infectione originalis peccati, non repugnat omnipotentiæ Dei, nec dignitati maternæ, nec conditioni humanæ. Quoad primum patet secundùm maximam Theologorum omnium: quia contradictio non est, nec ex parte Dei (ut evidens est) nec ex parte effectûs, vel conditionis humanæ in se, nulli dubium: quia omnia quæ sunt de ratione hominis, verè fuerunt in Christo, qui tamen ab originali præservatus fuit. Nec est contra rationem humanæ conditionis, prout est per traductionem carnalis generationis ab Adam: quia Anselmus dicit in libro de Peccato originali, capitulo 19. Quòd Filius Dei de Virgine conceptus est, hoc non eâ necessitate factum est: quasi de peccatrice parente justa proles rationabiliter generari per hujusmodi propagationem nequiret. Præterea defectus ille qui originale peccatum dicitur, non consequitur ex intrinseca natura rei, sed solùm ab extrinseca ordinatione, & libera voluntate Dei: quidquid enim consequitur ex intrinseca natura rei, maximè in primo modo dicendi per se, hoc Deus pro nullo tempore potest amovere; sed defectum originalis peccati per quodcumque contrarium Deus statim potest amovere; etiam secundùm oppositum opinantes: ergo originale peccatum solùm consequitur naturam humanam ab extrinseca ordinatione, & libera voluntate Dei. Sed quidquid procedit à libera voluntate Dei, hoc pro quocumque instanti Deus potest tollere, & prævenire ne consequatur; ergo ista propositio clarè probata est, quòd Virginem præservatam esse ab infectione originalis peccati, non repugnat omnipotentiæ divinæ, nec conditioni humanæ. Quòd etiam non repugnat dignitati maternæ, satis clarum æstimo; quia eam non minùs dignificat quàm quòd fuerit sine omni peccato veniali, ut infra patebit: quod tamen secundùm omnes Doctores ad dignitatem Matris Dei requiritur.

Ex præmissis ergo duabus propositionibus infero conclusionem intentam

tam ſic : Deus in productione ſuæ Matris fecit quidquid ſuæ omnipotentiæ conveniens fuit, & conditioni humanæ non repugnavit, & quod dignitati maternæ congruum fuit; ſed quòd præſervata fuerit à peccato originali, eſt hujuſmodi, prout ambæ propoſitiones ſunt probatæ : ſequitur ergo tertia propoſitio, quæ eſt concluſio principaliter intenta; quòd Deus ſuam Matrem in ſua Conceptione ab infectione originalis maculæ ex ſua omnipotentia præſervavit. Quæ tertia propoſitio poſſet aliter confirmari; ſed tranſeo cauſâ brevitatis.

Sed contra præmiſſa poteſt argui; primò, contra primam propoſitionem; ſecundò, contra ſecundam; tertiò, contra concluſionem, ut ex iſtis elicitur. Contra primam ergo propoſitionem ſic : ſi Deus fecit circa Conceptum & ortum ſuæ Matris quidquid omnipotentia ejus ſuſtinuit; ergo eam jam actu beatam produxit, & divinam eſſentiam in primo inſtanti ſuæ Conceptionis intuentem, & omnes alias perfectiones in ſummo habentem; ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Hæc eſt prima propoſitio. Falſitas conſequentis ſecundùm omnes patet : quia B. Virgo viatrix fuit, & humanis miſerijs ſubjecta uſque ad ſuam Aſſumptionem. Conſequentia probatur; quia eam fuiſſe in ſummo perfectam in primo inſtanti, nullam contradictionem implicat : quia in Chriſto ſic fuit, ſaltem ſecundùm rationem ſuperiorem, quòd in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus & perfectus in ſummo; vidit enim divinam eſſentiam. Sed dicendum eſt ad hoc, quòd licet omnipotentiæ Dei hoc non repugnaverit, tamen quia hoc fuit Chriſti privilegium ſingulare, cui hoc competebat ſicut vero Deo; ideo hoc conditioni humanæ, & puræ humanitati congruum non fuit. Sed dices : eodem modo dicam quòd non fuiſſe conceptum in originali peccato, fuit Chriſti privilegium ſingulare; unde dicit Bernardus in libello de Conceptione Virginis : *Non vult B. Virgo talem honorem, per quem fiet derogatio Filio ſuo* : ergo ſaltem videtur quòd ſecunda propoſitio ſit falſa. Dicendum eſt quòd concipi ſine originali peccato, non fuit ſingulare privilegium Chriſti eo modo quo Virgo concepta eſt; quia Virgo contrahere potuit, & de jure debuit, quia propagatione ſeminata eſt : ſed Chriſtus nec contrahere potuit, nec de jure debuit, & hoc fuit ſuum privilegium ſingulare, ut infrà magis patebit in ſolutione argumentorum : ubi etiam inſtantiæ ſolventur, quæ poſſent fieri contra concluſionem, ut ex præmiſſis elicitam; unde hoc tranſeamus.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

In qua ſecunda via deducitur ex tribus propoſitionibus juxta divinam decentiam ſumptis.

SEcunda via ad idem ſumitur ex divina decentia ; & iſta non eſt modicùm efficax, imò valde : quia ſecundùm quod dicit Anſelmus in libro, Cur Deus homo : *Sicut in Deo quantumlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas ; ita quantumlibet parvam rationem vel decentiam, ſi major non vincatur, ſequitur neceſſitas.* Pono ergo ſecundùm iſtam viam tres propoſitiones, ex quibus probatis noſtram concluſionem intentavi.

Prima propoſitio eſt talis, quòd omnino decuit Deum ſecundùm omnes Sanctos, & ſecundùm omnes Doctores, nullo excepto, quòd Mater Dei præſervaretur ab omni peccato veniali, etiam minimo. Secunda propoſitio eſt, quòd decuit Deum omninò, quòd corpus ſuæ Matris præſervaretur à corruptione & incineratione. Tertia propoſitio eſt, quòd ſine comparatione plus inficit animam & totam perſonam cujuscumque contractio & infectio contagioſa peccati originalis, quàm macula peccati venialis, vel incineratio. Ex quibus ſequitur quarta propoſitio, quòd nullo modo Deum decuit quòd Mater ſua peccatum originale contraheret.

Prima propoſitio, licet ſit conceſſa ab omnibus ex ſuperabundanti, poteſt ſic probari. Primò ratione : quia Virgo Beata à Deo fuit electa ad hoc ut eſſet idonea Mater Dei ; non autem eſſet idonea Mater Dei ſi aliquando peccaſſet : quia ſicut honor parentum redundat in prolem, Proverbiorum 17. *Gloria filiorum parentes eorum*, ita è converſo ignominia Matris in filium redundaret. Unde dicit Saul Jonathæ filio ſuo : *Fili mulieris virum ultrò rapientis* ; & infrà : *In confuſionem tuam & ignominioſæ matris tuæ.* Item Chriſtus ſingulari modo Beatam Virginem inhabitavit, quoniam eſt ſapientia increata : quoniam inhabitavit non ſolùm in ejus anima, ſed etiam in corpore, & in utero ; ſed Sapientiæ 1. dicitur : *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Secundò idem patet Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula*

non eſt in te. Item per auctoritatem Auguſtini in libro de Natura & Gratia, quæ infrà ponitur; & ſic patet prima propoſitio.

Secunda propoſitio probatur auctoritate Auguſtini in ſermone de Aſſumptione; & ratione. Nullo etenim modo decuit corpus illud, in quo, & de quo Chriſtus formatus fuit, incinerari & corrumpi; ſed conſtat quòd de corpore Beatæ Virginis, & de puriſſimis ejus ſanguinibus corpus Chriſti fuit formatum: ergo non decuit tale corpus incinerari. Et hoc modo conveniunt omnes Doctores, quòd B. Virgo cum corpore & anima fuerit aſſumpta; & videtur quaſi determinatum per Eccleſiam: & ſic probata eſt ſecunda propoſitio.

Tertia propoſitio probatur ſic: Illud ſine comparatione plus inficit animam & totam perſonam hominis, quod nullo modo compatitur gratiam & divinam inhabitationem; ſed peccatum originale nullo modo compatitur ſecum gratiam, quia conſtituit naturâ filium iræ, ſecundùm illud ad Epheſios 2. cap. *Eramus naturâ filij iræ*; peccatum autem veniale ſecum compatitur gratiam & charitatem, & per conſequens divinam inhabitationem; quia per charitatem diffunditur in cordibus habitatio Spiritûs ſancti, ſecundùm illud ad Rom. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Incineratio etiam quæ fit poſt mortem, & ſi ſit propria ſequela peccati originalis, poteſt tamen eſſe ſine omni peccato, quod patet in Sanctis; quorum animæ ſunt in gloria, & tamen corpora eorum ſunt incinerata: ſicut de B. Petro & de B. Paulo, & de alijs Apoſtolis patet. Ideo ſine comparatione, utraque hæc, ſcilicet tam peccatum veniale quàm incineratio, minùs inficiunt animam & totam perſonam, quàm peccatum originale. Et poſſet confirmari iſta ratio: quia peccatum originale conſtituit hominem reum mortis æternæ, & filium diaboli; ut infrà probabitur. Peccatum autem veniale & incineratio nullo modo conſtituunt aliquem filium diaboli, vel obnoxium morti æternæ, ut jam patuit; quia hæc ſecum gratiam & inhabitationem Dei compatiuntur.

Quarta ergo propoſitio ex præmiſſis infertur per locum à minori ſic. Minùs indecens & minùs repugnans videtur peccatum veniale dignitati Matris Dei, quàm originale peccatum: ſed illa propter indecentiam ab ea removentur per Sanctos, ut omnes concedunt; ergo & multò magis peccatum originale debet ab ea propter indecentiam removeri. Et iſta via univerſalioribus rationibus confirmatur. A qua enim propter indecentiam removetur minor defectus humanæ naturæ magis intrinſecus

&pro-

& proprius, ab ea per ampliùs debet removeri defectus major, humanæ naturæ minùs proprius & minùs intrinsecus; sed peccatum veniale & incineratio, quæ habent rationem minoris defectûs quàm peccatum originale (ut jam probatum est) propter indecentiam amoventur à dignitate Matris Dei, secundùm omnes: peccatum etiam veniale & incineratio sunt defectus magis propriè & intrinsecè naturam humanam consequentes; quod patet: quia Deus non posset facere aliquam animam vel personam humanam per naturam impeccabilem, secundùm omnes Doctores, vel aliquod corpus humanum quod per naturam non esset incinerabile; quia quod à versione incipit, secundùm Damascenum in versionem inclinatur, & quod ex elementis componitur, est in eis resolubile naturaliter. Peccatum autem originale non est ita proprium nec intrinsecum naturæ humanæ: quia in statu innocentiæ non fuit, ubi tamen natura humana perfectissimè viguisset; & Deus pluribus modis posset facere hominem peccato originali non infectibilem, sicut si crearet eum de digito, vel qualitercumque, cùm faceret sine propagatione seminis. Et sic patet quòd naturæ humanæ peccatum originale est minùs proprium & minùs intrinsecum quàm præmissa; quia potest ab ea omninò separari. Ergo peccatum originale magis debet removeri à B. Virgine propter indecentiam Matris Dei, quàm præmissa.

Hæc eadem conclusio universaliter confirmatur sic. A qua propter indecentiam removetur propria & adæquata sequela peccati originalis, & peccatum originale ab ea debet removeri: sed incineratio, quæ est propria sequela peccati originalis, propter indecentiam removetur à Matre Dei, ut jam probatum est; ergo & peccatum originale, cujus est sequela. Major patet ex Topicis: quia à quo removetur propriè proprium, removetur & subjectum cujus est proprium; ut à quo removetur risibile, removetur & homo: aliàs enim per passionem, vel ejus definitionem non esset aliquid demonstrabile de subjecto; quod est contra Philosophum in Posterioribus, & contra rectam rationem: & sic patet Major. Minor autem, quantùm ad hoc quod in ea sumitur, quòd incineratio sit propria peccati originalis sequela, probatur non solùm ex dictis SS. dicentium quòd homo in statu innocentiæ perseverans non fuisset resolutus & incineratus, prout Augustinus dicit super Genesim ad litteram; sed etiam ex auctoritate Dei propter peccatum dicentis homini Genesis 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; sequitur ergo conclusio. Ad istam conclusionem est expressa auctoritas Anselmi in libro de Conceptu Virginali, cap. 19

Nempe

Nempe decens erat ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater Vnigenitum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita darè diſpoſuerat, ut naturaliter eſſet unus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius; & quam ipſe Filius ſubſtantialiter Matrem eligebat, & de qua Spiritus ſanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & naſceretur ille de quo ipſe procedebat. Hæc Anſelmus.

Sed contra iſtam viam poteſt argui ſic. Primò contra Majorem: quia Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum 12. Dicit enim ſic. *Manifeſtum eſt quòd Mater Domini ſolùm hoc ex vana gloria faciebat, quod Chriſtus prohibuit dicens ibidem: Quæ eſt Mater mea?* Item ſuper Joannem 2. *Vinum non habent*; dicit idem Chryſoſtomus, quòd *hoc dicendo volebat illis impetrare gratiam, & ſeipſam clariorem facere per Filium; & fortaſſe quiddam humanum patiebatur quemadmodum & fratres ejus dicentes: Manifeſtate ipſum mundo; quod Chriſtus cohibuit dicens: Quid mihi & tibi mulier?* Et poſt pauca ſubdidit Chryſoſtomus: *Nondum enim quam oportebat, de Chriſto opinionem habebat.* Sed non eſt dubium hoc fuiſſe peccatum ſaltem veniale, ſi hæc verba ſunt vera: ergo major propoſitio non eſt vera. Dicendum eſt quòd Chryſoſtomus exceſſit in verbis, ſecundùm omnes, nec in hoc tenetur. Poſſunt tamen exponi verba ſic; ut intelligatur Chriſtum in ea hoc totum cohibuiſſe, non quidem inanis gloriæ motus, quantùm ad ipſam, ſed quantùm ad id quod ab alijs æſtimari poterat. Contra ſecundam viam poſſet argui; ſed tranſeamus cauſâ brevitatis.

Contra tertiam propoſitionem poteſt argui ſic: illud enim quod voluntate propriâ non contrahitur, non tantùm inficit quantùm illud peccatum quod voluntate propriâ committitur. Et hoc patet; quia omne peccatum tantùm habet rationem peccati, quantùm habet de ratione voluntarij; quia ſecundùm quod dicit Auguſtinus in de Vera Religione: *Peccatum adeo voluntarium malum eſt, quòd nullo modo eſſet peccatum, niſi eſſet voluntarium*; ſed peccatum originale contrahitur ſine omni voluntate contrahentis, imo ipſo neſciente, cùm careat uſu rationis & libertate voluntatis: omne autem peccatum actuale voluntate contrahitur, ergo (ut videtur) plus inficit. Dicendum quòd major univerſaliter non eſt vera, prout poteſt declarari in ejus oppoſita, quæ eſt iſta: illud opus quod voluntate propriâ eſt meritorium, plus habet de ratione meriti quàm illud quod non propriâ, ſed alienâ voluntate eſt meritorium. Iſta enim non eſt vera; plus enim merentur parvuli voluntate Chriſti & Eccleſiæ, quàm propriâ; imò in omnibus hominibus, etiam adultis fidelibus, plus fit

de

de merito in quolibet opere ex voluntate Dei, & Chriſti voluntaria paſſione & redemptione, quàm ex voluntate propria: Moyſi enim dixit Dominus: *Miſerebor cui miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſericors ero*; igitur *non eſt volentis neque currentis* quòd homo mereatur, *ſed miſerantis Dei*, ad Romanos 9. cap. Auctoritas ergo Auguſtini, quâ probatur Major, veritatem quidem habet in peccato actuali, non tamen in originali. Unde dicendum eſt quòd, ſicut in voluntate ſecundi Adam, ſcilicet Chriſti, omnes homines fideles plùs merentur quàm voluntate propriâ; vel ſaltem plùs habilitantur ad meritum & ad præmium, quàm propria voluntate; ita ex voluntate primi Adam plùs potuerunt demereri & infici, & ad præmium vitæ æternæ inhabilitari per peccatum originale, quàm in peccato veniali per voluntatem propriam, quæ aſſiſtentiam Dei, & habitum charitatis non excludit: qualis eſt voluntas peccandi venialiter.

Aliter etiam poſſet dici, quòd non ſemper peccatum & defectus plus inficit ex ratione voluntarij, ſed ipſa infectio quandoque conſurgit ex intrinſeca ratione defectûs, verbi gratiâ: in defectibus naturalibus aliquis poteſt eſſe merè involuntarius, ſicut ſupra, vel epilentia; aliquis voluntarius, ſicut ſi aliquis careat digito vel manu per propriam amputationem: defectus tamen lepræ plùs naturaliter inficit ex intrinſeca ſui ratione. Similiter hoc poſſet declarari in defectibus moralibus. Peccatum veniale poteſt quandoque habere multò plus de ratione voluntarij & delectabilis, quàm unum peccatum mortale; plus enim poteſt quandoque homo voluntariè dicere unum ſcurrile verbum, quàm in ira vel paſſione vel in ebrietate faciat homicidium: & tamen peccatum mortale etiam minùs voluntarium, ut homicidium, plùs inficit quàm peccatum veniale magis voluntarium. Ita in propoſito, ex intrinſeca ratione ſui defectûs peccatum originale plùs inficit.

Contra concluſionem in ſe, quòd Virginem fuiſſe infectam peccato originali, non ſit contra decentiam Dei, vel Matris ejus, poteſt argui ſic. Defectus naturaliter ex divina voluntate conſequentes, non ſunt contra decentiam cujuſcumque; ſed contrahere peccatum originale in generatis per concubitum, eſt talis defectus: ergo, &c. Dicendum eſt ad hoc, quòd Major non eſt vera in peccato veniali: quod ita naturaliter conſequitur naturam humanam, quòd nullus homo poteſt eſſe ita perfectus, & in tanta charitate, quin ſit peccabilis venialiter ſaltem, niſi per ſpecialiſſimam Dei aſſiſtentiam cuſtodiatur, ſicut in Beata Virgine factum eſſe creditur; & tamen ſecundùm omnes, ſicut ſupra

probatum eſt, contra decentiam Virginis fuiſſet infectio peccati venialis. Item hoc idem poteſt dici de incineratione, quæ eſt defectus omnino naturalis, & ex divina voluntate natutaliter conſequens.

CAPUT TERTIUM.

In quo Virginem originale peccatum non contraxiſſe, ex peccati ipſius indecenti maculâ comprobatur.

TErtia via ad idem ſumitur ex peccati originalis indecenti macula. Et hanc primò videamus; & tunc ex ijs propoſitiones formemus. Sunt autem maculæ originalis peccati, quantùm ad præſens, tres. Prima eſt, quòd conſtituit filium iræ naturaliter & ex natura; quod patet per auctoritatem Apoſtoli ad Epheſios 2. cap. Secunda eſt, quòd omnem hominem ipſo infectum tradit poteſtati ſathanæ; quod patet: quia per exorciſmum expellitur ſathanas à baptizandis, antequam per baptiſmum originale peccatum tollatur. Unde Gregorius in Homilia 24. dicit quòd Sacerdotes in exorciſmo dœmonia eijciunt. Tertia macula peccati originalis eſt, quòd ipſum contrahens ſtatim condemnatur ad mortem æternam; ſaltem quantùm ad pœnam damni, per quam in Adam omnes moriuntur; & per unius delictum intravit mors, ut Apoſtolus dicit: imò ſecundùm Auguſtinum, de Fide ad Petrum, condemnat ſempiterno igne; licèt hoc ſanè intelligendum ſit. Aliæ etiam plures maculæ ipſius ſunt, quæ dimittuntur ad præſens, gratiâ brevitatis.

Ex his maculis poſſunt formari tales propoſitiones ad propoſitum, quarum prima eſt: quòd non decuit Domini Matrem tanquam filiam iræ, pro ſuo crimine quandoque fuiſſe condemnatam ad mortem temporalem; ſive illud crimen voluntate alienâ vel propriâ incurriſſet: vel quòd tanquam filia iræ temporaliter infamis fuiſſet, vel obſeſſa corporaliter à diabolo, etiam pro quocumque momento. Secunda propoſitio eſt: quòd minùs decuit Domini Matrem fuiſſe filiam iræ ſpiritualiter, & ſpiritualiter traditam in poteſtatem ſathanæ, & condemnatam verè ad mortem æternam, etiam pro quocumque momento. Tertia propoſitio eſt: quòd per peccatum originale quicumque ipſum contrahens fit naturaliter filius iræ, ſpiritualiter traditur in poteſtatem ſathanæ, & fit debitor

bitor mortis æternæ. Quarta propoſitio eſt concluſio ex præmiſſis elicita: quòd propter graviſſimas maculas, quibus peccatum originale maculat Matrem Dei, ipſum incurrere non decebat.

Prima propoſitio probatur per auctoritatem Ambroſii ſuper Lucam; quia propter hoc Chriſtus elegit naſci ex Matre deſponſata, quia noluit habere Matrem etiam falsò temporaliter infamatam de adulterio: & multò magis voluit, quia nec decuit habere Matrem verè & veraciter, licet temporaliter, infamatam de quocumque crimine. Conſtat autem quòd condemnatio ad mortem temporalem pro crimine facta, vel obſeſſio corporalis diaboli multùm eam infamaſſent, & nonminùs, quàm ſi de falſo dictum fuiſſet quòd concepiſſet ex adulterio: ergo nullo modo decuit eam fuiſſe taliter infamatam; & ſic patet prima propoſitio. Poſſet etiam iſta propoſitio probari rationibus; ſed quia eſt evidens apud Sanctos & Doctores, ideo tranſeo.

Secunda propoſitio ſic probatur. Si Beata Virgo fuiſſet pro aliquo momento in poteſtate ſathanæ, filia iræ, & condemnata ad mortem æternam; pro illo momento fuiſſet verum dicere, tota illa perſona eſt in poteſtate ſathanæ, & condemnata ad mortem æternam: ergo totum quod eſt in ea: & quia corpus Chriſti ſecundùm propriam & propinquam materiam, jam pro illo tunc verum fuiſſet dicere: corpus Chriſti, vel illa materia de qua formandum erat, fuiſſet in poteſtate ſathanæ; & ſic ſequerentur tot abſurditates, quot propoſitiones. Verum enim eſſet jam dicere, quòd corpus Chriſti quod aſſumpſit de Virgine, fuiſſet quandoque in poteſtate ſathanæ; item corpus Chriſti quod adoramus, fuiſſet quandoque condemnatum ad inferos, & morti æternæ obnoxium: & innumeræ aliæ abſurditates, quas etiam humanæ aures obſtupeſcunt. Sequitur ergo quòd vera ſit propoſitio quæ dicit quòd minùs decuit Matrem Chriſti fuiſſe filiam iræ, ſpiritualiter & realiter traditam poteſtati ſathanæ, condemnatamque ad mortem æternam; quàm fuiſſe condemnatam ad mortem temporalem, vel temporaliter fuiſſe obſeſſam à diabolo corporaliter, pro quocumque momento. Aliæ plures abſurditates ſequerentur etiam ex parte ipſius Matris Dei, quas tranſeo gratiâ brevitatis.

Tertia propoſitio jam aliqualiter eſt probata, ubi actum eſt de maculis; & quia ponitur per Sanctos in ſacra Scriptura, & per Doctores, & per Eccleſiam de Conſecratione diſtinctione 4. Firmiſſimè, & ab omnibus eſt conceſſa; ideo ad præſens probatione non indiget ampliori.

Quarta ergo propositio tanquam conclusio elicitur ex præmissis; quòd peccatum originale Beata Virgo propter inconvenientem ipsius peccati maculam non contraxit: sed ne sic macularetur & infamaretur, justè præventa fuit. Ista etiam via secundùm considerationem maculæ originalis confirmatur sic: quia si Beata Virgo peccatum originale contraxisset, mente & corpore Virgo purissima non fuisset, quia anima ejus corrupta quandoque fuisset. Sicut enim sanctior & dignior est virginitas mentis quàm corporis, sicut patet per Augustinum in libro de Sancta virginitate: ità detestabilior est corruptio mentis quàm corporis, quia ista inducit fornicationem (fortè separationem à Deo semper) quod tamen non semper facit corruptio corporis, ut patet in virginibus involuntariè & violenter corruptis, & justis conjugibus. Unde Beata Lucia dixit Paschasio, in Domino gloriando, quòd nunquam corruptores mentis vel corporis agnovisset. Et sic Deus sicut secundùm Sanctos, & maximè secundùm Hieronymum non potest Virginem corporaliter corruptam, quantumcumque postea sanctificatam ad aureolam reparare, & dignificare; ita Deus non posset facere quin sua Mater in præteritum mente corrupta fuisset, & virginitatem mentis amisisset: peccatum enim veniale quodcumque mentem corrumpit; & sic indignè diceretur Virgo virginum, quæ quandoque corrupta fuisset. Nec sua spiritualis virginitas spiritualem integritatem & virginitatem quæ est in Angelis sanctis, excederet; quod est indecens, & contra Sanctos: Angeli enim sancti nunquam fuerunt mente corrupti, quorum tamen virginitati & mentis integritati virginitas Beatissimæ Virginis virginum superferatur. Instantias prætereo propter brevitatem: quia post quartam viam, illæ quæ moveri possunt, omnes ponentur & solventur, adjutorio Christi, & suæ Matris Virginis benedictæ.

CAPUT QUARTUM.

In quo probatur propositum ex Virginis privilegijs & excellentia.

Quarta ergo via ad idem sumitur ex privilegijs gloriosæ Virginis, & ipsius excellentia singulari. Privilegia autem Virginis sunt multa, quorum ad præsens pono quatuor. Primum est, quòd fuit & est Mater Dei

Dei; & ideo inter omnes creaturas dilectissima. Secundum privilegium est, quòd tanquam omnium creaturarum sanctissima & excellentissima est Regina cæli & terræ, Domina Angelorum, & corona omnium Sanctorum. Tertium ejus privilegium est, quòd ipsa est solamen & ultimatum refugium omnium peccatorum. Quartum ejus privilegium est, quòd ipsa est medium traductivum & transfusivum omnis gratiæ.

Ex primo ejus privilegio probatur quòd non fuit possibile, vel isti ejus privilegio compossibile quòd peccatum originale contraxerit, sic. Constat enim quòd ipsa non ex tempore, sed ab æterno, tanquam futura Mater Dei, toti Trinitati super omnes creaturas fuerit dilectissima: sed huic non est compossibile quòd pro aliquo momento fieret filia iræ, vel subjecta sathanæ, vel obnoxia morti æternæ; hæc enim omnia infert peccatum originale, ut dictum est, & nullum istorum se compatitur cum æterno & summo amore Dei: quia ipsam ab æterno, tanquam omnium creaturarum dilectissimam adamabat. Constat enim quòd Angeli, qui non subjacuerunt unquam iræ, nec fuerunt morti æternæ de facto obnoxij, ipsi Deo fuissent dilectiores quàm ipsa; & sic ipsa non fuisset Deo inter omnes creaturas dilectissima: quod esset contra privilegium ejus primum. Ex secundo ejus privilegio probatur; quod non se compatitur cum isto privilegio quòd peccatum originale contraxerit: Aristoteles enim dicit 7. Politicorum: Quòd *nullus dignè principatur regulariter, & semper alijs; nisi qui tantùm differt à subjectis, quantùm Domini & Heroes seu Heroici differunt ab hominibus: ita ut manifesta sit excellentia secundùm corpus & secundùm animam*; sed si B. Virgo peccatum originale contraxisset pro quocumque instanti, tali differentiam, scilicet divinam & heroicam ad Sanctos alios secundùm corpus & animam non haberet, ut de se manifestum est: quia fuisset peccatrix & morti æternæ quandoque obnoxia, quod aliqui Sancti, saltem Angeli non fuissent. Item respectu aliorum hominum in originali conceptorum, non fuisset heroica & divina: quia etiam ipsa in originali tanquam ab eis non differens, fuisset concepta. Sicut enim parvuli mox nati, & baptizati, sine omni peccato decedunt, si moriuntur; ita præ illis gradum divinũ & heroicum quoad hoc saltem non habuisset, nec ab omnibus Sanctis & Beatis, sicut divina & heroica differentiam secundùm corpus & animam habuisset: quare indignè tantum privilegium habuisset, quòd tanquam omnium creaturarum sanctissima & excellentissima post cujus assumptionem fuisse debuisset perpetuò Regina cœli, & corona omnium Sanctorum.

Sed fortè dices, quòd istud privilegium non habuit ex carentia originalis

lis peccati, ſed ex plenitudine gratiæ & excellentiâ inhabitationis Filij: quia fuit Mater Dei. Iſtud non valet ſi ſic dicatur: conſtat enim quòd plenitudo gratiæ ex omni parte vincit peccatum, ſecundùm Auguſtinum in libro de Natura & Gratia, & infra videbitur. Niſi igitur originale peccatum divina in ea gratia præveniens excluſiſſet, gratiæ plenitudinem nullatenus habuiſſet, nec omnium creaturarum excellentiſſima fuiſſet; quæ quandoque ad mortem æternam condemnata, & à diabolo poteſtativè obſeſſa fuiſſet.

Ex tertio privilegio idem ſic deducitur. Hoc enim privilegium ſibi debetur ex eo quòd ipſa eſt omnium creaturarũ innocentiſſima & mundiſſima; aliàs non poſſet omnium iniquitates & immunditias tollere, nec peccatoribus omnibus eſſet refugium ultimatum: ſed innocentiſſima & mundiſſima non eſſet, ſi quandoque filia ſathanæ, & æternæ morti obnoxia per peccati originalis maculam diceretur. Nec valet ſi dicatur, quòd propter hoc tutiùs peccatores ad eam refugiunt, quia eam in peccato conceptam fuiſſe credunt; & inde potiùs ad propitiandum & miſerendum ipſis peccatoribus inclinatur. Iſtud nihil valet; quia ſecundùm hoc oporteret dici quòd expediviſſet eam fuiſſe contaminatam multis peccatis actualibus, etiam mortalibus; ut eò ampliùs poſſet omnibus peccatoribus miſereri, quod tamen abhorrent omnes. Et confirmatur iſta deductio; quia ex ea parte Chriſtus habuit & habet hoc privilegium, quòd ipſe tulit & abſtulit, & adhuc tollit peccata totius mundi: quia ipſe ſolus agnus innocens, ſecundùm illud Auguſtini ſuper Joannem 1. *Ecce Agnus Dei*; ergo ſecundùm eundem, quantùm puræ creaturæ conditio patitur, debetur hoc privilegium ſuæ Matri, ſcilicet quòd ipſa ſuis meritis & orationibus tollat, & tollere poſſit peccata omnium; prout fuit mundiſſima & innocentiſſima: & ſic deductum eſt propoſitum ex tertio privilegio.

De quarto privilegio deducitur idem ſic: Hieronymus enim dicit in quodam Sermone, quòd omnis gratia, quæ fuit in Chriſto ſicut in capite influente, fuit & eſt in Maria ſicut in collo transfundente: ſed conſtat quòd plenitudo gratiæ fuit in Chriſto ut in capite, propter ſummam innocentiam; aliàs omnia mundi peccata non tolleret, ſicut agnus innocentiſſimus; per gratiam enim tolluntur peccata: ergo eodem modo transfuſio gratiæ tanquam in collo vel canali debuit eſſe in ejus Matre & Virgine; hoc autem non eſſet ſi in peccato originali concepta fuiſſet, quia omnium creaturarum innocentiſſima non fuiſſet, quia Angeli ſancti eâ fuiſſent innocentiores: & ſic ipſa non fuiſſet aptum collum

lum, & aptus canalis omnis gratiæ & miſericordiæ transfuſivus, cujus tamen contrarium eſt verum; quia eam omnes creaturæ reſpiciunt ſicut arcanum Dei, & omnis gratiæ & miſericordiæ medium delatum. Hinc eſt quòd dicit Bernardus in ſermone de Pentecoſte: *Ad MARIAM ſicut ad arcanum Dei, ad rerum cauſam, ad negotium ſæculorum reſpiciunt qui in cœlo, qui in inferno, qui nos præceſſerunt, qui ſequuntur, qui nos ſumus nati natorum, & qui naſcentur ab illis; in cœlo, ut reſtaurentur, in inferno ut eripiantur, præcedentes ut Prophetæ fideles inveniantur, ſequentes ut glorificentur. Unde meritò beatam te dicent omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli: in te Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores inveniunt veniam. Meritò omnes creaturæ te reſpiciunt; quia in te, de te, per te, benigna manus Dei quidquid creavit, recreavit.* Iſta autem videtur expreſſiſſima ſententia Beati Auguſtini, ſcilicet quòd B. Virgo nullo modo ſit concepta in originali; unde dicit in libro de Natura & Gratia: *De Sancta Virgine MARIA propter honorem Chriſti nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum; quæ concipere & parere meruit eum quem conſtat nullum habere peccatum.* Quæ auctoritas eſt ita expreſſa, quòd non poteſt ad oppoſitum per aliquem gloſſari: quod patet; quia ſi eam in originali peccato conceptam fuiſſe dubitaſſet, falſò dixiſſet quòd nullum prorſùs, cùm de peccatis agitur, de MARIA Virgine Sanctiſſima quæſtionem habere vellet: nec verè etiam dixiſſet quòd ei plus gratiæ fuiſſet collatum ad vincendum ex omni parte peccatum; quia ibi nullatenus peccatum viciſſet, ubi peccatum originale contraxiſſet. Unde ne de intentione Auguſtini dubitetur, accipiatur expreſſior ejus auctoritas in lib. contra quinque Hæreſes, Hæreſi 3. ubi ſic ait in perſona Chriſti: *Si potuit inquinari cùm eam facerem, potui inquinari cùm ex ea naſcerer*; ſed conſtat quòd utrumque horum eſt impoſſibile. Iſta etiam dicitur fuiſſe intentio Anſelmi in quodam libello, quem fecit de ejus Conceptione. Item dicitur eſſe intentio Richardi de Sancto Victore, in ſermone quem fecit de Conceptione. Item videtur eſſe intentio Lincolnienſis. Unde cum tot Sanctis & Doctoribus ex tam probabilibus rationibus malo pro honore Matris Dei hoc tenere, quàm cum tot abſurditatibus contrarium pertinaciter aſſerere.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

In quo novem ponuntur auctoritates Sanctorum, & tres potiores rationes Doctorum, contra prædicta.

CONtra istam tamen opinionem sunt plures auctoritates Sanctorum, & multæ rationes magnorum Doctorum, quas cum adjutorio Christi & B. Virginis solvemus. Unde primò inducitur contra hoc auctoritas Augustini & sacræ Scripturæ simul. Dicit enim Augustinus in lib. de Perfectione Justitiæ hominis, sic: *Quisquis ergo putat fuisse vel esse in hac vita hominem excepto uno mediatore Dei & hominum, cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est textui sacræ Scripturæ, unde Apostolus dicit ad Romanos 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: & necesse est, ut impiâ intentione esse asserat posse homines qui sine mediatore Christo salvante & liberante sint liberi salvique à peccato; cùm ille dixerit, Non veni vocare justos, sed peccatores.* Hæc Augustinus. Item idem Augustinus dicit in libro de Nuptijs & concupiscentia: *nullus concipitur ex mare & fœmina, nisi contrahat originale.* Item hoc expressè dicit Bernardus in libello de Conceptione, & in Epistola ad Lugdunenses. Item Augustinus in libro de Fide ad Petrum, cap. 23. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur cum peccato originali nasci, impietati subditum mortique subjectum, & ob hoc naturaliter nasci filium iræ: nisi per gratiam mediatoris liberetur.* Et quia ista auctoritas ponitur in Decretis de Consecratione, distinctione 4. cap. Firmissimè, ideo opinio quæ dicit eam in originali non fuisse conceptam, videtur per Ecclesiam reprobata. Item Anselmus libro 2. Cur Deus homo, cap. 16. *Virgo ipsa unde assumptus est Christus, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius; & cum originali peccato nata est.* Item Anselmus dicit in libro de Conceptu Virginali cap 9. *Hoc autem nullatenus refragatur rationi nostræ, quæi semen de Virgine asserit esse mundum, quamvis de massa peccatrice.* Item Damascenus libro 3. cap. 48. *Spiritus sanctus supervenit purgans ipsam.* Item Leo in Sermone de Nativitate dicit, quòd *sicut Christus nullum à peccato liberum reperit, ita liberandis*

omnibus

hominibus venit. Item Hieronymus ſuper illud Pſal. *De manu canis unicam meam; intelligit Chriſtus animam ſuam, quæ ſola fuit ſine peccato.*

Ad hoc etiam ſunt rationes magnorum Doctorum, ſcilicet S. Thomæ de Aquino, in 3. part. Summæ ſuæ, quòd contraxit originale peccatum, propter pœnam mortis violentæ, quæ eſt propria ſequela peccati; ſed B. Virgo ſuſtinuit illam pœnam, ergo contraxerat. Major probatur Geneſ. 2. *Quocumque die comederis, morte morieris.* Item ſecundò ſic: Chriſtus fuit univerſalis redemptor omnium, & per ſuam redemptionem fecit omnes ſua membra; ſi ergo ipſa originale non contraxiſſet, Chriſtus eam non redemiſſet: & ſic non fuiſſet facta membrum Chriſti. Item tertiò, arguitur ſic: B. Virgo vel fuit purgata à peccato originali ante animæ infuſionem, vel poſt: non ante, Primò: quia purgari non potuit niſi per ſanctitatem, quæ eſt perfecta munditia, ut dicit Dionyſius 12. cap. de Divinis nominibus; quæ tollit culpam per gratiam, cujus ſubjectum eſt ſola anima rationalis. Secundò, quia ſola creatura rationalis eſt ſuſceptiva culpæ: & ſic ante infuſionem animæ rationalis proles non poteſt eſſe culpæ obnoxia. Si autem dicatur quòd ſit purgata poſt animæ infuſionem; ergo anima fuit priùs infecta, & ſic fuit cum originali concepta. Aliæ auctoritates & rationes poſſent adduci, quas tranſeo gratiâ brevitatis; quia ex ſolutione iſtarum via patebit ad ſolutiones omnium aliarum.

CAPUT SEXTUM.

In quo ponuntur quædam diſtinctiones de conceptione & de peccato originali.

AD ſolvendum tamen iſtas auctoritates & rationes, eſt conſiderandum quòd ſacra Scriptura quadruplicem modum exprimit de conceptione alicujus. Uno enim modo accipitur pro ſuſceptione ſeminis: ad Hæbreos 11. *Fide Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis ſuſcepit.* Secundo modo accipit conceptionem pro humani corporis formatione; unde Geneſis 20. quòd Agar concepiſſe ſe videns deſpexit Dominam ſuam: tunc enim conceptio primò cognoſcitur, cùm corpus ſucceſſivè formatur. Tertio modo accipit Scriptura conceptionem pro infuſione

animæ, vel pro fœtûs animatione: tunc enim primò homo concipitur, cùm anima infunditur, unde intelligitur illud Psalmi: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quarto modo accipit conceptionem Scriptura pro conservatione fœtûs in utero; ut Hieremiæ 20. ubi Ieremias sibi precatur quòd non fuisset natus ex utero, sed venter matris fuisset sibi conceptus æternus.

Item sciendum est, quòd peccatum originale accipitur multis modis; uno modo pro infectione, quæ fit ex actu libidinoso & concupiscentia carnis in commixtione seminum: & hoc tangitur Job 13. cap. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* & isto modo loquitur Augustinus de peccato originali, in epistola ad Dardanum, dicens: *Nemo enim nascitur nisi operante concupiscentia carnali, quæ traducta est à primo homine; & nemo renascitur nisi operante Spiritûs sancti gratiâ, quæ data est per secundum hominem, qui est Christus.*

Secundo modo accipitur pro infectione morbida, corpus organizatum in utero consequente, sicut est corruptio & immunditia fomitis; & isto modo potest intelligi illud Psalmi: *Et in peccatis mater mea in utero me aluit,* secundùm unam translationem, quam exponit Augustinus: ubi illud quod dicitur, *in peccatis*, accipitur pro qualitatibus, & morbidis infectionibus, corpus organizatum & animatum consequentibus. Corpus enim non indiget alimento donec fuerit animatum: & quia peccatum originale in infusione animæ contrahitur, modò cùm alitur, illud non contrahit; sed solùm defectus morbidos ex natura consequentes.

Tertio modo accipitur magis propriè pro infectione illa, quâ anima inficitur quando corpori infunditur; & sic non est aliqua forma positiva in anima, nec est solius originalis justitiæ carentia: quia si unum hominem Deus crearet de nihilo in puris naturalibus, ille non haberet peccatum originale, & tamen careret justitia originali, quæ secundùm Augustinum est donum supernaturale. Et isto modo non est aliud nisi reatus ad pœnam æternam damni, scilicet ad carentiam æternam visionis divinæ essentiæ: proveniens ex peccato primi parentis in omnes qui ab ipso naturaliter propagantur; & isto modo accipitur peccatum originale ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & sic in omnes pertransiit.*

Iterum est sciendum quòd illud quod ineſt rei per naturam ex se, dicitur ei inesse etiam si ab aliquo agente præveniatur vel præservetur ne hoc ei insit. Quod patet etiam in naturalibus: quia cùm aër ex natura sua

privatus

privatus sit luce, ex natura sua insunt ei tenebræ vel privatio lucis, etiam cùm actu illuminatur à sole; & verum esset dicere quòd aëri ex natura sua ineſt privatio vel carentia lucis, etiam cùm lucidus est: quia ineſſent verè nisi præveniretur & præservaretur à sole, vel alio corpore luminoso. Et hujus simile est in omni creatura; quia de sui ratione ex nihilo est; & tamen prævenitur & præservatur à Deo ne nihil sit, etiam si ab æterno fuisset, & nunquam nihil fuisset. Hinc est quod dicitur Isaiæ 41. *Ecce vos ex nihilo estis, & opus vestrum ex eo quod non est.* Hinc etiam dicitur Psalmo 105. *Omnis homo mendax*; quod exponitur per Augustinum sic in Sermone de Martyribus: *Nisi fuissent Spiritu sancto præventi & illustrati.* Et hujus etiam habemus exemplum in vitis Patrum de Sancto Agathone Abbate; quem cùm Fratres tentantes ejus humilitatem & patientiam dicerent esse eum superbum, detractorem & fornicatorem, quorum tamen nullum in se habuit: ipse confessus fuit se in his omnibus reum, quia sensit se ab his vitiis solâ Dei gratiâ præventum & præservatum: sed ex se sibi ineſſe.

Ulteriùs etiam considerandum est quòd tam naturaliter quàm moraliter aliquid potest ineſſe radicaliter & causaliter alicui, quod tamen non ineſt formaliter & de facto. In naturalibus jam supra positum est exemplum. Immediatè & moraliter, secundùm leges loquendo, aliquid potest ineſſe alicui de jure communi, à quo tamen potest esse præventus privilegio speciali. Verbi gratiâ: Omnis utriusque sexûs de jure communi tenetur confiteri suo proprio sacerdoti, ut extra de Pœnitentia & remissione, cap. Omnis; tamen quotidiè præveniuntur & præventi sunt multi ne Curato confiteantur, privilegio: manet tamen lex nihilominus in suo vigore, nec oportet quòd excipiantur privilegiati. Sed secundùm legem Canonis, omnis homo tenetur, licet aliquis per privilegium eximatur, ut Reges, qui habent privilegium jam ex communi consuetudine, quam rationabiliter tolerat & scienter Ecclesia, quòd sibi possunt quos volunt eligere confessores: ut patet per Hostiensem in Glossa super dicta Decretali, & alios Doctores Juris.

CAPUT SEPTIMUM.

In quo ex distinctionibus prædictis generaliter respondetur ad auctoritates & rationes præscriptas.

EX præmissis ergo distinctionibus respondetur ad omnes auctoritates & rationes inductas: quia vel loquuntur in generali, quòd omnes in peccato originali concepti sunt præter solum Christum, & tunc loquuntur de jure communi, & ex debito, seu radicalitèr & causalitèr; & ex eo quod rei secundùm se & secundùm suam naturam ineſt. Et huic non obstat quòd B. Virgo jure privilegiato & de facto fuerit præventa vel præservata ex gratiâ Dei, sicut in exemplis tam naturalibus quàm moralibus suprapositis est deductum; scilicet quòd omnis aër ex natura sua caret luce, etiam cùm actu à sole illuminatur, & omnis creatura de se est ex nihilo; etiam si ab æterno fuisset, & præventa fuisset ne unquam fuisset sub nihilo; & omnis homo tenetur de jure communi confiteri proprio Sacerdoti, non obstante quòd aliqui per privilegium sint præventi. Ita dicendum est de B. Virgine in proposito. Si autem auctoritates loquantur de B. Virgine in speciali, quòd ipsa sit in originali concepta; tunc sanè & sine omni repugnantia possunt intelligi de conceptione seminis, vel formatione humani corporis; & de peccato originali primo modo, prout dicit infectionem quæ est in actu libidinoso parentum suppositi: sicut communitèr dicitur quòd parentes ejus actu libidinoso fuerint moti in ejus seminatione. Vel secundo modo, prout dicit qualitatem morbidam, corpus organicum in utero consequentem; quia sic accipiendo conceptionem, & sic accipiendo originale peccatum, potest veraciter concedi quòd ipsa in originali concepta est: & hoc Sancti exprimere voluerunt.

Si autem aliquæ auctoritates loquerentur de conceptione tertio modo dicta, scilicet pro infusione animæ: & de originali peccato, tertio modo dicto, prout dicit illam infectionem quâ anima inficitur quando corpori infunditur; illæ intelligi poterunt de jure & causalitèr, seu originaliter, & quantùm fuit ex se, scilicet ex natura corporis sic concepti. Sed nihil hinc repugnat, si dicatur aliundè præventa, & ex privilegio præservata

vata ne originali ſic ſumpto inficeretur. Et hoc modo concordabuntur, & auctoritates & rationes Sanctorum & Doctorum; & evitabuntur innumeræ abſurditates quæ ſequuntur ad hoc, ſi dicatur concepta in originali, ut ſuprà patuit.

Nec eſt curandum ſi etiam aliquæ auctoritates Sanctorum hoc expreſſiſſimè ſonent: quia cùm in principio de aliqua materia diſputabatur, Sancti nonnunquam diverſas ſententias propoſuerunt & contrarias; ſicut de origine animæ, quam quidam Sancti poſuerunt eſſe ex traduce, quidam creatam in principio ante mundum corporeum; quidam creari de novo, & infundi corpori organizato, ſicut patet in Epiſtola Auguſtini ad Hieronymum, & de multis aliis Sanctis ſimilibus hoc invenitur; de quibus tamen poſtmodum Sancti & Doctores, vel inter ſe ex diverſis diſputationibus, vel ex determinatione Eccleſiæ devenerunt in unam ſententiam uniformem.

Ad auctoritates tamen & rationes præinductas poteſt per ordinem reſponderi. Ad primam Auguſtini, patet quòd iſta opinio non dicit quòd B. Virgo non indiguerit peccati originalis remiſſione: quia indiguit remiſſione juris quoad debitum, etſi non indiguerit remiſſione quoad factum; & expreſsè patet ſecundùm intentionem Auguſtini, quòd peccata à quibus Deus præſervat ne incidantur, dicuntur ita remiſſa, & meliùs quàm ſi Deus remittat ea peccata in quæ quis ſpontè incidit. Unde dicit ſecundo Confeſſionum, cap. 7. *Omnia mihi dimiſſa fateor; & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis enim eſt hominum, qui ſuam cogitans infirmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem & innocentiam ſuam, ut minùs amet te: quaſi minùs ei fuerit neceſſaria miſericordia tua, quâ donas peccata converſis ad te?* Et infrà: *Imo verò plus amet, quia per quem me vidit tantis peccatorum meorum languoribus exui; per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis patet quòd optimè dici poteſt & dicitur, quòd B. Virgo indiguit remiſſione originalis peccati, & quòd ſibi dictum peccatum fuit dimiſſum quoad debitum quod ſibi ex ſe infuit: & ſic indiguit Chriſto mediatore ſalvante & liberante.

Ad auctoritatem Apoſtoli, quam inducit, quòd per unum hominem mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; jam ſoluta eſt: quia iſta univerſalis verificatur quoad rationem debiti, vel verificatur de jure communi; nec oportet excipi privilegiatam Virginem, cui de facto per privilegium convenit oppoſitum. Et quòd ita oporteat intelligi auctoritatem Apoſtoli de jure, & non de facto; probo

per textum Apoſtoli ibidem, & per expoſitionem Auguſtini in Epiſtola ad Dardanum; qui eam exponit de jure, & non de facto. Probo ergo hoc primò per textum Apoſtoli ibidem; dicit enim ſic ſtatim poſt: *Sicut enim per unius delictum in omnes homines intravit mors ad condemnationem; ſic intravit vita per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vitæ*; ſed conſtat quòd vita ad juſtificationem de facto non intravit in omnes homines, quia multi fuerunt & erunt qui nec fuerunt juſtificati de facto per Chriſtum, nec juſtificabuntur ad vitam. Secundò, hoc patet per expoſitionem Auguſtini in Epiſtola ad Dardanum, ubi exponens illud: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*; *omnes*, inquit Auguſtinus, *ideo dicit, quia in mortem nemo niſi per iſtum.* Unde patet quòd Auguſtinus illam auctoritatem non intelligit de facto univerſaliter, nec in antecedenti nec in conſequenti, aliàs eſſet falſa. Sufficit ergo quòd auctoritas intelligatur univerſaliter de debito, vel de jure: cùm nullo modo poſſit intelligi univerſaliter de facto, niſi ſit falſa.

Ad ſecundam auctoritatem Auguſtini, patet per jam dicta; quia nullus concipitur ex mare & fœmina, niſi contrahat peccatum originale primo vel ſecundo modo dictum; vel ſi dicatur de tertio modo; contrahit debitum, poteſt tamen de facto præſervari.

Ad tertiam, quæ eſt Auguſtini in libro de Fide ad Petrum; dicendum quòd illa auctoritas exponenda eſt in pluribus; quia aliàs ſi intelligenda eſſet ſicut jacet, oporteret dici quòd B. Virgo non ſolùm eſſet in originali peccato concepta, ſed etiam nata, ut patet ex eo quòd dicit: *Cum peccato originali naſci, & naturaliter naſci filium iræ*; quod tamen modò omnes negant, cùm concedant eam ſanctificatam in utero. Iterum ibidem dicit, parvulos non renatos, ſive in utero matris moriantur, ſive jam de matribus nati ſint, ſempiterno igne puniendos; quod tamen non tenet Eccleſia, ſed tenet eos puniendos pœnâ damni, ſcilicet perpetuâ carentiâ divinæ viſionis, ſed non pœnâ ſenſibili vel pœnâ ignis, niſi in peccato mortali propriæ actionis fuerint mortui. Ex quibus patet quòd neque Auguſtinus neque alii Sancti, nec Eccleſia tenet illam auctoritatem ſicut verba ſonant; tam circa B. Virginem, quàm circa alios parvulos. Unde ſecundùm rectam intentionem, Auguſtinus non comprehendit Beatam Virginem, nec aliquem Sanctum in utero prævenitum privilegio ſpeciali; ſicut non ſolùm de B. Virgine, ſed etiam de Hieremia & Joanne Baptiſta tenet Eccleſia, quòd fuerunt in utero ſanctificati, & ſine originali peccato nati: ut expreſsè probatur per ſacram

Scriptu-

Scripturam de utroque. De Hieremia dicitur: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*, Hieremiæ 1. Et de Joanne dicitur Lucæ 1. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*; ubi dicit Ambrosius expresè, quòd Joannes, antequam nasceretur, matris adhuc positus in utero, Spiritûs accepti gratiam designavit, cùm in utero matris exultans Domini nunciavit adventum. Nec est curandum si Augustinus in Epistola ad Dardanum de Sanctificatione Hieremiæ & Joannis in utero factâ, ambiguè loquatur: quia loquitur inquirendo magis quàm determinando, quia eos sanctificatos in utero communitèr tenet Ecclesia. Unde concluditur quòd dicta Auctoritas Augustini loquitur de jure communi, vel de debito, & non comprehendit privilegiatos; aliàs esset falsa, & contra communem opinionem Ecclesiæ: tam quoad B. Virginem, quàm quoad Hieremiam & Joannem Baptistam, qui per sacram Scripturam dicuntur in utero sanctificati, & ab originali mundati, ut communiter tenet Ecclesia.

Ad quartam Auctoritatem, quæ est Bernardi, dicitur, quòd ipse non dixit hoc asserendo, quia in fine Epistolæ relinquit hoc judicio Summi Pontificis. Vel aliter: esto quòd Beatus Bernardus hoc dixerit asserendo, tamen quia multi & magni Sancti dixerunt contrarium, & rationes validæ hoc convincunt, sicut multipliciter superiùs est deductum: magis piè credi potest eis, quàm sibi. Unde etiam dicitur quòd quidam Monachus in Abbatia de Claravalle diù desideravit videre B. Bernardum; & tandem apparuit totus lucidus excepto pectore, in quo fuit quædam macula, quam B. Bernardus illi Monacho ideo dixit se habere, quòd dixerat de B. Virgine quòd contraxerat maculam originalem. Et ita Bernardus, quod non revocavit vivendo, mortuus per somnia retractavit. Vel adhuc aliter auctoritas ejus potest exponi, ut supra.

Ad quintam, quæ est Anselmi, respondetur quòd illa verba non sunt Anselmi, sed sunt Discipuli; nec quoad hoc sunt vera, secundùm omnes, quòd dicitur in originali nata: quia communiter omnes Doctores oppositam tenent de Nativitate ex utero. Et quamvis Anselmus ibi hæc verba non reprehendit tanquam falsa, in libello tamen, quem postea fecit de ejus Conceptione, determinativè explicavit suam intentionem; vel potest exponi modo supradicto.

Ad sextam, quæ est Anselmi, patet per idem: ubi etiam potest addi, quòd quamvis B. Virgo non sit concepta in originali, tamen ipsa & semen ab ipsa sumptum venit de massa peccatrice priorum parentum.

Ad septimam, quæ est Hieronymi, dicendum est, quòd anima Christi

ſti ſola fuit ſine peccato ; quia peccatum nec contraxit , nec contrahere potuit , quia Deo conjuncta fuit. Unde peccatum de jure vel de facto, nec habuit nec habere potuit : Beata autem Virgo de jure & debito peccatum contraxit , ſed de facto præventa & præſervata fuit.

Ad octavam , quæ eſt Damaſceni , dicendum eſt , quòd Spiritus ſanctus purgavit eam præveniendo , vel contrahendi debitum extirpando.

Ad nonam , quæ eſt Leonis ; ſi intelligatur ſicut jacet , de B. Virgine non eſt vera : quia tunc cùm Chriſtus ex ea natus fuit, eam à peccato liberam reperit : unde patet quòd oportet eam intelligi ſic ; quòd eam, & omnes per propagationem generatos liberos non reperiit à peccati debito : quamvis ipſa tunc , quando Chriſtus ex ea natus fuit , ſecundùm omnem opinionem , libera fuit de facto.

Ad rationes Doctorum. Ad primam dicendum eſt , quòd non ſemper pœna mortis violentæ ſit ex propria ſequela peccati : aliàs oporteret dicere quòd Chriſtus peccatum contraxit , quia pœnaliter & violenter mortuus fuit ; ipſe etiam tandem ſenio defeciſſet , ſecundùm omnes. Unde dicendum eſt quòd mors pœnalis & involuntaria ex peccato originali cauſaliter eſt inflicta , quia in ſtatu innocentiæ homo potuiſſet non mori : ex hoc tamen non fuit omnino immortalis , aliàs cibo reſtaurativo non indiguiſſet , unde mors pœnalis ex propria ſequela corporis paſſibilis & reſolubilis ; & ſic fuit inflicta Virgini , non eo modo quo cauſaliter peccatum originale conſequitur. Aliqui etiam fortè dicerent quòd non magnam pœnam mortis ſenſit ſi cum corpore & anima ſine incineratione aſſumpta fuit.

Ad rationem ſecundam dicendum, quòd Chriſtus fuit univerſalis redemptor , & meliùs eam redemit præveniendo vel præſervando nè contraheret , quàm poſt contractum ab ipſa liberando ; ſicut patet in exemplo : Chriſtus ita redemit Abraham ab inferno vel limbo Patrum , ſicut Petrum vel Paulum ; ſed meliùs Petrum quem præſervavit nè in limbum deſcenderet, quàm Abraham quem ab ipſo limbo extraxit ; & ſic digniùs ipſa facta fuit membrum Chriſti per ejus redemptionem præſervata & præventa , quàm ſi à peccato contracto fuiſſet liberata ; ut ſuprà multipliciter eſt deductum.

Ad tertiam dicendum , quòd ante infuſionem animæ purgata fuit à contrahendi debito ; non à culpa quæ actu infuit , ſed ab ea quæ ſuo tempore ineſſe potuit , vel debuit de jure ; ſicut aliquis per privilegium præveniri poteſt , nè pœnam juris incidat ; verbi gratiâ : omnis natus ex

con-

consanguineis in tertio gradu, de jure communi censetur illegitimus, cùm inter tales personas de jure communi Matrimonium sit nullum; si tamen Papa cum aliquibus in tali gradu contrahentibus dispensèt, talis etiam antequam nascatur & inhabilitatem contrahat, potest per privilegium præveniri ne inhabilitatem talem contrahat: sic est in proposito. Virgo ante infusionem animæ purgari potuit de debito contrahendi; & purgata fuit, ut ostensum est.

CAPUT OCTAVUM.

In quo prima pars thematis ad propositum applicatur.

BEnè ergo dicit B. Virgo: *Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram*; omne enim genus peccatorum gratiam tollentium abyssus dici potest: quia est sine basi & fundamento vitæ æternæ, vel sine candore gratiæ. Et primus abyssus est peccatum originale, quod primo candori gratiæ se opponit, & fundamentum vitæ æternæ, & candorem originalis justitiæ ac gratiæ tollit; & ideo statim ad secundum abyssum, quod est peccatum mortale actuale, trahit & disponit: quia in peccato originali existens ita est traditus potestati sathanæ, quòd difficultèr, vel nullo modo potest vitare peccatum mortale actuale; quod benè Psalmista innuit dicens: *Abyssus abyssum invocat*; id est, peccatum originale trahit & ducit ad peccatum actuale mortale. Vel etiam ipsum originale dicitur pluraliter, abyssi; quia cùm privat originali justitiâ & gratiâ, & facit filium sathanæ, & obnoxium morti æternæ, radicalitèr est multa, imo quasi omnia peccata propter multas maculas, quas infligit. Unde B. Virgo veritatem nobis insinuans, dicit se ante abyssos conceptam: *Necdum erant abyssi*, inquit. Et sicut abyssus habet triplicem ethymologiam, ita peccatum originale infert triplicem maculam. Interpretatur enim abyssus ab, à, quòd est, sine, &, basis, fundamentum; quasi sine fundamento: vel dicitur ab, à, &, byssus, quod est genus lini candidissimi; quasi sine candore. Vel dicitur quasi ab otus, vel ab usus; quia omnibus est exosus, nec est in eo aliquis usus vel ordo, sed omnis abusus, & nullus ordo sempiternus, quia horror. Et secundùm hanc triplicem ethymologiam, originale peccatum pluraliter dicitur, abyssi,

propter tripicem maculam : quia enim naturalitèr constituit filium iræ, ideo tollit gratiam : inde dicitur abyssus, quasi sine fundamento & basi ; quia gratia sola est fundamentum vitæ æternæ, quam nullus potest habere ex natura, nisi solus Deus, qui solus naturalitèr est beatus. Unde dicitur ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna* ; & isto modo in Beatæ Virginis Conceptione nondum erant abyssi, quia gratiæ cœlestis eam jam prævenerat plenitudo, corporalem materiam sanctificando, & eam ab infectione debiti peccati originalis purgando ; de quo potest exponi illud Job 28. *Abyssus dicit, non est in me : mare loquitur, non est mecum.* Per abyssum intelligitur peccatum originale, per mare, fluxus & refluxus peccatorum actualium, tam mortalium quàm venialium. Secundùm enim quod dicit Isidorus 13. libro Ethymologiarum, cap. 9. *Abyssus dicitur esse profunditas aquarum impenetrabilis : & omnes aquæ sive torrentes per occultas venas ad matricem abyssum revertuntur* ; sic veracitèr omnia peccata actualia tam mortalia quàm venialia ex abysso peccati originalis procedunt, & ad ipsum reverturtur : quia *Per unius delictum peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes pertranſiit* : ad Romanos 5. prout suprà allegatum est. Abyssus ergo, id est, peccatum originale de Beata Virgine, dicit : per effectum non est in me ; & mare, id est, quodcumque peccatum actuale, loquitur, non est mecum ; quia nec in originali unquam fuit formalitèr, nec cum peccato actuali unquam fuit etiam venialiter.

Secundò dicitur peccatum originale, abyssus, quia efficit filium sathanæ juxta secundam interpretationem ; quia est sine candore veritatis & justitiæ. Hinc dicitur Genesis 1. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Unde Augustinus 13. Confessionum, cap. 2. *Aut quidte promeruit inchoatio creaturæ spiritualis, ut saltem tenebrosa fluitaret & similis abyssо, tibi dissimilis ; nisi per verbum tuum converteretur, & ad id à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret?* Hæc Augustinus. Quæ verba & si dicat de Angelica natura, possunt tamen congruè intelligi de Beata Virgine, quæ in mundi redemptione fuit inchoatio creaturæ spiritualis, secundùm Ambrosium, ut suprà dictum est : nimirum ut inde nova creatura inciperet, unde vetus jam ante defierat. Beata ergo Virgo per sanctificationem Verbi statim ut anima infusa est, ad ipsum Verbum à quo facta est, in sua Conceptione conversa, & ab ipso illuminata facta est lux, quamvis ante fluctuaret aliquo modo similis abyssо, & dissimilis Verbo ; quia per carnalem propagationem venerat, & radicem ac debitum abyssi, id est, originalis peccati, contraxerat,

traxerat, cujus tamen formalem infectionem Verbum æternum præveniens dicebat: *Fiat lux; & facta est lux.*

Tertiò modo dicitur, abyssus, quasi, abosus, vel abusus; & secundùm hoc etiam peccatum originale potest dici abyssus, eò quòd obnoxium morti æternæ constituit, in quo est abusus, & nullus ordo vel usus; de quo potest intelligi illud Exodi 15. *Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis*; quod de omnibus originale peccatum contrahentibus dici potest; quod Beatissima Virgo in sua Conceptione evadens, benè poterat dicere illud Proverbiorum 8. *Quando præparabat cœlos, aderam*, scilicet sanctificationis; & benedictionis suæ gyro vallabat abyssos, id est, maculas peccati originalis: cum eo eram. Patet ergo quomodo digna Beata Virgo in sua Conceptione poterat dicere: *Necdum erant abyssi.* Unde declaratum est primum, scilicèt divina præventio, nè Beata Virgo in sua Conceptione inficeretur originalis peccati abyssali caligine; quod notatur cùm dicitur: *Necdum erant abyssi.*

SECUNDA PARS hujus Tractatus.

CAPUT PRIMUM.

In quo narratur quadruplex conceptæ Virginis Benedictio.

SEcundò ergo notatur ejus humana Conceptio, in qua repletur omnis benedictionis spirituali plenitudine: *Et ego jam concepta eram.* Sicut autem ab æterno in mente divina fuit concepta, sub multiplici privilegio plenitudinis gratiæ, & maximè quadruplici privilegio superiùs explicato: ita in conceptione materna, quâ concepta fuit in utero, accepit quadruplicem benedictionem. In prima enim conceptione seminis Deus benedixit materiæ corporali; ut ad conceptionem & parturitionem Christi, maternæ dignitatis privilegio dilectissima præ

creaturis omnibus aptaretur. In ſecunda conceptione, ſcilicet in formatione corporis, benedixit formativæ; ut etiam ex corporalis complexionis effigie, vigore & pulchritudine, regalis dignitatis privilegio quaſi ſanctiſſima ſanctis aliis, quaſi Trinitatis Deificæ ſacrarium, etiam corporaliter præferretur. In tertia verò conceptione, quando ſcilicet infuſa fuit anima, quæ poteſt dici conceptio hominis, benedictionem duplicem eſt adepta. In benedictam enim ejus animam Sanctæ Trinitatis imagine præ creaturis omnibus inſignitam, ſaltem ſecundùm gratuitum, impreſſerat tota Trinitas aptitudinem, quâ poſſet eſſe collum & vena omnis pulchritudinis gratiæ à Chriſto capite receptiva. Et iſtam benedictionem ſortita eſt in ſanctiſſimæ ipſius animæ creatione. Quartam verò benedictionem nacta eſt in animæ ipſius infuſione: quando ſcilicet in ejus animam benedictam gratiæ divinæ & bonitatis plenitudine redimitam ingeſſerat Trinitas aptam promptitudinem, quâ poſſet eſſe canalis vena in ſanctos gratiæ, & in peccatores miſericordiæ plenitudinis tranſfuſiva. Hæc omnia ſecundùm quamdam aptitudinalem potentiam ſunt impreſſa, licet ſecundùm actum in conceptione Filii ultimatè fuerunt conſummata, & formaliter completa. Et licet ſimul & in eodem inſtanti anima creando infundatur & infundendo recreetur; tamen alia dona fuit ejus benedicta anima ſortita in ordine ad Deum, prout à tota Trinitate ſpecialiſſimâ creatione & ordinatione proceſſit: alia dona prout ad corpus acceſſit; ſicut alia eſt habitudo actionis & paſſionis, quæ quandoque in eodem inſtanti concurrunt, & à multis dicuntur realiter idem motus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo prima benedictio Virginis explicatur.

PRima ergo benedictio fuit facta quoad Virginis Conceptionem, virtuti generativæ in conceptione ſeminis, ubi Deus benedixit materiæ corporali; quod patet. Virtus enim generativa parentum B. Virginis non exivit in actum generationis naturaliter; quia ſaltem pater, ſcilicet Joachim ſterilis: & ideo non niſi Deo benedicente ſupernaturaliter ad actum fœcundæ generationis attingere potuerunt; ex quo liquet

quòd

quòd non ſolùm materiæ ſeminatę, ſed etiam virtuti generativæ parentum Deus miraculosè benedixit. De quo benè poteſt exponi illud Geneſis 4. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ.*

Utrum tamen in actu generationis parentes actu libidinoſo ſint moti; communiùs tenetur quòd ſic. Sed quia communiter tenet Eccleſia quòd ex præcepto divino utrique facto per Angelum, proceſſerunt ad generationis actum; & quòd miraculosè fuit in eis excitata virtus generativa, ſaltim in illo qui fuit ſterilis: ſine temeritate aſſertionis poſſet dici quòd non incongruum fuit quòd Deus dederit eis actum & effectum generationis ſine motu libidinis, & abſque obfuſcatione rationis; ſicut generatio in paradiſo fuiſſet, ſi homines in ſtatu innocentiæ permanſiſſent: ubi ſecundùm Auguſtinum non fuiſſet inordinata lidido, nec rationis obfuſcatio, nihilhominus tantò major quantò purior, & ſine obfuſcatione rationis. Et quòd rationabiliter illud ſit datum parentibus glorioſæ Virginis, probatur ſic. Sicut enim Matri Dei pro ejus ortu debetur omnis dignitas, quæ unquam alicui creaturæ ſecundùm ſuam ſpeciem eſt conceſſa; ita parentibus juſtè debetur omnis ſanctitas, quæ circa generationem prolis cuicumque eſt conceſſa; ſed, ut videtur, Tobiæ juniori, & fortè Abrahæ aliquo modo conceſſum eſt, ut prolem ſine libidine generarent: unde per Angelum Raphaëlem ſibi dictum eſt Tobiæ 6. cap. *Tertiâ autem nocte benedictionem conſequêris, ut filii ex vobis incolumes procreentur; tranſactâ autem tertiâ nocte accipies virginem cum timore Domini, magis amore filiorum quàm libidinis ductus; ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Abraham etiam & Sara ita ſenes ad actum generationis Iſaac, jubente & benedicente Domino proceſſerunt, quòd magis ratione & amore prolis moveri, quàm libidine viderentur. Unde etiam Auguſtinus videtur dicere quòd cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ: ergo probabile videtur omninò quòd Abraham & Tobias ad actum generationis ſine libidine proceſſerunt; ſaltem nulli dubium, ſine tanta. Quare parentibus Beatæ Virginis non creditur piè conceſſum, quòd in generatione Matris Dei ſine omni libidine generationis actum à Deo mandatum perficerent? Iſtud tamen non aſſero cum pertinacia. De hac ergo Conceptione poteſt exponi illud Ruth 4. *Ingreſſus eſt ad eam*, ſcilicet Joachim ad Annam, *& dedit illi Dominus ut conciperet.*

CAPUT TERTIUM.

In quo agitur de ſecunda conceptæ Virginis benedictione.

SEcunda benedictio in Conceptione Virginis fuit facta virtuti formativæ ſeminis; ut etiam ex corporalis complexionis vigore & pulchritudine regalis dignitatis privilegio aliis ſanctis, quaſi ſanctiſſimum totius Trinitatis ſacrarium, etiam quodammodo corporalitèr præferretur; quod patet. Si enim virtus formativa, quæ operatur in ſemine hominis cujuslibet, eſt quaſi virtus divina, ut Commentator dicit; quantò diviniorem oportuit eſſe illam virtutem, quæ in formatione Matris Dei operabatur? ultra omnem utique naturæ modum: quia fecit corpus ultra humanum modum pulchrum, & purum, & bene & optimè organizatum; ut etiam ex corporalis pulchritudinis vigore, privilegio regalis dignitatis, ſicut ſpecialiſſimum Sanctæ Trinitatis ſacrarium, Angelis & Sanctis præferretur: quia ex ſuis puriſſimis ſanguinibus fabricatum fuit corpus Chriſti, quod in divino ſuppoſito meruit ſuppoſitari. De qua benedictione poteſt exponi illud Deuteronomii 7. *Benedicetque fructui ventris.* In iſta ergo benedictione bene dixit Virgo Sanctiſſima: *Necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram*; ut de hoc exponatur illud primi Regum 1. cap. *Poſt circulum dierum concepit Anna, & peperit.*

CAPUT QUARTUM.

In quo agitur de tertia conceptæ Virginis benedictione.

TErtia benedictio in Conceptione Virginis fuit in creatione nobiliſſimæ ſuæ animæ, in quam tanquam præ puris creaturis Sanctæ Trinitatis imagine inſignitam, ſaltem ſecundùm aptitudinem eſſe gratuiti, impreſſit tota Trinitas tantum privilegium, ut ſicut Chriſtus de ea naſciturus, eſſet caput & fons omnis gratiæ diffuſivus; ita ipſa eſſet vena, vel canalis ab ipſo immediatè, & omnis gratiæ receptiva: & eâ puritate niteret,

teret, quâ major ſub Deo nequit intelligi, ſecundùm quod Anſelmus dicit; ut de hoc impleretur illud Eccleſiaſtici 26. *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata. Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ: ſicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ita mulieris bonæ ſpecies.* Unde in hac benedictione fuit facta Virgo virginum, excellens caſtitatem Angelicæ puritatis: quia habuit hoc ex ſingulariſſima Dei gratia, quod habuit Angelus ex natura; & genuit omnium Virginum ſponſum, caput, & Dominum Angelorum. *Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.* Unde dicitur Judith 13. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Ex qua, ſecundùm Bernardum in quodam ſermone, recepit peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam; perſona Filii Dei carnis humanæ ſubſtantiam. De hoc benedicto conceptu Annæ Matris Mariæ poteſt exponi ex perſona Joachim patris, illud Iſaiæ 8. *Acceſſi ad prophetiſſam, & concepit*; ipſa enim Anna Mater Mariæ verè prophetiſſa fuit, quæ erat genitrix illius quæ fuit Mater Principis omnium Prophetarum. De qua benedictione poteſt exponi illud Geneſis 49. *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret deſiderium collium æternorum.*

CAPUT QUINTUM.

In quo agitur de quarta conceptæ Virginis benedictione.

QUarta ejus benedictio in Conceptione ſibi aptitudinaliter indita, ſed poſt Filii conceptionem actualiter conſummata, fuit ita, quòd eſſet ſolamen & refugium omnium peccatorum, & medium omnis gratiæ transfuſivum: quod donum aptitudinalitèr animæ ejus collatum fuit quando corpori fuit infuſa; de qua benedictione poteſt exponi illud Geneſis 1. *Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*; ſecundùm quod B. Auguſt. dicit 4. ſuper Geneſ. ad litteram, cap. 33. *Ubi eſt melior & certior lux; ibi verior eſt & dies*; & quia ſecundùm eum ibidem, in ſpiritualibus primò & propriè lux dicitur, ideo & ibi dies propriè nuncupatur. Quapropter in diverſis perſonis, & in mentibus tam Angelicis quàm humanis,

nis, ſicut lucem ita & diem, vel dies propriè poſſumus aſſignare. Unde ante productionem lucis intellectualis, quæ quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol progreſſa eſt in ortu & Conceptione Virginis glorioſæ, ſextuplicem lucem, & ex inde ſex dies propriè poſſumus explicare: ſcilicet tres dies increatæ Trinitatis in divinarum luminibus perſonarum; de quibus Dionyſius in capitulo de Myſtica Theologia, quòd *immateriali & ſimplici bono in corde manentia bonitatis pullulaverint lumina: & à manſione in ipſo, & in ſeipſis, & in ſe invicem, coæternâ pollulatione permanſerunt ingreſſibilia; quibus ſuperſubſtantialis IESVS* (ut ibidem ſubdit) *conjunctus eſt, & ab eis egreſſus eſt*; ut dicitur Michææ 5. *Egreſſus ejus à principio dierum æternitatis*; & hi ſunt tres primi dies increatæ Trinitatis, quæ ſecundùm Auguſtinum non habent veſpere neque mane, id eſt, neque principium neque finem. Quartus dies fuit in cognitione angelica, ſecundùm quod pulchrè Auguſtinus declarat ſuper Geneſim ad litteram. Quintus dies fuit in cognitione primi hominis in ſtatu innocentialis puritatis; quod ſecundùm Bernardum *fuit illi cum plebe Angelorum, & pura converſatio cum illis, cum quibus ſibi inſuit puritatis ſimilitudo.* Sextus fuit in limpida comprehenſione propheticæ inſpirationis; qua Spiritu ſancto inſpirati ſancti homines ſunt locuti, & futura uſque ad Conceptionem Virginis præviderunt: in cujus Conceptione, *quaſi nova lux Iudæis oriri viſa eſt*; Eſther 8. cap. Non mirum enim ſi Dominus redempturus mundum incepit à B. Virgine: ut per quam ſalus omnibus parabatur, ipſa primum fructum ſalutis hauriret ex pignore; ut dictum eſt ſuprà auctoritatem Ambroſii. Vel poſſumus per ſex dies ſex mundi ætates, per ſeptimum autem, cui Deus benedixit, ætatem ſeptimam intelligere; quæ à Conceptione B. Virginis incepit, quæ erat plenitudo temporis tanquam dies ſeptimus; cui in ſuo ortu ſtatim benedixit Dominus, & ſanctificavit illum; de qua Conceptione poteſt exponi illud quod jam ſupra tactum eſt: *Poſt circulum dierum concepit Anna, & peperit.*

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

In quo triplex prærogativa festi Conceptionis concluditur ex privilegijs B. Virginis.

EX ōnibus Virginis benedictionibus possumus hujus septimi diei prærogativam triplicem assignare: in quibus dies Conceptionis ejus ad instar primi diei septimi, cui Deus benedixit, multas aliarum festivitatum excellentias antecellit. Sicut enim in illo primo septimo die præ aliis sex diebus tria privilegialiter apparuerunt; scilicet universi consummati pulchritudo, Dei bonitatis requies & beatitudo, & ipsius diei celebris in omnes posteros sanctitudo: juxta illud Exodi 20. *Memento ut sanctifices diem Sabbathi*; & infrà: *Ideirco benedixit Deus diei Sabbathi*; ita in hac die Conceptionis Beatæ Virginis apparuit universi pulchritudo, ut magnificè consummata: divina beatitudo, ut salvificè commendata, & in seipsa sola perfecta & terminata: & tertiò, hujus festi Conceptionis Beatæ Virginis sanctitudo, ut toti mundo multis miraculis comprobata.

CAPUT SEPTIMUM.

In quo prima prærogativa hujus festi probatur ex tribus.

PRima ergo prærogativa festi Conceptionis est: quòd in ipsa die apparuit universi pulchritudo, ut magnificè consummata; & hoc in tribus. Primò, quia concepta fuit illa caro, cui divinitas personaliter uniretur, & finis suo principio jungeretur. In ipsa enim jam materialiter erat; unde caro Christi sanctificata debuit fabricari. Secundò, quia concepta fuit quæ erat initium restaurationis totius universi: sicut prima fœmina fuit principium subversionis. Tertiò, quia concepta fuit super totius universi regnum, quasi Regina creaturarum omnium collocanda. Unde de hoc die potest exponi illud Exodi 24. *Septimâ autem die vocavit eum Deus de medio caliginis; erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens*; ve-

rè in Conceptione Virginis omnẽ hominem peccato originali obnoxium incepit vocare Deus de medio caliginis; & in hoc festo species gloriæ Domini propter prærogativas meritorum & privilegiorum, erat quasi ardens in benedictionibus charitatis.

CAPUT OCTAVUM.

In quo agitur de secunda prærogativa festi Conceptionis.

SEcunda prærogativa istius diei Conceptionis est, quòd ab ipsa incepit divina beatitudo communicari. Ab ipsa namque incepit Deus operationem quoad mundi redemptionem: ut supra dictum est, auctoritate Ambrosii in principio. Et quidquid Deus creavit, per Virginem conceptam redimere & ad communicationem suæ beatitudinis trahere disposuit, ex qua suum Unigenitũ voluit incarnari. Unde Bernardus: *Per te benigna; manus Dei, quidquid creavit, recreavit,* ut dictum est suprà. Ex quo patet quòd celebritas hujus diei præ multis aliis festis præclaram habet excellentiam: ex qua Deus mundi redemptionem, & suam beatitudinem communicare incepit. Unde de hac die potest exponi illud Levitici 23. cap. *Dies septimus erit celebrior & sanctior: nullumque opus servile fiet in eo.*

CAPUT NONUM.

In quo agitur de tertia prærogativa festi Conceptionis.

TErtia prærogativa istius festi est: quia ejus celebritas toti mundo per evidentia fuit miracula demonstrata, sicut pulchrè Anselmus prosequitur in Legenda. Unde etiam Anselmus concludit quòd qui festum hoc devotè non celebraverit, non est verus amator & venerator Virginis. Unde potest de hoc exponi illud Psalmi: *Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea:* & istud Numeri 28. *Dies septimus celeberrimus, & sanctus erit.* Unde legitur Genesis 1. postquam dictum est, *benedixit Deus diei septimo,* subditur, *& sanctificavit illum;* non solùm in triplici prærogativa superiùs memorata, sed etiam in triplici excellentia conceptæ Virgini ho-

rii hodie collata ; fuit enim ſanctificata in utero maternali, ſublimata gratiâ ſingulari, adoptata pro inhabitatione Filii Dei. De prima ſanctificatione poteſt exponi illud Hieremiæ 1. *Priuſquam te formarem in utero, noui te ; & antequam exires de ventre ſanctificaui te.* De ſecunda ſanctificatione poteſt exponi illud Pſalmi : *Sanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.* De tertia poteſt exponi illud Pſalmi 45. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Eccleſiaſtici 24. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Ecce ergo tabernaculum Dei cum hominibus, per quod diſpoſuit nos perducere ad requiem ſempiternam ; juxta illud Lucæ 16. *Vt cùm defecerittis, recipiant vos in æterna tabernacula* ; & Iſaiæ 32. *Habitabis in tabernaculis fiduciæ in requie opulenta.*

CAPUT DECIMUM.

In quo probatur quòd nihil horrendum eſt in celebratione feſti Conceptionis.

EX præmiſſis omnibus concludo, quòd ſecundùm quamcumque opinionem, ſive ponatur in originali concepta, ſive non, nihil appareret quòd in celebritate iſtius feſti ſit horrendum ; cùm appareant tot prærogativæ, tot privilegia, & tot excellentiæ, quibus iſtud feſtum eſt celebriter inſignitum. Si enim ponatur ſine originali, prout ſupra multipliciter eſt deductum ; tunc nihil horroris apparet. Similiter etiam, ſi verò vel falsò dicatur in originali concepta, quocumque modo ſumpto peccato originali, in ſua etiam Conceptione nihil horroris erit. Neque enim oportet abhorrere parentum libidinoſum motum, nec originalis peccati contagioſum reatum, nec quidquam circa materiam, ſi incidiſſet ſpurcioſum : quod probo rationibus, & exemplis. Rationibus ſic : quidquid enim ordinatur ad ſanctificationem Eccleſiæ univerſalis, ejus celebritas non abhorretur propter concurſum cujuſcumque immunditiæ peccati, vel criminis ; ſed Conceptio Virginis, quocumque modo accipiatur, primo vel ſecundo, vel tertio, ordinatur ad ſanctificationem Eccleſiæ univerſalis, ut ſuprà multipliciter eſt deductum : ergo ejus celebritas non abhorretur propter concurſum alicujus peccati vel criminis. Major declaratur in paſſione Chriſti, ubi concurrebat horrenda effuſio ſanguinis,

nis, deteſtanda vel nefanda impietas maximi criminis Judæorum: ita quòd ipſa paſſio ut à Judæis fuit inflicta, Chriſto erat maximum omnium peccatorum, & fuit horrendum & immundum quid, propter opprobrium ignominioſum Crucis, & propter deteſtabilem effuſionem humani sãguinis; in quantùm tamen à Chriſto ſuſcepta fuit, ſanctiſſima ad redemptionem humani generis, pro ſalute omnium ſuſcepta. Et ſic ſecundùm opinionem quæ ponit actionem & paſſionem eſſe eundem motum, & omninò eandem rem, juxta intentionem Ariſtotelis, tertio Phyſicorum: idem omnino ſecundùm rem fuit peccatum maximum moralitèr, & res horrenda multùm naturalitèr, ſecundùm unum reſpectum ad Judæos, & ſic nullo modo celebranda: ſecundùm alium tamen reſpectum, in quantùm à Chriſto pro noſtra ſalute ſuſcepta fuit, res ſanctiſſima moraliter. Sic in propoſito: eſto quòd circa Conceptionem B. Virginis concurrerit actus libidinoſus parentum, item peccati originalis contagioſus contractus; corpus tamen ipſum, quod conceptum fuit, erat futura materia totius noſtræ ſalutis, futurum ſacrarium totius Trinitatis: anima infuſa ſtatim futura erat ſanctiſſima. Sicut ergo in eadem paſſione Chriſti non abhorrentur concurrentia peccata maxima, & quævis immunditiæ, quin ut ſanctiſſima celebretur; ſic in eadem Virgine concepta. Et ſi ſecundùm unum reſpectum, vel in ordine ad libidinem parentum, vel in ordine ad viam propagationis per corpus animam inficientis; ſi tamen hoc poni poſſet in ea fuiſſe, quod ſuperiùs rationabilitèr eſt negatum, celebratio Conceptionis ejus abſque omni horrore fieri poteſt: & ſic patet major propoſitio. Minor multiplicitèr ſuperiùs eſt deducta. Exemplum etiam aliud ad præmiſſa valens patet ſic. Conſtat enim quòd celebramus feſta reliquiarum Sanctorum Martyrum, & aliorum Sanctorum, & honoramus celebritèr oſſa corporum mortuorum: non obſtante horrore, quo oſſa mortuorum cadaverum omnium hominum naturaliter ſunt horrenda, & non obſtante quòd talia ſecundùm ſe non ſint ſanctitatis vel gratiæ formaliter ſuſceptiva; ſed quia ad ſanctificationem Eccleſiæ ſunt ordinata. Unde feſtum celebramus de Cathedra Petri, & de Vinculis, & Aquiſgrani maxima celebritas eſt cùm oſtenditur camiſia B. Virginis, vel panni infantiæ Salvatoris. Sed conſtat quòd corpus B. Virginis, & in primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuit multò ſanctius omnibus præmiſſis: quia in eo ſecundùm identitatem numeralem, ſaltem ſecundùm aliquam opinionem, jam erat materia corporis Chriſti, quæ debebat in divino ſuppoſito ſuſtentari. Nec dubium quin illa materia jam realitèr ibi eſſet;

ergo

ergo etiam de ipsius Conceptione corporis venerabilis festivitas rationabilissimè celebratur. Et secundùm contrariam opinionem, constat quòd ante infusionem in corpore non est aliquid unde sit susceptivum peccati formalitèr, ergo propter hoc celebritas talis festi non abhorrebitur: nec propter peccatum parentum, etiamsi hoc in Conceptione Virginis concurrisse dicatur; quod tamen irrationabiliter dici, superiùs est ostensum. Unde concluditur ex omnibus, quòd nihil concurrit in Conceptione B. Virginis, secundùm quamcumque opinionem: propter quod hujus sacratissimi festi celebritas non sit omni veneratione digna.

CAPUT UNDECIMUM.

In qua concluditur Tractatus cum laude Virginis per devotam auctoritatem Augustini.

ET quia hæc omnia ad laudem Virginis ab ejus indigno & inutili laudatore, favente Domino, sunt scripta: concludendum æstimo hunc tractatum per laudem ipsius Virginis glorioſæ. Assumentes ergo verba glorioſi Doctoris Augustini, quibus sermonem de sua Assumptione concludit, demum hoc opusculum concludimus. *O Beata Virgo MARIA, quis dignè tibi valeat jura gratiarum, & laudum præconia impendere: quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas generis humani persolvet, quæ sola tuo commercio aditum recuperandi invenit? Accipe tamen* (inquit Augustinus) *Virgo benigna, dignalitèr quascumque exiles meritisque tuis impares nostræ tenuitatis gratiarum actiones; & cum susceperis vota, culpas nostras orando apud Filium tuum Dominum & judicem nostrum excusa.* Et infra: *quia tu es spes unica peccatorum; per te speratur venia delictorum, & in te beatissima nostrorum est spectatio præmiorum.* Hæc Augustinus ibi.

CAPUT DUODECIMUM.

Conclusio operis, & petitio veniæ de hujus operis imperfectione.

DEmum quia in hac materia non cadunt demonstrationes; teneat quilibet licitè quod laudi divinę, & meritis B. Virginis magis accommodum

modum & congruum esse credit: & dicta in hoc, tali quali, opusculo, non dente detractoris mordeat, sed mente pii correctoris ad laudē Christi & gloriosæ Virginis discutiat & convertat; ubi aliquid meliùs intelligit, Christo & Beatæ Virgini gratias referat: meamque sicubi deprehendit imperitiam, in suum profectum salutiferum cum charitativa compassione retorqueat. Quod potissimum ab omni vero amatore Beatissimæ Virginis MARIÆ; pro cujus devotione hunc laborem mente, linguâ & stylo ad honorem Christi Filii ipsius apud venerabilem Ecclesiam Herbipolensem suscepi: dignum duxi humiliter postulandum. Finaliter cum verbis B. Augustini, quæ scribit ad Dardanum, in ordine Epistolarum suarum tricesimâ nonâ; sic concludens, & præsens opusculum terminans in hunc modum, quemlibet alloquendo verum Virginis amatorem. *Quidquid in opere stili nostri utiliter exaratum esse cognoscis, Deo gratias age: si quæ autem mea vitia in eo perspicis, uti charissimus amicus ignosce; eandem scilicet sinceritatem dilectionis mihi optans medicinam, quâ concedis & veniam.* Hæc Augustinus.

Explicit Tractatus de Conceptione gloriosæ Virginis MARIÆ, compilatus à Fratre Hermanno de Schildis, sacræ Paginæ Professore Ordinis Eremitarum.

Si fieri posset, quòd arenæ, pulvis & undæ,
Undarum guttæ, rosæ, gemmæ, lilia, flammæ:
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne;
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces angues, & aristæ:
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent; minimè depromere possent
Quæ sis vel quanta, Virgo Regina MARIA.
Quæ tua sit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

Ave MARIA gratiâ plena: Dominus tecum.

TRAC-

Tractatus de Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ, R. P. Theodori Vrye Saxonis, Ordinis S. P. N. Auguſtini.

Everendiſſimo in Chriſto Patri Fratri Gerardo de Arimino, ſacræ Paginæ Doctori; necnon Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Fr. Theodoricus Vrye, Provinciæ Saxoniæ, Ordinis ejuſdem & voti: in præſenti, Domini noſtri Jesu Chriſti gratiam, & in futuro gloriam conſequi ſempiternam; ad laudem, honorem atque reverentiam glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ præſens opuſculum in principio diſputabile & in conſequentibus ad populum prædicabile recollectum, pro munuſculo veſtræ ſinceriſſimæ Paternitati mihi perdulciſſimæ hilari corde largior: & tantò libentiùs atque liberiùs, quantò mihi veſtra Reverentia clementiſſima ſemper extitit gratioſa. Supplicans humiliùs quò valeo, & intimiùs quo potero, quatenus præfatum munuſculum, pro donario dignemini ſuſcipere grato. Et ſi quid in eodem variandum vel fuerit corrigēdum, veſtra glorioſa Clementia corrigere dignetur vel variare.

Tantam Virginem igitur præconizare quantociùs exopto, cum venerabili Sedulio prorumpens in hæc verba.

Salve Sancta Parens, enixa puerpera Regem,
Qui cœlum terramque regit per ſæcula, cujus
Nomen ab æterno complectens omnia gyro,

Imperium

Imperium ſine fine manet; cui ventre beato,
Viſcera matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem;
Sola ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto.

Etiam nuperrimè in libro de Conſolatione Eccleſiæ tertio, diſtinct. 9. eandem materiam ventilavi breviùs: & nunc Dei & Virginis, cujus ago cauſam, juvamine, modico latiùs eandem materiam declarabo per modum cujuſdam viſionis; canens in hunc modum.

Cumque ſilens medium tacitè, jam cuncta tenerent,
Me ſopor oppreſſit, validus atque frequens:
Quo vidi mira referanda per omnia ſcriptis,
Talia quæ refero ſomnia poſſe meo.
Virgo nitens phœbo ſpecioſior, aſtris
Splendidior, Venere clarior orta fuit,
Phœbo fulta micat, lunam de ſub pede calcat:
Vertice ſtelligera Virgo decora nimis,
Hanc canis oblatrat infeſtans Virginis aulam:
Cerberus huic roſeæ damna tulit Dominæ.
Hanc clamans tumidè veſtes diſcerpere venit,
Immò magis carni vulnera dira dedit.
Sputa vomit ſævus, ferus hinc nec parcere curat
In faciem dentes mittere turpiloquos.
Lædor in hoc viſu, compaſſus tam generoſæ,
Florida quæ reliquas vincit candore puellas;
Tota ſerena nitet nulla fuſcedine cincta,
Quæ ſplendore ſuo ſolio detraxerat alto
Lucis perpetuæ candorem cuncta creantem
Nec tamen hanc niveam, miro candore coruſcam,
Morſibus in facie, lacerare ſinit ferus ille,
Miror tam niveam, defendi milite nullo:
Quæ Regina poli, ſtipatur & agmine multo,
Terrea quæque regit, quæ ſingula ſub pede ſternit.
Cumque ſilens illa voces non promeret ullas,
Tunc cecini pavidus pſallens pallore verentis:
Quid tu Virgo taces radioſo lumine ſplendens,
Splendidior ſole, & cunctis fulgentibus aſtris?
Cur canis hic lacerat vincentem lumina ſolis?

Cui

Cui polus empyræus ſervit, cui regna polorum
Subduntur, rabido cur cane ſupprimeris?
Si placet, hunc perimam: baculus te fortè juvabit
Hic meus exiguus, Virgo decora nimis.
Tunc ea grata tulit: cernis mihi facta per illos
Crimina multigena varia per vitia.
Me roſeam Matrem lacerat mea proles iniqua,
Quam genitam pavi pectore ſæpè meo.
Quis vidit ſimile? quis talia ſenſit amara?
Et propriam voluit quiſque perire matrem?
Ergo tu, quantùm poteris, defende bacello
Me ſic fædatam crimine mortigero.
Ordior hinc laudes de Virgine tam veneranda:
Quæ qualis fuerit, jam recitando feram.

De Conceptione Matris Dei.

TOta pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Hæc Salomon ille quondam homo purus ad ſponſam ſuam quam adamavit inquiebat. Sed hæc magis Rex noſter Salomon, cujus egreſſus à principio dierum æternitatis prodiit, ad prærchariſſimam ſuam promit Genitricem, prorumpens in hæc laudum carmina: Tota, inquit, pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quid ergo dicunt de te maculiferum, ô pulcherrima mulierum, te maculigeram ſomniantes? Si maculigera es, prout maculiferi ſomniat, tota pulchra non es, & in te macula eſt, & es maculigera; aut ſi verum eſt quod Veritas de te exorta aſſeruit, quia tota pulchra es, & macula non eſt in te, non eſt, mentiuntur falſarii, qui te maculigeram impudentiſſimo dicunt ore: & reverà cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Sic affirmando ajebat, qui dixit: Tota pulchra es amica mea, & in te macula non eſt. Ergo ſic eſt, ſicut Veritas retulit. Non ergo maculigera es, ſed in te macula non eſt. Et quia ſic eſt, maculigeram te dicentes, in peccato conceptam originali ſomniant: & in ſomnio variis irretiti ſomniis ſubditi ſunt, & falſa ſomniantes.

Veniamus ad auctoritates Sanctorum iſtud clariſſimè probantes, & primam accipiam S. Doctoris Auguſtini, in libro de Natura & Gratia, ſic dicentis: *Cùm* (inquit) *de peccatis agitur, de Virgine gloriosa nolo fieri quæſt.*

Et S. Thomas de Aquino, primo Sentent. dist. 44. quærens si Deus potest facere res meliores? respondendo ad auctoritates Anselmi, dicit expresse, quòd Beata Virgo numquam fuit maculata originali, vel actuali peccato infecta: prout allegat Venerabilis Magister Henricus de Hassia, in Tractatu suo contra Maculatores S. Bernardi. Idem probat Richardus de S. Victore; & Anselmus de Conceptu Virginali c. 18. dicit: *Decebat*, inquit, *ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret: nempè decens erat, ut eâ puritate Virgo niteret, quâ sub Deo major nequit intelligi.* Ad idem Alexander super illo: *Tota pulchra es, &c. & macula non est in te, Neque originalis, neque actualis.* Sanctus etiam Hieron. in Sermone de Assumptione sic inquit: *Cæteris per partes gratia præstatur, MARIÆ verò se tota infudit gratiæ plenitudo quæ in Christo fuit, quamquam aliter, &c.* Et per consequens etiam habuit gratiam præservationis à peccato originali, quamvis aliter; quia Christus illam habuit ex natura, & MARIA ex gratia. Idem ibidem: *Nihil est gratiæ, nihil candoris, quod non reluceat in Virgine MARIA.* Sed non contraxisse peccatum originale, est resplendentia gratiæ: ergo MARIA non contraxit peccatum originale.

Ampliùs. S. Ildephõsus Episc. Toletanus, in lib. quem fecit de Conceptu Virg. ut allegat Magister Vincentius in Speculo Hist. lib. 7. cap. 65. sic ait: Denique, inquit, si in utero matris MARIA sanctificata non fuisset, ejus Nativitas colenda non esset; nunc autem quia venerationem habet à totius auctoritate Ecclesiæ, constat eam ab omni peccato immunem fuisse, per quam non solùm Evæ matris soluta est maledictio, verùm etiam omnibus condonata est benedictio: nullis igitur, quando nata est, delictis subjacuit, nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit. Hæc ille. Quâ de causâ munusculum insigne ab hac Virgine recepit, ut ibidem affirmatur. Similitèr Venerabilis Doctor Hermannus de Schildis, idem probat in Tractatu de Conceptione Virginis ejusdem, & respondit etiam ad argumenta in oppositum producta. Item ipsa eadem Virgo festum Conceptionis suæ seminalis propalavit in Ecclesia celebrandum binâ vice, prout in Legenda quam S. Anselmus compilavit, claret manifestè. Item in dubiis si contingeret declinare ad unum, potiùs ad partem magis piam & utilem est declinandum: modò ista pars opinantium sit longè majoris devotionis occasio, ac diviniri honoris, & dilectionis Matris Dei magnificatio, quàm oppositum affirmare. Quapropter dicit quidam Doctor hic: Si debeam hìc deficere, cùm non sim certus de parte altera, magis volo deficere per superabundantiã dando sibi talem prærogativam;

vam; quàm per defectum diminuendo vel ſubtrahendo ab ea aliquam excellentiam quam habuit. Immò totus Clerus ſæcularis,& omnis populus laicalis iſtud oppoſitum audire abhorrent : & conveniunt concorditer, Virginem glorioſam abſque peccato originali conceptam.

Salubriùs ergo & utiliùs taceretur prædicatio inutilis in contrarium, quam quidam Religioſi cervicoſo ac ſuperbo & tumido proponunt ore: quos utique non ſpiritus devotionis exagitat, ſed zelus vanæ oſtentationis inebriat. Ampliùs arguitur argumento Sanctis Gamalielis, qui in Actibus Apoſtolorum ſic arguit : *Sinite*, inquit ad Judæos, *ſi opus ex Deo eſt, non poteritis reſiſtere; ſin autem à ſe, peribit : quia nullum violentum diu durabile eſt.* Sed modò iſta opinio multùm fortificatur, & continuè plures & plures adhærent huic opinioni; ſcilicet quòd Beata Virgo MARIA non ſit in originali peccato concepta : ergo à Deo videtur magis eſſe, quàm ejus contrarium. Hinc ergo, quia ipſa eſt excellentiſſima creaturarum, quia Mater Dei & ſuper Angelos exaltata: cum Angelis, immò ſuper omnes Angelos debet eſſe privilegiata. Qui quidem quamvis ex natura peccare potuerant, & adhuc poſſint; tamen ex gratia & per gratiam privilegiati fuere, ne unquam peccati maculam contraherent. Præcipuè igitur Virgo glorioſa Dei Mater ordinata ab æterno, ſic debuit privilegiis dotari, ne aliquam etiam minimam contraheret maculam, quam utique potiùs illi quàm Angelis negabimus, propter Maternitatis Dei excellentiam ſingularem. Cæterùm unus eſt JESUS Dei Filius, qui ex natura ſine peccato conceptus eſt, quia de Spiritu ſancto; & omnes alii in peccatis concepti ſunt, præter Mediatricem inter Deum & hominem. Debuit igitur illa mediare inter Deum & hominem, quæ etiam ſecundùm hominum communem conceptionem erat propagata. Et eadem privilegiari debuit ex gratia ſingulari, & Maternitatis Dei excellentiâ, ne in peccato originali conciperetur. Eſt & alia ratio : nam tota cauſa quare Doctores videntur ponere Virginem habuiſſe peccatum originale, eſt ut ſalvetur ordinatio & lex communis Dei de incurſu peccati originalis; ergo per nullam moram diviſibilem debuit eſſe in culpa originali : quia ſi per medietatem illius menſuræ fuiſſet in dicto peccato, lex illa fuiſſet ſufficienter ſalvata. Et mirabile eſſet, quare Deus illam legem communem & ordinationem ita rigoroſè & durè vellet teneri, quòd etiam ejus dulciſſimam Matrem non vellet privilegiari contra illam : cùm ad hoc nulla opportunitas aut utilitas notabilis appareat aut exiſtat. Cùm etiam Deus

benedictus & omnipotens propter parvos sanctos totum cœli cursum mutaverit, utpotè tempore Josuè, quando sol stetit: & tempore Ezechiæ, quando retrogradus factus est; & ignis vim suam perdiderit, ut tres pueri in furno servarentur illæsi: & plerisque Sanctis, ut in oleo ferventi, cui Joannes illæsus immersus est, & non nocuit ei; neque venenum quod bibit, eidem obfuit: ubi naturæ cursus immutatus est. Et quare in Virginea Matre sua non concederet privilegium, præservando ne in peccato aut macula conciperetur? quod utique multùm facit ad honorem illius qui parentes honorari præcepit, & Virginis devotionem præcipuè & excellenter exaltandam. Est & hæc alia ratio. Quandocumque ab aliquo tollitur defectus propter honorem & reverentiam, qui est parvus, & non est peccatum, sed & magis intrinsecus, præservando à tali defectu ne contrahatur: ab eodem omninò tolli debet defectus qui est magnus, & peccatum mortale, & minùs intrinsecus. Ista patet de se; sed à Beata Virgine propter honorem & reverentiam est sublatus defectus incinerationis, quæ quidem incineratio non est peccatum; quia secundùm Beatum Augustinum & totam S. Ecclesiam, Beata Maria fuit assumpta in cœlum cum corpore, & anima: ergo omnimodè ab eadem debuit tolli defectus qui est peccatum mortale, scilicèt originale; quia damnat hominem, & separat à Deo. Item dicere, Virginē in peccato originali conceptam, est dicere, Deo dilectissimam aliquando fuisse filiam diaboli & in odio Dei, & ipsius inimicam: sed hoc audire abhorret omnis homo, & non est opinabile quòd ab æterno à Deo dilectam aliquando odivit: si enim semper ab æterno dilexit, numquam odivit; & si aliquādo odivit, non semper dilexit. Quòd autem in originale existentes sint filii iræ, patet per Apostolum dicentem, & est Beati Augustini de Fide ad Petrum, & allegatur in Can. de Consecrat. dist. 4. Firmissimè: ubi talis dicitur filius iræ, morti subjectus & impietati.

Alia ratio est hæc secundùm Anselmum. Tantâ nituit Maria puritate, quantâ sub Deo major nequit intelligi: sed si in peccato concepta fuisset, Adam ipsam excessisset, quando fuit in statu innocentiæ, qui nullum peccatum penitùs habuit. Et sic Anselmi dictum esset falsum; quod tamen ab omnibus, etiam ab oppositū dicentibus affirmatur.

Ratio decimaseptima est hæc. Nullus filius tantùm obligabatur matri suæ, quantùm Dominus Jesus suæ dulcissimæ Matri: quia ipse fuit totus Filius ejus secundùm nativitatem tēporalem, & de pretiosissimis sanguinibus ejus formatus absque patre temporali. Cùm igitur omnis homo

ad

ad parentum ſuorum honorem & reverentiam, Chriſtus omnibus aliis plus obligabatur ad ſuæ benedictæ Matris honorem: ergo quidquid reverentiæ ſuæ Matri glorioſiſſimæ impartiri potuit, hoc facere debuit, & ſic decuit. Sed ipſe potuit ipſam præſervare ne peccatum contraheret originale: ergo hoc facere debuit, & ſic decuit; ergo Virgo glorioſiſſima in peccato originali non eſt concepta. Quòd autem potuerit, claret; quia ita potuit ante contractum peccatum præſervare, ſicuti poſt contractum ſanctificare, quando magis erat peccatum radicatum. 8. ſic: eadem eſt caro matris & filii, idem ſanguis Matris & Filii Dei qui eſt filius Virginis; ob quod non decuit carnem & ſanguinem unde aſſumptus eſt Dei Filius, maculâ contrahere originalem. Ipſe enim eſt ſpecioſus præ filiis hominum, Pſal. 20. Et in Chaldaico ſic habetur: Pulchritudo tua major quàm filiorum hominum, Rex Meſſia. Et ſicut ipſe pulcherrimus erat præ filiis hominum, ſic & ipſa præ filiabus hominum pulcherrima: non tantùm pulchritudine exteriori, ſed præcipuè pulchritudine interiori; & per conſequens ſic ſanctificari debuit, ut omnes excederet. Sed ſi à peccati macula non fuiſſet præſervata, non eſſet omnibus pulchrior, cùm etiam alii in utero matris ſanctificati fuerint, ut Joannes Baptiſta, & Jeremias. Sequitur ergo quòd majorem pulchritudinem ſanctificationis habuit quàm Joannes, & per conſequens ſine macula originali fuit concepta. Eſt & alia ratio. Virgo glorioſa nunquam peccavit venialiter, ergo non contraxit originale peccatum. Patet conſequentia: quia veniale peccatum multò minus eſt quàm originale; quia originale peccatum damnat æternaliter, veniale peccatum punit ſolùm temporaliter. Cùm igitur minor defectus ab ea ablatus ſit propter majorem munditiã, ſequitur quòd major defectus: qui facit hominem damnationi, impietati, & iræ Dei ſubjectum. Quapropter in honorem Virginis ſequens cano carmen.

En velut è ſpinis prodit roſa neſcia ſpinæ;
Sic fuit ex Anna ſacra virgula neſcia labis.
Nulla fuit labes Conceptûs Virginis hujus,
Quam Deus æternæ dilexit neſcius iræ:
Cui ſubjecta foret, ſceleris ni labe careret.

Secundum carmen, quia eadem caro Matris & Filii, & ex excellentia ejuſdem:

Debuit, ut decuit, præ cunctis mundâ nitere,
Quâ nequit inquiri major ſalvâ Deitate.
Hinc pulcherrimus eſt natus, ſed & hinc pia claret

Et ſine labe Mater, cujus caro ſit caro nati?
Munditiæ thalamus, Chriſti venerabile templum.
Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.
Nec decor aut forma poterit tua, pulchra puella,
Ore tenus, linguâ dici, vel corde notari;
Quæ ſub prole tua formoſior es univerſis,
Et ſine labe nites maculâ ſine qualibet ardes.
Gaude ſola pia ſine crimine Virgo MARIA,
Sanctè concepta, ſpecialis omnia adepta:
Quo ſuperas cunctos ſuperâ jam ſede beatos;
Me vitiis natum cœlo da purificatum.

Explicit prima pars de Conceptu Virginali.

INCIPIT SECUNDA.

EXpedietus igitur de hoc quòd Virgo glorioſa in peccato originali non eſt concepta, propter gratiam ſingularem ſibi à Deo datam: & quòd Dominus JESUS Filius ejus habuit ex natura, ipſa habuit ex gratia. Contra iſtud tamen diverſi diverſis arguunt auctoritatibus & rationibus, quarum prima eſt hæc.

Prima ratio contra prædicta, eſt hæc. Ait enim Propheta David in perſona omnium: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus, & in peccatis meis concepit me mater mea.* Ampliùs, Doctor gentium ad Romanos cap. 5. ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Idem: *Omnes peccaverunt, & egent gratiâ Dei.* Auguſt. etiam Doctor egregius ſuper illo Pſal. *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio*; ſic ait: *MARIA ex Adam mortua eſt propter peccatum Adæ, Adam mortuus eſt propter peccatum ſuum; caro Domini ex MARIA mortua propter delenda peccata.* Idem ſuper illo Joannis: *Ecce Agnus Dei, &c.* dicit Chriſtum ſolùm agnum, quia non in iniquitatibus conceptus eſt. Idem de Fide ad Petrum, ait: *Firmiſſimè tenè, & nullatenus dubites, omnem hominem ex viro & muliere conceptum, in originali peccato conceptum.* Item idem lib. 1. contra Julianum allegans S. Ambroſii verba, ait: *Solus, inquit, ex natis de fœmina Dominus IESVS; qui*

terrenæ

terrenæ contagia corruptelæ non habuerit, & sui partûs novitate non senserit. Qui enim expers illius corruptionis, etiam expers illius Conceptionis. Idem ait Sanctus Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses. Item S. Thomas de Aquino 4. Sentent. & multis locis. Anselmus etiam, Cur Deus homo, lib. 1. & cap. 14. dicit: *Virgo ipsa unde assumptus est Christus, in iniquitatibus concepta est.* Idem dicit in libro de Conceptu Virginali. Idem Damascen. lib. 3. cap. 2.

Ad rationes auctoritatum inductas, respondeo, quòd omnis homo natus ex concubitu virili, quantùm de se est, & secundùm legem communem & radicem inferiorem debuit concipi in peccato originali. Tamen decuit Virginem gloriosam privilegiari, immò propter reverentiam Filii ejus, quia Mater Dei futura; & ab æterno ordinata priveligiari debuit ne peccatum contraheret originale. Sic enim frequenter in Scripturis sacris reperitur aliquid affirmari evenire secundùm legem communem, & radicem inferiorem: cujus tamen oppositum Deus ab æterno disposuit aliter evenire; ut Zacharias & Elisabeth secundùm legem communem, & radicem inferiorem prolem habere non poterant: similiter Joachim & Anna; & tamen ex gratia singulari Deus sic disposuit, ut quantumcumque infructuosi essent & steriles, quantùm ad radicem inferiorem ad prolem procreandum; sobolem tamen utrique sanctissimam procrearent. Sic etiam est de virginitate quacumque, quæ secundùm totum cursum naturalem totius naturæ de se est infœcunda & sterilis; & tamen ex privilegio & gratia singulari in Virgine gloriosa fuit fœcundissima: & conceptus & nativitas fuit prolis manente virginitatis signo integro penitùs & illæso. Similiter & juxta loquendi modos consuetos possumus terminos denominare, ut dicatur præfigurata ab originali peccato; quod tamen non contraxit, quia fuit præservata ne contraheret. Dionysius causam ponit purgationis in Angelis, & tamen nunquam fuerunt maculati. Fuit enim sic purgata illa Maria & sanctificata, ne in contractu corporis & animæ, anima illa in gratia creata inficì posset aut maculari. Universales igitur propositiones hujusmodi intelligendæ sunt de lege communi; non tamen propter hoc in quibusdam negari debent eximi personæ reverendæ, ut prædixi. Item dicit: Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in opere. Nunquid Mater Judicis glorioßissima Virgo, ibi dicet culpam, quæ nunquam peccavit? Et reverà nihil cognoscet de peccati relatione, quæ peccare etiam non potuit in gratia confirmata. Nunquid & ipsa resurget,

ſurget, juxta illud: *Omnes quidem reſurgemus?* Certiſſimè non reſurget quæ jam dudum ſtellato in ſolio reſidet corpore glorioſa.

Ad auctoritates S. Auguſtini reſpondeo. Ad primam in qua allegat Virginem glorioſam mortuam propter peccatum ejus, & Chriſtum mortuum propter delenda peccata; certiſſimum eſt, MARIAM ex Adam propter peccatum ejus, ſcilicet Adæ, mortuam: mors enim eſt pœnâ ſequens ex peccato Adæ; cui dictum erat, *Quacumque die comederis, morte morieris.* Immò & Chriſtus ſi morte violenta mortuus non fuiſſet, tandem cum ſenio defeciſſet, ſecundùm Hieronymum, qui tamen ex natura peccatum nullum habuit; & hoc propter peccatum Adæ, quoniam ſi Adam non peccaſſet, nullus hominum mortem incurriſſet: & quia peccavit, omnes mortem incurrerunt, quia peccatum ſuum pœnam mortis effecit. Non ergo ſequitur: MARIA propter peccatum Adæ mortua eſt, ergo MARIA concepta eſt in peccato originali.

Ad ſecundam ejuſdem auctoritatem dico, quòd Chriſtus ſolus innocens fuit de jure & ex natura; MARIA autem non ſic, ſed de gratia ſingulari. Ad tertiam, quæ fundatur ſuper hac ratione; omnis homo conceptus ex concubitu viri & mulieris, concipitur in peccato originali: ſed Virgo MARIA concepta fuit ex concubitu viri & mulieris: ergo, &c. Reſpondeo ad Majorem, quòd diſtributio eſt accommoda, & intelligitur de jure, & ſecundùm radicem inferiorem, & quantùm eſt de ſe, & intrinſecè, & eſt univerſaliter vera; ſed ſecundùm radicem ſuperiorem, & de gratia, eſt univerſaliter falſa. Nam & Beatus Auguſtinus dicit ibidem, quòd omnes qui ab Adam deſcenderunt, in die judicii reddent rationem de malis quæ egerunt: claret quòd non eſt univerſaliter vera, quia Virgo MARIA nullam reddet rationem de malis. Item illa propoſitio, *Omnes ſtudent avaritiæ*, ut in pluribus eſt vera, non tamen univerſaliter eſt vera; immò fallit in cauſa in multis, ut in Virgine MARIA, Joanne Baptiſta, & Apoſtolis omnibus, & eorum ſequacibus.

Ad auctoritates Anſelmi & Bernardi reſpondeo, quòd Anſelmus in fine libri de Conceptu Virginali ſe ſubiicit meliùs intelligentibus: ita quòd non protervè, neque pertinaciter iſta ſenſit; & ſic videtur ſatis iſtud retractare, cùm ſe judicio ſubiicit meliori. Sanctus etiam Bernardus hîc dicere poteſt quod dixit in fine Homiliarum ſuper Miſſus eſt. Si, inquit, communem zelando utilitatem peccavi; Apoſtolicum ſequendo præceptum, probate ſpiritus, qui ſcilicet ex Deo ſint: & glorioſæ Virginis ſequendo exemplum, dubitando, *Quomodò fiet iſtud?* Potens erit pia

Virgo

Virgo apud ſuum miſericordiæ Filium hoc meum excuſare peccatum. Ad auctoritatem S. Thomæ de Aquino : patet quòd eſt ſibi contrarius, cùm (ut ſuprà allegavi) ſuper 1. Sentent. dixerit MARIAM non fuiſſe unquam maculatam peccato originali, & in aliis dicat oppoſitum.

In quo ponuntur rationes quòd B. Virgo ſit concepta in peccato originali.

PRima ratio eſt hæc, & eſt Thomæ part. 3. quæſt. 27. art. 2. & ponit primò figuram de tabernaculo : quòd, poſtquam tabernaculum erat perfectum, tunc primò nubes operuit tabernaculum, & gloria Domini implevit illud. Reſpondeo, quòd non legitur quòd tabernaculum fuerit immundum ; ſed de perfecto tranſiit ad magis perfectum. Sic Virgo exiſtens in potentia in materia ſeminali, fuit purgata & adhuc imperfecta, id eſt, minùs perfecta quàm priùs erat ; quia in infuſione animæ fuit perfectior, & in adventu Filii Dei ex ea incarnati magis perfecta: fuit igitur illa materia mundata & ſanctificata, & ideò in unione corporis & animæ nullum fuit conjunctum peccatum originale. Fomes enim extinctus erat per ſanctificationem illius materiæ ſeminalis, & fuit illà MARIA ſanctificata & perfectè mundata, ſicut aqua, chriſma, & ſal, & cætera benedicuntur & ſanctificantur : ut patet ex inſtitutione S. Eccleſiæ, quæ hujuſmodi benedictiones & ſanctificationes ordinavit & inſtituit in creaturis irrationabilibus & inſenſibilibus. Et ſic conſequenter cùm dicit : ſi Beata Virgo ante animationem fuiſſet ſanctificata, non incurriſſet maculam originalis culpæ, conceditur ; & cùm poſteà dicit : ita non indiguiſſet redemptione & ſalute, quæ eſt per Chriſtum, de quo Matthæi 1. *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* ; hoc enim eſt inconveniens quòd Chriſtus non ſit ſalvator omnium. Reſpondeo & dico, quòd non ſequitur: MARIA fuit præſervata de gratiâ ne in peccato originali conciperetur, ergo non fuit per Chriſtum redempta ; immò fuit redempta, præſervata ab originali peccato, ſicuti qui deberet vel meruerit incarcerari, & antequam incarceratur, redimeretur ; & ſic poſteritas filiorum Iſraël dicitur à ſervitute liberata. Et revera ex tali præventione Virgo MARIA fuit pleniùs atque perfectiùs omnibus aliis redempta. Nam ſi mater quædam eſſet ſervilis conditionis, & filium unum gigneret, ille ſervus eſſet;

& si redemiret illum cùm nascitur, reliqui nascituri nascuntur liberi, & tamen redempti sunt. Redemptio igitur illa est magis eligibilis, quæ obligationem prævenit. Sic igitur Virgo magis fuit redempta propter servationem, quàm si contraxisset originale, & tunc postea post rearum fuisset mundata.

Et notinsum propter cætera dicta Thomę quæ profert, Romanam scilicet Ecclesiam Concept. Virginis non celebrare. Quidquid fuerit tempore suo, nescio, sed nunc celebratur solemniter per totam Ecclesiam Romanam, & hoc illâ die cùm fuit concepta seminaliter, ante infusionem animæ, ut patet calculando à die suæ Conceptionis, usque ad diem suæ Nativitati: & ideò ante animationem fuit sanctificata, & purgata, & mundata. Et etiam quod dicit, quòd si non fuisset originali peccato obnoxia derogaret dignitati Christi, patet falsum esse, ut suprà dixi: imò magis facit ad honorem Dei, & devotionem totius populi Christiani, qui etiam abhorrent generaliter audire, Virginem gloriosam in peccato originali conceptam. Et si S. Thomas nunc viveret, scilicet anno Domini 1416. vel 19. & prædicaret gloriosam Dei Genitricem in peccato conceptam originali, infamiam & scandalum sustineret ab omnibus: exceptis quibusdam sui Ordinis Fratribus, Domini Genitricem infamantibus; qui si auderent, insultarent eidem: quibus tamen statim est os obstructum propterea, quòd Parisius ptistinis sunt acta temporibus sui Ordinis Fratribus, qui fuerunt inibi ea de causa tunc confusi, & etiam in pleriſque aliis civitatibus. Ex hoc patet, quòd sicuti magna gratia est sanctificari in utero, & tunc redimi à prævaricatione Adæ: sic maxima gratia est sanctificari & præservari à contractu originalis peccati, & sic redimi de gratia singulari. Ex reverentia igitur Maternitatis Dei, hanc gratiam habuit singulariter super omnes.

Hinc & sacra Pagina etiam dicit redemptionem fieri à futuris malis, unde Propheta: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Item: *Salvasti me à descendentibus in lacum.* Sic & Abraham liberatus fuit ex Ur Chaldæorum; & similia multa possunt adduci, quorum responsio patet ex præfatis.

Secunda ratio principalis est ista. Posità causâ formali, sequitur etiam effectus; sed in Conceptione huius Virginis Sanctissimæ fuit causa formalis peccati originalis, videlicet fomes vel libido vel concupiscentia carnis: ergo fuit concepta in peccato originali. Respondeo negando Majorem; quia aliquando ponitur causa formalis, & tamen non sequitur

effectus

effectus formalis: ut ſuprà dictũ eſt de igne, cujus cauſa formalis eſt ut calefaciat, & tamen aliquando non calefecit, etiam calidiſſimus. Et patet de oleo bullienti: item de ſterilitate Annæ & Joachim, & ſterilitate Zachariæ & Eliſabeth; cujus ſcilicet ſterilitatis effectus formalis eſt, non poſſe concipere aut gignere, & tamen contrarium factum eſt. Et iſto modo ego arguo conſequenter iſtos ſic: ſi MARIA contraxit originale, ut dicunt; ergo etiam contraxit peccatum actuale. Patet conſequentia, quia effectus peccati originalis eſt peccare actualiter; ſed ipſi negant conſequens, & per conſequens debent negare conſequentiam. Et ſicut ipſi dicunt quòd fuit poſt contractum peccatum originale ſanctificata, ſic ego dico quòd fuit præſervata & præventa de gratia, ne conciperetur: quia hoc erat majoris magnificentiæ & liberalitatis, quàm poſt peccatum ſanctificare, ut ſuprà dixi.

Tertia ratio eſt illa. Hæc Virgo glorioſa plures pœnas habuit, quàm pro originali infliguntur, & iſtæ pœnæ non ſunt voluntariè aſſumptæ, ſicut à Chriſto fuerunt aſſumptæ voluntariè; ſed non injuſtè, ergo juſtè: & per conſequens fuerunt pœnæ peccati Virginis; ſed non actualis, ergo originalis. unde ſequitur quòd fuit concepta in peccato originali. Reſpondeo, quòd duplices ſunt pœnæ: quædam ſunt utiles & meritoriæ habentibus ipſas; aliæ ſunt inutiles, ut puta, rebellio carnis contra ſpiritum. Primas habuit Virgo glorioſa, ut per ipſas magis mereretur: tales ſunt pœnæ corporales, quas etiam ut voluntariè aſſumpſit, puta, famem, ſitim, calorem, frigus, dolores, triſtitias, & hujuſmodi, quæ de ſe non ſunt peccata; quibus etiam ſancti priùs meruerunt, & adhuc merentur præmia regni cœlorum. Et iſtæ pœnæ non ſunt ex peccato originali, ſicut patuit in Chriſto; ſed ſunt pœnæ conſequentes peccatum Adæ. Cùm ergo dicitur, hæc Virgo glorioſa plures pœnas habuit quæ peccato originali infliguntur, negatur; ſed ſunt pœnæ conſequentes peccatum Adæ, quæ in omnes tranſierunt, etiam in ſanctificatos, & ſine originali natos, & etiam conceptos: ut patet in Chriſto & ejus Matre benedicta. Aliæ ſunt pœnæ utiles, ut puta fomes, ſeu concupiſcentia carnis, ſeu rebellio carnis contra ſpiritum, & hujuſmodi, quæ non fuerunt in hac Virgine: quapropter ſine originali peccato eſt concepta.

Quarta ratio eſt hæc. Si Virgo glorioſa non eſt in peccato originali concepta, ſequeretur quòd ſi ante Chriſti reſurrectionem fuiſſet mortua, vel Aſcenſionem, ſtatim ad cœlum evolaſſet. Conſequens eſt falſum: quia nec baptiſmus, nec martyrium pro Chriſto, aperuerunt januam

vitæ; Joãnes enim Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit major, limbum post martyrium ingreditur. Similiter & sanctissimi Infantes pro Christo interfecti. Consequentia patet: quia si originale non habuit, etiam nõ habuit causam repulsionis à regno cœlorum. Respondeo, quòd argumentum dissolvit seipsum, & patet quòd consequentia non valet: quia nec Joannes nec Innocentes peccatum originale habuerunt, quando fuerunt interfecti; immò Joannes fuit in utero sanctificatus, & sine originali peccato natus. Similiter & Innocentes per Martyrii palmam sanctificati sunt, & tamen limbum Patrum intraverunt. Sic & Virgo Maria secundùm legem communem: ita enim Deus determinaverat, quòd nullus intraret regnum Dei, usque ad solutionem pretii de jure. Quamquam enim Deus Pater Christi Passionem acceptaverit ad remittendam culpam originalem credenti in eum: non tamen remittebat pœnam, scilicet carentiã divinæ visionis, donec ipse qui Adæ solvit debitum aperiret cœlum, & educeret de lacu inclusos. Fuit igitur ibi causa extrinseca, videlicet januæ cœlestis clausio; quæ per solventem debitum, & nullum alium aperiri debuit, aut potuit. Quamquam igitur de jure omni homini cœlum fuerit clausum, de gratia tamen singulari potuisset Filius Matri suæ benedictæ cœlum aperuisse: sicuti eam præservavit ne peccatum contraheret originale. Et sicuti ipsam de gratia mori voluit absque pœna, & cum corpore & anima in cœlum scandere de singulari; sic etiam Virginem dulcissimam ante tempus assumere poterat, prout sibi placuisset.

Quinta ratio est hæc. Si Virgo Beatissima non est concepta in peccato originali, sequitur hanc Virginem impeccabilem fuisse per naturam; sed consequens est falsum, quia nulla pura creatura per naturam potest esse impeccabilis; nec Deus potest facere creaturam ex natura impeccabilem, cujus causam ponit Anselmus dicens: *Quia Deus non potest facere creaturam ejusmodi; ideò non potest facere creaturam impeccabilem per naturam.* Consequentia tamen probatur: nam sicut originale peccatum ex sui naturâ intrinsecâ hominem impellit ad peccandum, ita justitia originalis ex sui intrinsecâ naturâ reddit impotentem ad peccandum: ergo sequitur quòd hæc Virgo fuerit impeccabilis per naturam. Respondeo negando consequentiam: nam Adam fuit conditus in justitia originali, & tamen fuit peccabilis per naturam, nam peccavit. Similiter & Angeli omnes fuerunt creati in statu innocentiæ, & tamen per naturam fuerunt peccabiles, quia multi ex eis peccaverunt. Similiter cæteri qui steterunt

per

per gratiam, facti ſunt impeccabiles: ſic & Virgo glorioſa non eſt facta impeccabilis, quia ſine peccato originali eſt concepta, ſed per Dei gratiam ſingularem. Ex iſtis patet, Virginem MARIAM non conceptam in originali peccato. Et per iſtas reſponſiones patent ſolutiones omnium argumentorum in oppoſitum adducendorum.

Ut igitur Salvatoris emineat excellentia, ipſe ſolus de Spiritu ſancto conceptus eſt: aut ipſe ſolus eſſet qui & de jure & de facto, nec debuit nec potuit originale contrahere peccatum. Hæc autem Virgo de jure contrahere potuit, & debuit; ſed de facto & ex gratia non contraxit. Et de Chriſto ſolo dicitur, quòd eſt Agnus Dei, qui ſolus tollit peccata mundi. Et ideò omnes per eum redempti ſunt, quotquot ante eum fuerunt ſalvati, & quotquot poſt eum veniunt. Et eſt divinæ adſcribendum dignitati atque magnificentiæ: quòd prædilectam Matrem ſuam, ſuâ gratiâ prævenit ne peccatum contraheret originale; quapropter meritò & benè dictum eſt in principio collationis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ ſunt verba pulcherrimi Filii ad dilectiſſimam Matrem, quæ ſecum manet in æternum benedicta, Amen.

De multiplici Conceptione.

TRACTATUS II.

PRæcurre in domum tuam prior, & illic avocare: & benedicito Deum; & illic lude & age conceptiones tuas, & non in delicto; ſcribitur Eccleſiaſtici 32. Seneca dicit, ingratitudinem eſſe maximum vitiorum, à qua Virgo MARIA ſe immunem reddidit: nam nulla creatura Deo tam grata fuit, ſicuti Virgo egregia; quæ non ſolùm Deum oretenus benedixit, ſed ex toto corde ejus: immò nunquam fuit aliqua pura creatura, quæ hoc præceptum impleverit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*; propter rebellionem carnis & animæ, quæ in omnibus aliis fuit, præterquam in Virgine glorioſa. Et ideò ipſa ad plenùm Dominum benedixit, gratias plenas agens ei; & hoc innuitur in verbis prædictis, ubi Virgini MARIÆ dicitur: *Præcurre, &c.* Diviſio thematis. In quibus omnis innuitur multiplicitas originis, & puritas ſine vitiis Virginis glorioſæ: Ibi, *Præcurre, &c.* Et primò dicam de mul-

tiplici ejus Conceptione. Secundò de ejus Nativitate, & pulchritudine naturali & morali: & cum hoc privilegia ejusdem. Circa primum est notandum, quòd Virg. Mariæ Conceptio fuit quadruplex: & postea dicetur de utilitatibus consequentibus eos, qui istud festum celebrant devotè. Primò igitur notandum, quòd prima Virginis Conceptio est æterna, de qua dicitur Proverb. 8. *Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Hæc est conceptio, secundùm quam idæaliter vel secundùm formas idæales in nunc æternitatis fuit in mente divina: & licet omnis creatura producta vel producenda fuerit in hujusmodi formis, aliter tamen & singulariter Virgo Maria fuit ibi. Quia ipsa sola super omnes fœminas prævisa est Mater Dei, Filia Dei, Sponsa & amica Dei, & cum hoc Virgo in æternum permansura. Quis audivit talia? dic rogo, Frater.

Secunda conceptio est naturalis, quâ Deus ab extra produxit Virginem per modum generationis naturalis & propagationis seminalis: nam illa materia hodie sic fuit depurata & sanctificata, ne in unione corporis & animæ peccatum originale contraheret, sicuti in aliis omnibus factum est. Neque debet hoc aliquibus videri impossibile, qui ponunt exemplum de calce viva, cui si aqua supereffundatur, resultat ibi calor, quamvis formaliter calida non est. Sed istud exemplum non est in contrarium; quia si calci vivæ supponatur oleum, certum est quòd non resultat ibi calor. Et sic sicut naturale est calci, si superfundatur aqua frigida, quòd calefit: tamen si oleum superfunditur, ignis extinguitur. Sic quamvis in illa materia seminali debuisset ibi fuisse affectio morbida, tamen illa ex oleo, id est, gratia Spiritûs sancti fuit ablata, mundata & sanctificata; ita quòd non contraxit Virgo Beata peccatum originale. Nec est mirum quòd insensibilia & irrationabilia sanctificantur & benedicuntur, ut patet in aqua, sale, balsamo, pane & aliis. Purgatâ igitur illâ Maria, non potest contrahi peccatum originale. Deinde formato corpore infunditur anima. In qua Conceptione omnes alii peccatum originale contraxerunt, exceptâ solâ Dei Genitrice Virgine Maria. Quia Dei futuram Matrem decuit sic præ omnibus singulariissimè privilegiari; quæ præ cæteris magis Angelorum vitam hîc gerebat in terris, quàm vitam hominum aliorum. Causa autem exemptionis & privilegiationis est status specialis, & dignitas personalis, liberalitas principis, & charitas, & propinquitas singularis. Nam hæc Virgo Mater Dei in tota latitudine gratuitæ perfectionis ascendente à non gradu perfectionis totius creaturæ, habebat gradum summum. Patet; quia omnis perfectio gratuita, quæ aliis hominibus

minibus puris ſparſim extitit communicata, eminenter & unitivè concurrebat in ipſa: ut deducitur multorum Sanctorum auctoritatibus, & præcipuè S. Auguſtini, S. Jeronymi, ſuprà, cap. 1. & ſimiliter deducitur per Divum Albertum, in Tractatu de Laudibus Virginis glorioſæ. Aliàs enim in ea non eſſet plenitudo omnium ſpiritualium chariſmatum puro homini poſſibilis. Unde ſequitur quòd Mater Dei vixit diviniſſimè inter puros homines; immò Mater Dei, dum hîc vixit in terris, non erat minùs bona quàm univerſalis Mater Eccleſia. Quæ etiam dum hîc vivebat, meritum tranſcendebat Angelorum, ſecundùm B. Auguſtinum. Et patet; quia gradus ſummus in latitudine intenſivè, æquatur toti latitudini in ipſam concurrenti: vel certè gradus ſummus eſt major, & continet in ſe eminenter totam perfectionem. Et ideò ipſa meritò præ cæteris eſt privilegiis & exemptionibus extollenda. Et ſic dies iſta meritò à glorioſa Dei Matre eſt notabiliter revelata, miraculoque duplici probata, & perornata ſemel in apparitione filii Regis Ungariæ: & ſecundò in Canonico ſubmerſo; & etiam per Venerandam perſonam Helſinum Abbatem ſibi apparentem. Et hoc ideò, ad innuendum illo die ejus ſanctificationem. Secundò propter ſuorum parentum piam commemorationem, ut ait S. Jeronymus: de quibus etiam nullam aliam facit memoriam niſi iſto die. Tertiò, propter ſuæ miraculoſæ Conceptionis venerationem, & miraculum ſingulare: quia ex ſenibus ſterilibus concepta fuit. Quartò, propter matrimonialis concubitûs excuſationem: quia quando causâ prolis fit commixtio matrimonialis, nullum eſt peccatum. Et tantum de primo.

Circa ſecundùm notandum, quòd iſtud feſtum ſingulari devotione eſt peragendum propter quatuor utilitates præcipuas. Prima eſt, quia devotè hoc feſtũ peragentibus, in omni neceſſitate ſua ſubvenitur. Et poteſt reddi ratio; nam cùm ipſa Virgo glorioſa in iſta ſua Conceptione quam colimus, à maxima neceſſitate ſua ſit liberata, in qua tota vita ſua unquam fuerit, ſcilicet ab originali peccato, quâ magis periculum ſuæ ſalutis nunquam imminebat: ſperandum eſt quòd devotè eam invocantes ſingulariter in hoc feſto ab omni ſuo periculo liberentur. Secunda eſt, quia talis ab honore ſuo & gradu nunquam deponetur. Et hoc eſt quod dicit S. Anſelmus in Legenda. *Quiſquis Præſul vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter hanc feſtivitatem, & à cunctis jube eam recoli; quia ſi eam toto corde amaveris, nunquam à gradu tuo depoſitus eris. In me ipſo probavi quod dico.* Hæc Anſelmus. Item Virgo glorioſa in hac ſua Conceptione eſt ultra omnes honorata:

norata : quia hodie eſt ſanctificata, prout ait S. Bernardus. *Puto*, inquit, *quòd copioſior gratia ſanctificationis in ipſam deſcenderit ; quæ non ſolùm ortum ejus ſanctificavit, ſed etiam eam à peccato cuſtodivit immunem.* Quæ utique ſoli Virgini fuit ſingularis. Quia hoc non fecit ſanctificatio Jeremiæ, aut Joannis ; qui utique peccaverunt, ſed venialiter tantùm : ut deducit Auguſtinus tractans illud Joannis : *Si dicimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quia igitur hoc die ſuæ Conceptionis, primum ſuum honorem & ſingularem recepit. Unde ipſa Virgo MARIA hodie promota fuit ad ſtatum innocentiæ majorem, quàm Adam habuit ; quia facta eſt impeccabilis per gratiam : congruum eſt, quòd hoc etiam devotè recolens in ſuo præſervetur honore. Tertia, nam fœtus prægnantium in utero, meritis glorioſæ Virginis præſervabitur. Et eſt ratio ; quia Virgo glorioſa in utero ſuæ matris non ſolùm eſt in naturalibus illæſa cuſtodita, ſed etiam gratuitis inſignita. Quarta, quia talis in exitu animæ ſuæ à B. Virgine nunquam derelinquetur. Et eſt ratio ; quia quicumque recolit ſolemnia Matris Dei, ipſa in fine vitæ nunquam deſeret eum : ut in Canonico ſubmerſo, cujus animam corpori reſtituit ; & ille dignam agens pœnitentiam ad gaudia per ipſius ſervitium pervenit ſempiterna.

Secundò dicetur de pulchritudine ejus, ſcilicet naturali & morali : vel, ſi placet, poteſt fieri ſermo principalis ; & ſit thema : *Tota pulchra es.* Pro hujus puritatis atque pulchritudinis declaratione pono aliquas rationes doctrinales, quarum prima ſit iſta. Omnium vultuum humanorum, vultus Chriſti & vultus MARIÆ omni naturali & morali relucentiâ erant decentiſſimè & pulcherrimè ordinati. Quoad Chriſtum patet : nam Pſal. 44. ad litteram de Chriſto dicitur, *Speciosus formâ præ filiis hominum.* In Chaldaico autem ſic habetur, ut docet Magiſter Nicolaus de Lyra : *Pulchritudo tua, Rex Meſſia, major quàm filiorum hominum* ; & in declaratione ulteriori dicit, quòd ſpecioſitas optimè ſedet in Principe ; propter quod dicitur : Species Priami digna eſt Imperio. Fuit enim præ aliis Chriſtus ſpecioſus in corpore ; quia corpus ejus fuit formatum virtute Spiritûs ſancti, in cujus opere non poteſt eſſe error vel defectus. Similiter ex parte animæ : quia ab inſtanti creationis fuit repleta omnibus virtutibus & gratiis ; & ſecundùm quod dicitur Joannes 1. *Datus eſt ei Spiritus non ad menſuram.* Hinc fuit etiam gratioſiſſimus in verbis, Lucæ 10. *Mirabantur omnes in verbis quæ procedebant de ore ejus.* Et ideo in eodem Pſal. dicitur : *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* De B. Virgine etiam patet, per D. Alber-

Albertum Magnum, qui de pulchritudine Mariæ singularem & excellentem Tractatum composuit: ubi ponit ipsam valdè pulchram in facie, in capillis, & cæteris membris omnibus. Et quia miraculosè concepta est, Deus voluit in ea singularem relucere pulchritudinem & gratiositatem. Unde in Cantico: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et hoc quoad pulchritudinem naturalem. Et magna ejus gratiositas subinfertur: *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Et sic decuit ut Deus Pater præpararet Filio suo speciosissimo tabernaculum pulcherrimum; de quo tanquam sponsus procederet de thalamo suo, id est, de utero Virginali pulcherrimo. Item decuit Filium conferre Matri suæ omnem gratiositatem sibi possibilem: & per consequens decoravit eam omni pulchritudine interiori & exteriori.

Secunda ratio est ista. Quamvis primi parentes fuerunt pulcherrimi, non tamen tam moraliter ac virtuosè boni mores in eis relucebant: sicut in Virgine gloriosa. Prima pars patet; quia fuerunt à Deo immediatè, in cujus opere immediato non potest error cadere. Secunda pars patet: nam tam gratiosos mores habuit Virgo cum excellentissima pulchritudine, quòd nunquam aliquis potuit eam inordinatè concupiscere, sed ejus facies omnes traxit ad castitatem & devotionem; & meritò, quia solùm illi placuit qui est bonum infinitum, & qui ex ea incarnatus est; & illi soli & nulli alteri placere voluit. Ipsa enim exemplar fuit omnis virtutis & honestatis. Tertia propositio. Humilitas latuit ab intra in corde Mariæ: quæ est pulcherrimum velamen & fundamentum omnis pulchritudinis. Patet ista: nam cùm Angelus sibi annuntiaret Incarnationem Filii Dei in ea; ipsa respondit, quàm humillimè dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat, &c.* Et in alio loco ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sed heu in mulieribus temporis moderni, etsi reperitur pulchritudo corporalis, illa est cum magna superbia & abusione: & intendunt viros illicere moribus earum malis, vestibus & ornamentis; & procedunt tanquam hirci rudere volentes, elato capite, & cervice superba, in nullo se conformantes moribus Virginis gloriosæ.

Quarta regula est hæc: Maria fuit omnibus virtutibus moralibus, & similiter heroicâ excellentissimè repleta. Quare notandum quòd excellentia virtutum moralium consuevit virtus heroica appellari. Et dicitur, divina, propter excellentiam quâ facit transcendere communem bonitatem humanam; ut magis Dei vel Filii Dei vocetur, quàm hominum. Sicuti de Hectore dicitur, quòd erat optimus. Consistunt au-

tem virtutes istæ in optimè se habendo circa passiones: quod quadrupliciter contingit; aliquando scilicet se habere circa passiones. Quidã enim sunt qui à passionibus impugnantur, sed resistunt sicut columna contra lapidem: & isti nec vincunt nec vincuntur, sed sunt in continua pugna. Secundi sunt qui impugnantur & vincunt; sed cum magno labore. Tertii sunt qui impugnantur, sed vincunt faciliter sicut strenui bellatores, qui hostes fortiter prosternunt. Quarti sunt qui à passionibus impugnantur; sed ita suis dominantur passionibus, quòd ab eis nihil molesti patiuntur: & isti vocantur heroës vel heroici, eò quòd sint impassibiles suprà & contrà humanum modum. Et isti secundùm Dionysium & Jeronymum assimilantur Angelis. Et nullus potest dici heros, si careat aliqua virtute; unde aliqua dico notanda. Primum: quòd in Maria Virgine gloriosa fuit omnis virtus gratuita moralis. Patet; quia nunquam peccavit, immò peccare non potuit propter gratiam sibi tam singulariter à Deo concessam: & patet per B. Augustinum in de Perfectione Justitiæ. Secundum: quòd non omnis virtus in Maria fuit heroica. Patet; quia in ea fuerunt virtutes quæ non fuerunt circa passiones rectificandas: quia circa hoc consistit virtus heroica, ut prosternat passiones; sed in Maria non fuit hujusmodi prosternatio passionum, quia in ea non fuit rebellio carnis contra spiritum. Tertium: quòd perfectionaliter & eminenter in ea, sed non realiter, fuit omnis virtus heroica. Patet; quia fuit in gratia confirmata: & quidquid perfectionis est in aliqua virtute, totum fuit in ea; sed non fuit in eâ realiter & formaliter, quia sic includit imperfectionem propter passiones rectificandas, quæ consurgunt ex rebellione contrà spiritum. Quartum: perfectius est donum plenæ gratiæ quæ fuit in Maria, quàm donum justitiæ originalis quæ fuit in Adam. Patet; quia gratia fecit eam impeccabilem, & justitia originalis non fecit Adam impeccabilem: potuisset tamen non peccasse, quamvis peccaverit. Sed Maria non potuit peccare, immò propter gratiam sibi concessam, impossibile fuit ipsam posse vel potuisse peccare: sicut & de Angelis in gratia confirmatis Doctores sancti dicunt. Quintum: Maria excellebat omnem hominem citra Christum, in omni perfectione naturali, supernaturali & morali; patet ex dictis. Sextum. quamvis Maria habuerit omnes virutes morales in excellentia, non tamen modo communi, sicut cæteri homines; sed ex actuum frequentia. Patet; quia datæ sibi fuerunt in utero matris à Deo omnium virtutum species ad perficiendum actus: puta, charitas, & ad tenendum passiones subjugatas, non autem

ad

ad reſiſtendum paſſionibus; aliàs enim in ipſa fuiſſet pugna cum paſſionibus, & per conſequens fomes non eſſet extinctus. Et quamvis modo communi non acquiſierit, quia in inſtanti Conceptionis deſuper à Deo accepit infuſas: tamen poſteà nata ſecundùm illas, ſuas cœpit exerere vires, conando ſemper per ſuæ ætatis conditionem ſufficientiſſimè ad virtutum omnium incrementum & complementum. Et hoc modo acquirere virtutes eſt eligibiliùs multò, quàm abſque Dei prævétione ſpeciali ex naturalibus vel indole naturali incipere à pueritia pro poſſe ad virtutes conari: & ſic conádo & diſponendo ſe, virtutes & gratias à Deo conſequi. Et nota quòd virtus eò eſt dignificatior ſubiici, ne meritoria in quátùm dependet, vel effectivè procedit ex libertate creatæ voluntatis: ſed in quantùm à Deo producitur, & ſubjectum per ipſam Deo vel divinæ legi conformatur. Ergo ex eo effectu non oritur laudabilitas actûs virtuoſi, nec reſiſtentia vel difficultas in operando; ſed ex perfectione perfectiſſimæ charitatis ſeu dilectionis Dei in eligendo actu, oritur ejus dignitas & laudabilitas: & ita contingit, non habentem in operando difficultatem & contrarietatem, laudabiliori modo & eligibiliori virtutes acquirere, & quærere. Sicut contingit in viris perfectis, & heroicis, & in ſtatu innocentiæ; ubi etiam non fuit pugna cum paſſionibus, vel aliqua difficultas: & ſic Maria recepit virtutum plenitudinem in inſtanti ſuæ Conceptionis, & ſucceſſu temporis augendam. Sed Chriſto ſeu animæ Chriſti conceſſa eſt tota plenitudo gratiarum non augenda; & ſic Virgo glorioſa à prima ſanctificatione ſemper cernitur & facta eſt fœlicior: & etiam quando concepit Chriſtum, & deinde in die Pentecoſtes cum Apoſtolis, uſque ad ſuam Aſſumptionem. Si autem quæritur, an etiam dormiendo meruerit? Reſpondeo quòd ſic, Cant. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*: & ſic corde, ex ſupereffluenti charitate meruit quando dormivit. Ex hoc patet puritas & pulchritudo Virginis glorioſæ.

Quæritur de hac ſancta Conceptione, an ſubfuerit alicui fato? Reſpondeo: opinio Aſtrologorum eſt quòd inſtanti conceptionis Saturnus regnet ſuper embryonem, per unum menſem; deinde Jupiter. Mars poſtea, conſequenter Sol: deinde Venus, hinc Mercurius, poſteà Luna; & in octavo redit Saturnus, qui tunc plerumque naſcentes interficit. Sed iſta poſitio eſt vaniſſima, repugnans naturæ, Medicis & Phyſicis. Unde Albertus Magnus 9. de Animalibus, cap. 5. & Avicenna 3. communiter dicunt: Talis eſt operationis ordo naturæ in formatione embryonis; quæ, poſtquam materialia illa in loco convenienti debitè concurrerint, primò

mò fit ibi quaſi ſpumoſa ebullitio lactea, pro corde, cerebro & hepate formandis. In 2. operatione fiunt ibi guttæ rubeæ, & quaſi fila rubea, novem diebus. In 3. ſcilicet operatione, videlicet 16. die apparet tota maſſa quaſi ſanguis coagulatus. In 4. ſcilicet operatione, ſcilicet die 22. apparet totum caro; & tunc cognoſcuntur tria membra principalia. Dehinc dividitur caput à ſcapulis, & venter, & duo latera incipiunt ſenſibiliter cognoſci: & cæteris 40. diebus fit formatio corporis humani, & poſt quatuor menſes vel citra, incipit moveri. Ex hoc patet falſa opinio Aſtrologorum putantium per tantum tempus dominari Saturnum, qui eſt frigidus & ſiccus; cùm hujuſmodi formatio fiat à calore naturali, cujus eſt ſucceſſivè hujuſmodi ingroſſare, & in ſanguinem & in carnem convertere. Videmus enim manifeſtè in ovo, formationem pulli fieri calore avis excubantis: item grana projecta in terram non formantur in plantas virtute ſiccitatis & frigiditatis; ſed virtute calidi & humidi, ſine quibus non naſcuntur. Item ipſi habent videre, quomodo in menſe 2. Saturnus dimittat domũ ſuam: cùm ſæpè in 2. menſe ſit fortior quàm in primo. Reſpondeant etiam & dicant, quomodo in menſe 8. Saturnus fœtum mortificat, qui tunc eſt propè complementum ſuæ formationis, & in principio emiſſionis ſeminalis fœtum vivificat. Potiùs dicerem oppoſitum.

Et ideo iſta ſunt tanquam ſuperſtitioſa tenenda: & præcipuè & ſuper omnia in Conceptione hujus Virginis glorioſæ, quæ opere ſupernaturali, & de gratia Dei eſt concepta ſupra naturã, & ſupra omnem modum naturalem; immò contra naturam, quia miraculosè, ut ſuprà dictum eſt. Et ideo recepit à Patre potentiam naturalem ad opera virtutis contra infirmitatem, à Filio intellectũ habilem ad opera intelligentiæ & perſpicacitatis; & à Spiritu ſancto inſtinctum habitualem ad exercendum opera pietatis & benignitatis. Ex hoc, & non à conſtellationibus oriebatur indoles conceptæ & natæ Virginis glorioſæ. Immò in primo inſtanti ſui eſſe crevit ſecum miſeratio, & concrevit temperantia pudicitiæ virginalis: timor Dei, atque reverentia, atque omnium virtutum perfectio nobiliſſima; & ſic poſtea in actibus proceſſit pleniſſimis omnium virtutum floribus perornata. Sed prædicta in infantibus naturaliter natis non ſunt, ſed totum contrarium; & ideo oportet quòd parentes filios ſuos & filias caſtigent, & diſciplinent, donec ad adultam venerint ætatem.

Patet igitur, quòd hanc Virginem non infrigidavit Saturnus, ut eſſet torpida ad divinum officium. Nec Jupiter immiſit ardorem avaritiæ, nec Mars fervorem iracundiæ, nec Sol ambitionem dignitatis, nec Mercurius

rius immisit desiderium curiositatis, vel loquacitatis: nec Venus incendium luxuriæ, nec Luna dispendium inconstantiæ; nec Caput draconis fortunam exaltavit, nec cauda infortunavit: sed desuper divinitùs habuit à Deo Patre, quòd fuit ad templum fervidissima omnium, sexcluso tepore, & hoc contra Saturni desidiam. Item fuit piissima, nec non largissima, quia omnia bona parentum qui fuerunt ditissimi, dedit pauperibus: & hoc contra Jovis avaritiam. Tertiò, fuit clementissima atque benignissima, immò super omnia misericordissima & misericordiæ mater & gratiæ; & hoc contra Martis iram. Quartò, fuit humillima, immò humilitatis imago: & hoc contra Solis ambitionem. Quintò, fuit castissima, immò omnium virginum primiceria, quæ prima fuit quæ unquam castitatis votum in Judæa emisit. Dolebat enim puellæ in Judæa, quod Virgines debebant mori, dolebant & parentes; sed Virgo ista pulcherrima, virgo manere voluit, nec unquam in alicujus viri consensit cōcubitum: & hoc contra Veneris incontinentiam. Sextò, fuit tacentissima; nam ex Evangelio nisi septies eam reperimus fuisse locutam; & hoc brevissimè, contra Mercurii loquacitatem. Septimò, fuit constantissima, nam Apostolis omnibus cadentibus à Fide, ipsa mansit fidelissima; immò fides tunc mansit in sola hac Virgine gloriosâ: & hoc contra Lunam quæ est instabilissima. Ex hoc patet clarissimè, Virginem gloriosam nulli fato in sua Conceptione subfuisse. Sed revera timeo valde plures, imò plurimas virgines & fœminas præfatis proprietatibus malorum planetarum subfuisse, & subesse: quarum proprietates prædicator poterit assumere, & ex illis contra tales benè valebit prædicare, quas propter nimiam vitandam prolixitatem nunc omitto. Et hæc dicta sint de cōceptione naturali.

Secundò potest conceptio intelligi quoad legem moralem: & tunc respondeo, quòd etiam ejus Conceptio non subfuit alicui fato, & hoc ex triplici ejus privilegio. Primò, quia concepta est sine originali peccato; quod nunquam alicui homini taliter concepto concessum est. Secundum privilegium ejus est & notabile etiam: quòd sola Virgo MARIA inter omnes de sexu fœmineo in utero matris fuit sanctificata. Tertium: quòd sola hæc Virgo mox nata nullo sacrificio mundationis indiguit. Quocirca notandum, quòd sicut masculis data fuit Circumcisio, ita fœmellis data fuit ablatio aliqua sensibilis: aliàs enim fœmella ex Judæis nata, nunquam fuisset damnata pro solo peccato originali; quod non videtur verum, cùm sit Deus justissimus, gratiosiùs egisset cum puellis quàm cum masculis quoad deletionem culpæ originalis: quod non

apparet certum : cùm per fœminam primordialiter intravit hoc peccatum. Relinquitur ergo, quòd pro fœminis fiebat aliquod sacrificium Circumcisioni proportionale ; sed hoc sacrificio, quodcumque fuit, non indiguit Maria post ejus Nativitatem, pro deletione culpæ originalis: quia sanctè fuit nata secundùm omnem opinionem, & sanctè concepta secundùm quòd ex supra dictis patuit, & infra patebit. Tamen decuit ut hoc fieret ratione Legis vel consuetudinis, sicut in Christo qui voluit circumcidi : differenter tamen actum est ; quia Christo in circumcisione nec culpa dimittebatur, nec gratia infundebatur ; sed in Maria licet culpa etiam non dimitteretur, quam non habuit ; tamen gratia sanctificationis crevit, & augebatur, ut etiam suprà clariùs est expressum. Concordat Venerabilis Magister Henricus de Hassia, in Sermone de Assumptione Virginis benedictæ; & in tali sacrificio sibi fuit hoc nomen Maria impositum.

Sequuntur exemptiones IESV Christi & Virginis MARIÆ.

Hic ponam exemptiones Christi Dei, & Matris ejus à legibus quæ sequuntur. Prima lex est : Omnes ex propagatione natos filios esse iræ, vel filias. Patet ad Ephes. 2. & ad Roman. 7. :

2. Est, omnes homines in hac mortali vita pœnali subsunt miseriæ: Genes. 3.

3. Est, quòd mulieres fœtum cum dolore portant & pariunt, & cum corruptione concipiunt ; Gen. 3. capitulo.

4. Est, quòd statutum est omnem hominem semel mori. Ad Hæbr. 9. & ad Rom. 5.

5. Est, quâ constitutum est, omnia mortuorum corpora incinerari: Genes. 3.

6. Quòd constitutum est, omnem hominem ex mare & fœmina generari ; Genes. 2. & 7. capitulis.

Ab harum tributo est Christus exemptus, scilicet à prima, quia quatenus secundùm propagationem usque ad Matrem suam exclusivè natus est, & natus est Salvator mundi, & est Filius Dei, & Filius Virginis. Et ab ista lege etiam benedicta Mater ejus est exempta, quæ sine peccato

originali

originali est concepta & nata. Item exemptus est Christus à quinta, quia caro ejus non vidit corruptionem, Psal. 15. Item Virgo benedicta etiam ab ista lege est exempta, quia cum corpore & anima assumpta est in cœlum, ut clariùs dicetur infrà in Sermone de Assumptione ejusdem Virginis gloriosæ. A sexta solus Christus est exemptus, qui conceptus est de Spiritu sancto, secundùm quod canit Ecclesia; *Non ex virili semine, sed mystico spiramine.* Gloriosa autem Virgo à tertia est sola exempta, quæ sine gravedine portavit Filium suum, & sine dolore peperit. Unde Propheta: *Antequam parturiret, peperit.* Parturire est dolorem partûs sentire: & sine pollutione & corruptione concepit, Virgo in conceptu, & Virgo in partu, & Virgo post partum.

De Conceptione Sermo.

E*Gredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.* Isa. 9. c. Secundùm antiquam Paginam & sacram, Christus duorum patrum dicitur filius principaliter; scilicet David & Abraham, Matth. 1. cujus est ratio triplex. Prima: quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio; dictum enim fuit Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; quod Apostolus de Christo exponit, ad Galat. 3. dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus.* Non dicit, seminibus, quasi ex multis, sed semini tuo, quasi in uno, qui est Christus, id est, Messias. Ad David autem dictum est, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hinc Judæi Christum in die Palmarum gloriosè suscipientes dicebant Matth. 21. *O Sanctus filio David.*

Secunda ratio est hæc; quia Christus Rex erat & Propheta, & Sacerdos: Abraham Sacerdos fuit secundùm Doctores multos, & etiam secundùm Glossam, juxta illud Genes. 15. Dixit Dominus ad Abraham, *Sume vel accipe vaccam triennem, &c.* Fuit etiam Propheta Abraham, juxta illud Genes. 3. *Propheta est, & orabit pro te.* David autem Propheta fuit & Rex, qui fuit filius Jesse, unde egressa est virga, scilicet Virgo Maria.

Tertia ratio est; quia in Abraham incepit Circumcisio, in David autem maximè manifestata est Dei electio & amicitia, juxta illud 1. Reg. 14. *Inveni virum secundùm cor meum*; & ideo nunc specialiter dicit Propheta: *Egredietur virga de radice Iesse*, qui fuit pater David. Virgo Maria processit

cessit de radice ejus; & flos, scilicet Christus, ascendit secundùm humanitatem de radice eadem.

In quibus verbis Conceptio Virginis commendatur ex originis nobilitate regaliter relucentis. Unde notandum pro materia præsenti, quòd incipiendo ab origine mundi, dicam progressum Virginis MARIÆ, quæ non fuit de semine Cain pessimi, cujus etiam tota posteritas periit in diluvio: sed de semine Seth. Adam igitur cùm esset centum & 30. annorum, genuit Seth, qui Enos, qui Caynan, Malaleel, qui Jared, qui Enoch, hic vivens propter vitæ suæ sanctitatem translatus est in paradisum. Enoch verò genuit Mathusalem, qui Lamech, qui Noë, qui Sem: hic & Melchisedech sacerdos, & Rex Salem, quæ post Jerusalem dicta est. De istius sacerdotio dixit David ad Christum: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Sem centum annorum, qui jam dictus est, genuit Arfaxad, qui genuit Sale, quem Lucas vocat Caynan; qui Heber, qui Phalech, qui Saruth, qui Nachor, qui Thare. Et Thare 70. annorum genuit Abraham, qui Isaac, qui Jacob, qui Judam, qui Phares, qui Esron, qui Aminadab, qui Naasson, qui Salmon, qui Booz, qui Obed, qui Jesse, qui David Regem, qui Salomonem, qui Roboam, qui Abiam, qui Aza, qui Josaphat, qui Joram, qui Ozyam, qui Joathan, qui Achaz, qui Ezechiam, qui Manassen, qui Ammon, qui Josiam, qui Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et dicitur transmigratio, quia isti sponte se tradiderunt intrando Babylonem, & erant de domo Regia circiter duo millia; alii verò qui postea tracti sunt, dicuntur propriè captivitas. Indè & post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, qui Sorobabel, qui Abiud, qui Eliachym, qui Azor, qui Zadoch, qui Achym, qui Eliud, qui Eleazar, qui Mathan, qui Jacob, qui Joseph virum MARIÆ Genitricis Domini JESU Regis benedicti.

His visis, circa prædicta movebo quæstiones. Quarum prima est ista. Quid est, quòd Genealogia Virginis MARIÆ non ponitur, sed Joseph qui non fuit pater JESU? Quomodo ex hoc probatur quòd MARIA fuit ex radice Jesse?

Secunda ad idem sic: Aaron fuit de tribu Levi, ut dicitur Exod. 16. MARIA autem Mater Christi cognata fuit Elisabeth quæ fuit de tribu Aaron. Quomodo ergo dicemus MARIAM de tribu Juda & David? Respondeo, quòd Virgo MARIA fuit de tribu Juda & David, juxta illud quod canit tota Romana Ecclesia: *Nativitas gloriosæ Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ;*

Abrahæ; orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David. Et etiam: *Regali ex progenie MARIA exorta refulget.* Quamvis aliqui magni etiam hîc erraverint Ordinis nostri qui in scriptis reliquerunt, Christum non fuisse ex progenie regali. Et est eorum ratio, Christus, inquiunt, non fuit de semine Machabæorum, qui fuerunt Reges, ut Aristobolus & alii: quia M. CCCC. annis non habebant Reges, & tunc imposuerunt sibi diademata, ut est in libro Machabæorum; sed isti non viderunt perfectè textus Bibliæ, nec fundamenta Scripturæ in hac materia: Nam non sequitur iste non est de semine Regis Angliæ: ergo iste non est Rex, demonstrato aliquo qui sit filius Regis Franciæ. Et certum est quòd Machabæi de progenie sacerdotum, & non de tribu Juda fuerunt; sed Christus fuit de Juda, & de semine David, & ideo dicendum secundùm Jeronymum quòd Joseph & MARIA fuerunt de eadem tribu, & ideo ut propinquam ipsam ducere cogebatur. Et non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum nomina ponantur, sed tantum virorum, qui sunt de eadem cognitione. Ad secundùm dicendum, secundùm Gregorium Nazianzenum, quòd Christus fuit etiam de tribu Sacerdotali, ut esset Rex & sacerdos: vel secundùm B. Augustinum, contra Faustum: si Joachim Pater MARIÆ fuit de stirpe Aaron, tunc dicendum quòd Mater Joachim fuit de stirpe David Regis.

Secunda quæstio, utrum decens fuit Christum nasci debere de nobili progenie. Respondeo, quòd tria genera personarum nobilium processerunt in antiqua lege, à quibus procedentes, nobiles dicebantur. Primò Patriarchæ, & Sacerdotes. Secundò, Prophetæ. Tertiò, Reges: Christus autem quia futurus erat sacerdos, ideo sibi dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* Futurus etiam erat Propheta, quia de eo dictum Deuteron. 18. *Prophetam suscitabo tibi de fratribus tuis, ipsum tanquam me audietis: qui non audierit eum, ego ultor existam.* Immò ipse fuit Propheta, de quo omnes Prophetæ præloquuti sunt, & finis omnium Prophetarum: fuit etiam Rex futurus, juxta illud Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, scilicet Patre meo. Ad Hæbræos 1. *Quem constituit hæredem universorum.* Unde Pilato quærenti, si Rex esset; respondit affirmativè: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Debuit igitur Christus ex hac triplici nobili progenie originem ducere: quia secundùm carnem descendit ex semine Abrahæ, qui fuit Patriarcha & sacerdos. Item ex stirpe Davidica & Prophetali, & Regali, nam David fuit Rex & Propheta. Unde Spiritu sancto inspirante factum est, quòd tres Evangelistæ Christum, quantùm ad humanam naturam notificare volentes, sumpserunt ordinem istum

in ſuis Evangeliis incipientes ſic: Nam Matthæus incepit à ſemine regali, dicens ſic: *Liber generationis IESV Chriſti Filii David.* Et iſtud eſt contra omnes qui dicunt Chriſtum non eſſe natum ex ſemine regali, contra quos dixi in quæſtione præcedenti: nam ſi Chriſtus non eſſet de ſemine David, vel mentirentur Prophetæ, ut Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Item Michææ, cap. 5. *Et tu Bethleem terra Iuda: ex te exiet Dux.* Item mentirentur Matthæus, & tota Eccleſia Romana, vel Chriſtus adhuc eſſet naſciturus; utrumque eſt contra fidem. Taceant ergo iſti, & errorem commutent in mœrorem. Marcus à Prophetali incipit dicens: *Initium Evangelii IESV Chriſti*, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta. Lucas autem à ſacerdotio, & ſacrificio ſacerdotali, dicens: *Fuit in diebus Herodis Regis ſacerdos quidam nomine Zacharias.*

Tertia quæſtio: Utrum debuerit naſci de ſtirpe David regis? Reſpondeo: quamvis reſponſio pateat ex ſupradictis, tamen adhuc duplex reſponſio ad hoc aſſignatur. Prima eſt propter promiſſionis impletionem. Secunda propter myſticam ſignificationem. Quoad primum notandum, quòd quidam dixerunt, quòd Chriſtus non debuit naſci ex progenie David propter adulterium, & homicidium quod commiſit: quia congruum non erat, ut innocentiſſimus homo, & optimus deberet deſcendere de ſemine tanti peccatoris, ac ſi ex juſtitia progenitorum Chriſtus naſci deberet. Ut ergo promiſſio Dei impleretur, non obſtante peccato, congruum fuit Chriſtum de David progenie naſciturum: & hanc rationem innuit ipſemet Propheta David, Pſal. 50. dicens: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis.* Id eſt, ut promiſſio tua jam facta impleatur, prout decet tuam veritatem, *& vincas cùm judicaris*; contrarium faciendo illius quod de te judicatur à multis, ſcilicet promiſſio jam facta quòd ſit per te retractata. Et nota, quòd in Hebræo dicitur, *& mundaberis cùm judicaris*, hoc eſt, apparebis mundus adimplendo promiſſum, cùm tamen de te à multis contrarium judicetur modo prædicto. Dicit ergo ſic David: Ego David peccavi coram te, & quamvis tibi tanquam judici peccaverim, tamen precor te ne mea reſpiciendo peccata, promiſſiones tuas mihi de te factas implere digneris. Et hæc eſt ratio prima. Secunda ratio eſt, propter myſticam ſignificationem. Nam David ſignificat manu fortis, & ſignificata Chriſtum Filium ſuum, qui eſt fortiſſimus, Iſaiæ 9. *Parvulus natus eſt nobis, &c.* Et: *Vocabitur Deus fortis, &c.* Nam ſicuti David qui fuit parvus valdè in conſpectu Leonis, & Goliæ gigantis, & tamen leonem interfecit, & Gigantem, fortiſſimos, quod

quod nullus credidiſſet: ſic Chriſtus manſuetus, parvus, & humilis, luciferum interfecit, & ſathanam, & omnem dæmonum potentiam ſubjugavit.

Quarta quæſtio: Utrum filii ſint parentibus nobiliores? Reſpondeo ſecundùm Ariſtotelem, quòd nobilitas non eſt aliud materialiter quàm divitiarum progenitorum antiquitas; Sed formaliter eſt progenitorum virtuoſitas. Et utroque modo filii ſunt parentibus nobiliores, quia quantò eſt major à ſtipite diſtantia, tantò eſt major nobilitas ex divitiis. Et hoc etiam dicitur 1. Policior. Quòd nobilitas eſt major longè facta, quàm prope. Et ſic etiam pariformiter dicendum eſt de nobilitate morum & virtutum. Et quantò fuerint plures intermedii virtuſiores, tantò magis diſtantes virtuſiores erunt propter aſſuefactionem virtutum. Et ſic quoad virtutes Maria fuit nobilior parentibus ſuis, prout ſuperiùs eſt magis expreſſum: quæ etiam in relictione divitiarum omnes ſuos parentes mirabiliter exceſſit, quia omnia bona ſua à parentibus relicta pauperibus deſtribuit; & voluntariè paupercula omnibus divitibus ſimul & pauperibus, exemplum veræ paupertatis reliquit. Jesus autem Filius ejus omnes exceſſit, quoniam eſt dator omnium munerum naturalium, & gratuitarum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & regnat in ſæcula. Amen.

Sermo Magiſtri Gerardi Rondelli Canonici Leodien. Sacræ Theologiæ Doctoris, de Conceptione B. Virginis, coram Doctoribus, & Vniverſitate Pariſienſi factus.

Vaſi aurora conſurgens. Scripta ſunt hæc verba originaliter Cantic. 6. capitulo : recitativè vero in officio præſentis feſtivitatis. Reverendi Patres, ſapientiſſimique viri, ſicut aurora, luce rutilante, ſol ipſe corporalis incipit per luſtrare emiſpheriũ mundi ſuperiùs, noctis præcedentis tenebras longiùs depulſans ; ſic immenſa lux juſtitiæ ſol, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joannis primo ; emiſpherium ſuperiùs intelligentiæ noſtræ, depulſis peccatorum tenebris, ſuæ gratiæ lumine radiat, perficit, atque clarificat ; ſine qua radiatione ſpirituali, ea ſcilicet, quæ Dei ſunt, intellectu noſtro capi non poſſe, manifeſtum eſt, ut notavit egregius Doctor Origines ſuper Cantica. Ea propter, ut intelligentiæ noſtræ divinæ gratiæ lumine, in lucis aurora valeant illuſtrari ; ad devotè capiendum laudes & præconia hujus ſacratiſſimæ feſtivitatis, exorantes recurrimus ad intemeratam Dei Genitricem, quæ hodierna die progreditur quaſi aurora conſurgens ; perfecta, ut luna, electa, ut ſol : ipſamque devotè ſalutemus dicentes mente piâ : Ave MARIA, gratiâ plena.

Quaſi

Quasi aurora consurgens. Scriptum est ubi supra extitit allegatum: Reverendi Patres, doctissimique viri, hodiernæ diei sacratissima festivitas divinis laudibus, & obsequiis nos admonet intentos existere: in qua autor mirabilium Deus, æternæ prædestinationis arcanum, & promissionis suæ veritatem, per beatissimam Virginem in benedicta sua Conceptione mundo voluit reserare. Omnibus igitur votis animi amplectenda sunt gaudia, quæ MARIÆ Conceptionem festivam faciunt, ut non solùm portemus ea in corpore; sed, & mentis affectu interiùs, ac foris attestatione bonorum operum prosequamur. Sed quæ potest, quæso, major esse spiritualium gaudiorum materia, quàm nostræ redemptionis arram suscepisse, quâ paternæ prævaricationis delictum abluerit; repararet innocentiam; placaret iram districti judicis, aperiret portam cœli, & captivis conferret libertatem? In ipsa enim omnis gratia viæ & veritatis; in ipsa omnis spes vitæ, & virtutis. Non talis profectò mater illa, quæ super faciem universæ terræ decretum maledictionis, & væ quadrifarium adduxit, quo præmuntur omnes filii Adam à die ortûs sui usque in diem sepulturæ. Quòd siquis horum væ non recolit, videamus. Primum væ, quo per Evam damnata est humana posteritas, suggerit nobis languor corruptionis corporeæ. Secundum væ, temporalium præsuram molestiæ demonstrant. Tertium væ, occulti hostis insidiæ manifestant. Quartum væ, extremæ ultionis angustiæ necessario concludunt. O Eva mater impia! quæ filios & filias tuas antè necas, quàm parias. Ut quid hoc fecisti? Quare induxisti super te, & super eos peccatum grande? Sed ad te, ô Beatissima Virgo, respiciunt ruinæ istius levamina, quæ jam olim in Lege, & Prophetis repromissa, signis multiplicibus perostensa es, ut in tuam Conceptionem spem veniæ peccatores ponerent, & ex promissione jam facta de te, patientiùs suæ miseriæ cumulum tolerarent. Sed, & hodie summâ lætitiâ gaudere debent, cùm videant, quòd pro eorum redemptione progrederis quasi aurora consurgens; quæ fuerunt verba vestris dominationibus à principio præsentata.

In quibus quidem verbis, Reverendi Patres, duo considerare possumus: Nam primò tangitur Dei Genitricis claritas admiranda, cùm dicitur: *quasi aurora*; subjungitur ejus immunitas ab omni culpæ macula: *quasi aurora consurgens.* Primum potest summa perfectionis pulchritudo, de qua fœliciter adornatur, quasi aurora. Secundum probat summa ejus puritas, quâ fugatur omnis culpæ tenebra: quia, *quasi aurora consurgens.* De primo scriptum secundo Regum 23. *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque*

alſque nubibus rutilat Ecce perfectionis atque pulchritudinis præclaritas. De ſecundo Iſaias in ſpiritu prævidens hanc benedictam conditionem exclamabat, dicens: *Conſurge, conſurge induere fortitudine tua Syon: induere veſtimentis gloriæ tuæ*, Iſaiæ 52. Verum, quia ut inquit antiquus ille Poëta Lucanus: nihil quod texitur ordine longum, congruum eſſe ſentitur; hinc eſt, quòd pro nunc ſpretâ vocum multiplici concordiâ, dimiſſâque verborum curioſitate, ad materiam præſentis ſolemnitatis breviſſimè tranſeamus, præſentem Sermonem in duas conſiderationes breves perſtringentes. Prima erit de ipſius Beatiſſimæ Virginis perfectionis pulchritudine ad auroram comparata. Secunda declarabit beatam ejus Conceptionem immunem fuiſſe à quavis originali macula.

Quantùm igitur ad primum, Reverendi Patres, doctiſſimique viri, inter omnes horarum varietates, quas mundo ſtellifer orbis inquieta ſui revolutione per diei ſimul ac noctis viciſſitudines effecit; nulla eſt gratior hora; nulla ſuavior; nulla ſerenior; nulla cunctis mortalibus, imo univerſis prope modum rebus jocundior, ac deſiderantior; quàm illa, quæ de cubiculo noctis conſurgens aurora, tetræ noctis horrore depulſo, terris ore purpureo diem, ſolemque revehit, atque reducit. Sed nunc paucas ipſius auroræ proprietates, quibus adeò redditur commendanda, ſummatim breviterquæ numeremus. In primis aurora cum fertilitate multimoda, cum ameniſſima temperie, cæteras diei partes longè nimis antecelllit. Ob hoc in proportione horarum diei ad anni tempora, veri non ſine merito comparatur, ut meridies æſtati, autumnus veſpero, nox hyemi. Quemadmodum enim ſub verno tempore roſa, floreſque reliqui ex omni parentis terræ viſceribus in apertum prodeuntes verſicoloribus eam ornantibus operiunt, quos antea id agere hyemis inclementia vetuerat; ita ſub auroræ ortu id ipſi flores priùs noctis aſperitate concluſi, ſe explicant; & quaſi demiſſos in terram vultus, attolere incipiunt. Quod notavit Ovidius 2. de transformatione auroræ, ſic originem ediſſerens: *Pervigil interea nitido patefecit ab ortu: purpureos aurora florum, & plena roſarum atria.* Obinde etiam propter ſanguinis, ut dicunt, dominium ſomnus in hac hora ſuavior, & magis quietus illabitur; ægri levamen dolorum, & morbi refrigerium percipiunt; & volucrum ſupergrata demulcet hilaritas: quaſi pro tunc angelicam paulo minùs armoniam modulari dulci carmine credamus. Amplius: hoc habet aurora proprium: quòd de tenebris exorta, nullas prorsùs tenebras admittit, ſed quamprimum ſurgere cœpit, à ſe quaque versùm fugat, & abigit; ac aureum cœlum rutilando

lando demonſtrat: Unde & ab auro nomen ſortita eſt: aurora, quaſi hora aurea, propter auri ſplendorem, quem prætendit. Ortum quoque ſolis antevenit, licet ab eo poſtea venturo fontale luminis ſui principium mutuetur. Quas auroræ qualitates Statius in Thebaida pulchrè, nec minus diſſertè complexus eſt, cùm inquit: *Expulerat cœlo gelidas aurora tenebras, &c.* Demum naturam auroræ fore compertum eſt, ut fures effugiant, inſidias perdit, tollit metum, ſecuritatem parat, rebuſque ſingulis ad ultimum decorem proprium reſtituit. Hinc de malis, qui lucem oderunt per B. Job dicitur 24. *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitratur umbram mortis.*

Ad propoſitum, Reverendi Patres, non arbitror opus eſſe ut multùm laborem, ad oſtendēdum quàm pulchrè, quam propriè, quàm congruentèr auroræ conditiones ſupradictæ, ad MARIAM valeant adaptari. Et in primis, fabricaror ille cœleſtis, & Opifex rerum, qui fabricatus eſt auroram, & ſolem, Virginem Beatiſſimam, quam ſibi ante tempora Genitricem delegerat, ut auroram perlucidam ab omni ſorde, macula, vitio, vel caligine liberam, & puriſſimam condiderit: & à ſummo manè ſuæ originis, aut Conceptûs gratuitum ſibi lumen, quo nebulas omnium ſcelerum & vitaret ſimul & vinceret, infuderit. Hæc itaque clara, hæc pulchra, hæc verè ſplendida aurora, veri ſolis prænuntia, parùm dixi, imo & bajula, quæ de tenebris exorta ſinagogæ; nullâ unquam caligine fuſcata eſt: providente atque id agente eodem ipſo ſole juſtitiæ, qui ex ea naſciturus erat, ut lux ſua tenebris eluceret, quoniam & tenebræ non comprehenderunt eam: quoniam, ut ante allegatum extiterat, ſicut lux auroræ oriente ſole mane abſque nubibus rutilat. Iſta namque fœlix aurora divinæ gratiæ inchoavit, lucem veritatis perfudit, & mundum illuminavit, errorum tenebras fugavit, & ſolem juſtitiæ Chriſtum, ſicut mater filium, præceſſit; & adventum ipſius annuntiavit, teſte B. Bernardo, qui ait: Sicut aurora valdè rutilans in mundum progreſſa es, ô MARIA, quæ veri ſolis ſplendorem percurriſti, ut verè diem ſalutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus tuâ claritate nuntiares. Sicque manifeſtum eſt, quòd fœlix MARIA multipliciter aurora cenſetur. Primò: propter abſeſſum noctis culpæ. Secundò: propter progreſſum gratiæ. Tertiò: propter ortum ſolis juſtitiæ. Quartò: propter locum ſedis gloriæ. Primum fuit, in ſua benedicta Conceptione. Secundum, in clariſſima ejus converſatione. Tertium, in mirabiliſſima Filii ſui generatione. Quartum, in beatiſſima ejus glorificatione. Sicut namque lux auroræ progredi-

tur

tur crescendo in claritate; sic MARIA progrediebatur perficiendo in charitate, ac cœteris virtutibus, de quibus Bernardus, sic inquit: *Fervebat inquirendo gratiam charitatis MARIA: splendebat in carne virtuositas, & in obsequiis humilitas eminebat. Harum itaque virtutum claritate MARIA fuit quasi aurora consurgens rutilanti virginitate; pulchra, ut luna immicanti humilitate; electa, ut sol irradianti claritate. O quàm pulchra est ascensio tua quasi aurora consurgens, Virgo beatissima! quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! Cantic. 7. Tota pulchra es, & decora filia Hierusalem. Tota pulchra es exteriùs: tota pulchra es interiùs; & sic tota pulchra per totum. O fœlix fœmina inter cunctas benedicta, cujus uterus fuit reclinatorium Dei, templum Spiritus sancti, lectus eburneus Christi, thalamus majestatis divinæ, triclinium Regis fœlicitatis æternæ! Quantæ sanctitatis putabamus animam tuam, ô Beatissima, quæ ad imaginem Dei condita, & sacrata consistit, cùm caro tua tantùm placuerit Creatori, ut ex ea sibi faceret pallium laudis, loricam victoriosi certaminis: ut per illam de mortis auctore triumpharet invictus, & humanum redimeret genus. O tota pulchra, & tota formosa, tota delectabilis! Tu tota gloriosa, & maculâ nullâ suscaris, sed omni decore vestiris, omni sanctitate ditaris: super omnes Virgines pulchra in carne: super omnes Angelos, & Archangelos sancta in mente, cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis; superas Angelos universos excellentiâ sanctitatis.* Hæc Bernardus. Unde, & de pulchritudine carnis manifestat, cùm ipsa super omnes mulieres nobilissimam habuerit complexionem, nobilissimam atque decentissimam phisonomiam, & per consequens supremam post Christum pulchritudinem, sicut declarat per multas rationes Venerabilis Albertus Magnus in de Laudibus Virginis. Sed de ejus sanctitate suprema post Christum non licet dubitare, cùm ipsa Mater Dei electa fuit.

Meritò ergo cunctas fœminas vincit pulchritudine carnis, & Angelos superat excellentiâ sanctitatis. Unde utramque, pulchritudinem, scilicet, mentis & corporis manifestant duodecim ejus privilegia, quibus existit singulariter prædotata; de quibus Joannes in Apolypsi, sic inquit: *Vidi mulierem amictam sole, & in capite ejus coronam stellarum duodecim*, cap. 12. Quibus dantur intelligi ejus duodecim privilegia. Quorum primum est, immunitas à peccato tam de esse, quàm de posibili: non tamen per naturam, sed gratiæ plenitudine; & hoc magis in secundo declarabitur. Secundum fuit: quòd in quolibet motu liberi arbitrii merebatur: quoniam cùm ipsa maximam gratiam habuerit, manifestum est ipsam adimpleviſſe consilium Apostoli primo ad Corinthios 10. *Sive manducatis, sive bibitis*

bitis sive quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite. Tertium est puritas in summo, quam habuit Beatissima Virgo: quoniam, ut inquit Anselmus: *Decens nempè erat, ut eâ puritate, quâ sub Deo major nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Est namque puritas summa, ad primam lucem quantum possibile est puræ creaturæ Deiformis appropinquatio, quæ fit per maximam gratiam puræ creaturæ possibilem. Quartum est: quòd ipsa est Mater Dei, quod est suprema gratia creaturæ puræ non unitæ Verbo possibilis communicari, cùm ipsa includit filiationem adoptionis, nec hæc stat de lege sine maxima gratia. Quintum est: quòd ipsa est Mater, & Virgo. Sextum: quòd ipsa est Virgo Virginum. Septimum est: quòd ipsa est mater omnium; mater dico, vel generatione, curâ, dignitate, vel prioritate. Octavum: quòd ipsa est stella maris: unde de ipsa cantat Ecclesia: *Ave maris stella.* Nonum: quòd ipsa est porta cœli: quoniam per ipsam constat homines sibi devotos cœlum intrare. Decimum est: communicatio passionis Christi: nam in Cantico de ipsa dicitur: *Et tuam animam pertransibit gladius.* Undecimum: quòd super omnem creaturam est exaltata, nam de ipsa cantat Ecclesia: quod ipsa exaltata est super omnes choros Angelorum. Duodecimum: quòd est mater misericordiæ: unde Isaiæ 10. dicitur: *Et appropriabit in misericordia solium suum*; quod de Virgine exponitur. Videte igitur quantæ perfectionis, & excellentiæ, quantæ pulchritudinis mirificæ est ipsa, quæ consurgens quasi aurora, pulchra est, ut luna, electa ut sol. Unde de pulchritudine ejus corporali pono tres propositiones.

Prima propositio. Beatissimæ Dei Genitricis vultus, sive facies objectis relucentia erat, maximè ad spiritualia suspensiva, & ad virtutes hortativa, sive inclinativa. Patet ratione nobilissimi influxûs objectalis apparentiæ, & compositionis vultûs ipsius: quia influxio insequitur nobilitatem complexionis, & phisonomiæ: modo ipsam nobilissimam complexionem post Christum, ac nobilissimam phisonomiam dicitur habuisse, ut dictum est. Tum secundo, quoniam decuit eam habere faciem optimè passionativam, sive inclinantem ad pietatem, misericordiam, humilitatem & hujusmodi, cùm ipsa dicatur ex privilegio singulari, Mater gratiæ, ut ante dictum est. Secunda propositio: Omnium vultuum humanorũ vultus Christi, & Virginis glorioſæ mortali relucentia fuerunt pulcherrimi. Patet: quia erant nobilissimi vigoris objectalis inclinativi ad omnem virtutem, honestatem, & morum compositionem; & hujusmodi utiles passiones sunt. Patet primo de Christo, de quo ad litteram

ſcriptum eſt Pſalm. 43. *Speciosus formâ præ filiis hominum*. Sed de B. Virgine patet: quia aliàs non videretur habuiſſe omnis gratiæ pulchritudinem, nec in ea fuiſſet omnis generoſitatis nitor alicui Virgini poſſibilis; quod eſt contra Anſelmum. Congrua ergo fuit ſupremæ pulchritudinis ac mortalis honeſtatis relucentia Beatiſſimæ Virgini communicata. Primò, ad ſui commendationem, ut naturam perficeret, & contraria augmentaret: quia forma pudicitiæ rara, ſed apta comes. Secundò, ad noſtram ædificationem, & devotionem excitandam: pulchra eſt enim caſta generatio cum charitate. Ex quo arguitur etiam humilitas Virginis perfectior exiſtens. Tertia propoſitio. Non eſt poſſibilis naturaliter tam rapiens ad ſpiritualia vocum conſonantia, ſicut erat vultus Chriſti, & Virginis relucentia, vel objectalis apparentia; quoniam videmus clarè quòd majorem vim objectaliter immutandi habent imagines, & picturæ, quàm muſicales ſonantiæ: ex hac radice quoniam fortior eſt impreſſio ſecundùm viſum; & expreſſior & penetrabilior ad intra, quàm ſecundùm auditum, & efficaciùs monent ad honeſtatem, vel turpitudinem, quàm ſonorum conſonantiæ, vel diſſonantiæ; & per conſequens effigies vivæ adhuc fortiùs immutabunt, cùm nobiliores ſint, quàm imagines, vel picturæ. Ex iſtis ſequitur conſideratio moralis, videlicet: quòd magis ſunt cavendæ in republica imagines laſcivæ picturarum, quàm laſciviæ melodiarum. Patet: quia habent majorem vim objectalem immutandi ad paſſiones malas, quàm laſciviæ melodiarum, ut patet ex dictis. Ex quo patet ultimò: quòd multùm refert ad bonos mores talis, vel talis veſtium diſpoſitio, vel figura: quia exinde primò venit occaſio magna honeſtatis, vel inhoneſtatis in republica. Ex quibus ſequitur ſecunda conſideratio: quòd legiſlatores ſpeciali ſollicitudine tenentur intelligere circa hujuſmodi veſtes honeſtas, vel inhoneſtas, & alia ornamenta exteriora. Unde laſcivia veſtium & pompa multùm eſt reprehenſibilis in viris Eccleſiaſticis, quia aliis exemplum bonæ vitæ debent præbere. Patet conſideratio: quoniam ex quo plus movent ad bonos mores, vel malos, quàm conſonantiæ muſicæ, circa quos tamen oportet legiſlatores ſollicitos eſſe, ut inquit Boëtius primo Muſicæ ſuæ, eo quod mirabiliter ſunt paſſionum diverſarum inductivæ: ergo à fortiori in propoſito debent legiſlatores providere, nedum circa imagines, ſed circa veſtes, ornamenta, & geſtus multiplices, quæ promovent, vel impediunt honeſtatem moralem. Et hæc de conſiderationibus iſtis, quæ fundantur in pulchritudine Virginis ad auroram comparata; & per conſequens de

prima

prima conſideratione totali ſufficiant.

Supereſt nunc, Reverendi Patres, doctiſſimique viri, ſecunda conſideratio noſtra principalis, quæ pro poſſe declarabit, Beatiſſimam Virginem in ejus benedicta Conceptione immunem fuiſſe à quavis originali ſordicie. Sanè quamvis Virginei Conceptûs impolluta ſinceritas à pleriſque ingenuis ac diſſertiſſimus viris pluries eleganter monſtrata ſit: congruum tamen mihi videtur, & expedire negotio, ſi majorum de lõginquo imitatus veſtigia, pauca quædam, quantùm parvitas intelligentiæ meæ præviderit, de hac ipſa materia perſtrinxero. Et in primis: primum hoc certum habemus, in quo & adverſarii nobiſcum conveniunt, videlicet: Chriſtum ab originali Matrem præſervare potuiſſe. Quid ergo cauſæ extitit quominus idem efficeret, ut aſſerunt? Alteram credo duarum cauſarum obſtitiſſe, dicturi ſunt. Aut primò: quoniam Chriſto, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, perinde videtur æquari; quod fieri non decuit. Aut ſecundò: quoniam lex univerſalis, & ſingula complectens de hujuſmodi maculæ contractu lata erat, nullâ exceptione, quâ Virginem eximeret, adjectâ. Sed nunc quanta vis utriuſque rationis exiſtat, Doctiſſimi viri, ſi placet, diſcutiamus.

Primam ſi quidem nihil convincere nulli venit in dubium: quoniam pari ex fundamento contenderent Virginem Beatiſſimam fuiſſe culpâ veniali, imo & mortali crimine, atque in cinerem reſolutione obnoxiam; ne, ſcilicet, Chriſto ſimilis eſſet, qui nihil tale commiſit, aut paſſus eſt. Præterea, quo pacto propter originalis immunitatem Chriſto diceretur æquari; nunquid obinde beata foret ab inſtanti ſuæ Conceptionis? Profectò non. Sed numquid confeſtim eo ipſo in perſonæ unitatem à Verbo aſſumpta? Numquid humani generis reparatrix, ac redemptrix appellanda? Profectò minimè. Sed ipſa adhuc & redemptione, quomodo cæteri, & opere Mediatoris eguiſſet; conſequenter verò quid valeat eorum ſecunda ratio videamus. Lex, inquiunt, data eſt generalis, nullâ prorsùs exceptione factâ; ſi ergo nulla ſit exceptio; quid ergo Chriſtum eximunt, ſi nullam exceptionem velint admittere? Cur Regem excipiunt, & non Reginam? cùm tamen eiſdem privilegiis gaudent Imperatrix, & Regina, quibus gaudent Rex, & Imperator? Unde lex: *Auguſtus namque legibus ſolutus eſt; privilegiata Auguſta*, notatur ff. de le. Senatuſque conſultus, lege Princeps. Præterea, de ipſa in figura ſcriptum eſt Heſter 15. *Non propter Heſter hæc lex poſita eſt, ſed propter reliquos.* Ampliùs: & aliam ex litteræ contextu expreſſam, & Virgini congruentiſſimam trahere poſ-

ſumus exceptionem. Legimus ſiquidem in Geneſi, quòd dum Conditor Orbis Prothoparentibus tranſgreſſis pœnas mandati ſtatuens pro ſe ſuiſque poſteris, qui ab eis originale vitium traducerent, contra mulierem hanc prætuliſſe ſententiam: *Multiplicabo*, inquit, *ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos.* Ubi jam deprecor, inſiſtamus; mentis aciem attentè figamus. Licet itaque quærere: an Virgo beatiſſima hiis pœnis ſubjacuerit, an ne? Quod ſi quidem annuerint hiis eam ſubjaceuiſſe pœnis, profectò non ſanè videretur in Fide ſapere; cùm de ipſa cantet Eccleſia: *Neſciens mater Virgo virum, peperit ſine dolore Salvatorem ſæculorum.* Et Auguſtinus in Sermone de Aſſumptione: *Præciſum eſt*, inquit, *in MARIA illud Evæ infœlicitatis eulogium quo dicitur: in triſtitia paries filios.* Denique eam fuiſſe ab omni lege carnis, atque putredinis abſolutam, idem ipſe Auguſtinus, non ſolùm aſſerit, verùm quamplurimis, & efficacibus argumentis edocet, declarat, & oſtendit: quæ nimis longum eſſet hîc ennarrare. Si vero (quod magis puto ſponte confiteantur) eam ab hiis penitùs ærumnis alienam; nonne conſequens eſt ut ipſam ab eo liberent vitio, propter quod cæteris hujuſmodi ſupplicia infliguntur, quòd originale peccatum fore, nulli dubium eſt? Coarctat igitur undique neceſſitas rationis, aut, ut eam pœnis memoratis, ac ærumnis ſubiiciant, ſi peccaſſe eam confiteantur, aut prorsùs criminis abſolvant, ſi calamitates hujuſmodi effugiſſe pronuntiant, ſicut neceſſe eſt confiteri.

Prætere: i Auguſtini ratio potiſſima convincat, qui probat ejus immunitatem à putredine carnis: ſic & ratio de immunitate ab originali peccato profectò valebit, cùm uſquaque perſimilis exiſtat. Arguit namque egregius Doctor Auguſtinus, ſic: *Putredo*, inquit, *& vermis, opprobrium eſt humanæ conditionis, à quo opprobrio cùm Chriſtus IESVS ſit alienus, MARIÆ natura excipitur, quam Chriſtus de ea ſuſcepiſſe probatur: caro enim IESV caro eſt MARIÆ.* Advertite, quæſo, Doctiſſimi Patres. Si putredo, ſive vermis humanæ conditionis opprobrium ſit ſicut Doctor illuſtris, & præclariſſimus ait; quantò multiplicius, peccatum quod naturam ipſam, ut idem alibi declarat, vitiat, & corrumpit, atque ex eo ingentius, quo anima, quam polluit, præſtantior eſt corpore? Si ergo à putredinis, & vermis contagione MARIÆ natura propter individuam cum Chriſto connexionem excipitur, quantò magis à peccati fœditate cenſenda eſt extranea? Inſuper ejuſdem Doctoris ad idem teſtimonium, nec minus validum accipite in ſermone quodam pulcherrimo de ipſius Virginis Nativitate, ſub hoc verborum ſono conſcriptum: *Nulli denique dubium eſt,*

caſtiſ-

castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus funditùs ab omni fuisse macula peccati, jugi Angelorum custodiâ protecta, utpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, & ex qua hominem in suæ personæ unitatem ineffabili fuerat operatione susceptorus. Quid enim hâc expressiùs sententiâ? Quid lucidiùs, quidve aptiùs dici potest? Certè nihil. Denique accedat vulgata ejus auctoritas, in lib. de Natura & Gratia; ubi sic inquit: *Excepta*, inquit, *Sanctâ Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem: scimus enim quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Ecce clara adeo res est, ut etiam & manu propriâ tractari possit. Nec adversantium calumnia quid efficaciæ habet, quâ non de originali, sed de actuali dumtaxat crimine Augustinum intendisse, fabulantur. Hæc itaque calumnia palam ex tenore litteræ sequentis eliditur, ubi sic ait: *Hâc*, inquit, *Virgine exceptâ, si omnes sancti & sanctæ cum hîc viverent interrogati essent: Vtrum sine peccato essent? unâ voce clamarent: si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod utique de actuali peccato minimè accipiendum videtur, cùm nonnulli fuerint, etiam demptâ Virgine, sicut piè creditur, qui toto ætatis suæ circulo absque ullo actuali, etiam crimine tenuissimo, permanserint; velut Joannes Baptista, cui pro munere collatum est, ne levi saltem maculare vitam famine posset: quo inter venialia nullum constat esse remissiùs; & forsitam alios quamplures hujusmodi extitisse, nihil prohibet. Ex quibus benè pensatis, omnes adversariorum rationes faciliter eliduntur.

Quartò principaliter, ad hoc adducitur Scriptura novi Testamenti, quæ sic dicit: *Ave gratiâ plena*; sed præservatio ab originali est quædam magna gratia, & de plenitudine gratiæ MARIÆ: ergo ipsa fuit ab originali præservata. Major habetur Lucæ 1. Minor infrà eodem capitulo per Hieronymum dicentem. *Cæteris per partes præstatur gratia: in MARIA vero totius se gratiæ plenitudo diffudit, quæ est in Christo: aliter tamen, & aliter.* Et loquitur prout gratia distinguitur contra culpam. Confirmatur: Quoniam plenitudo gratiæ in Jeremia, & Joan. Baptista extendit se usque ad sanctificationem in utero; sed major fuit latitudo gratiæ in MARIA intensivè & extensive in duplo, in triplo, aliàs auctoritas Hieronymi non esset vera: ergo extendit se in MARIA usque ad immunitatem ab originali culpa.

Quintò sic: Apostolus ad Romanos 3. dicit: *Quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur*; sed nulla lex culpæ loquitur de MARIA; ergo

numquam fuit ſub culpa. Major patet: Minor arguitur ad Romanos 3. ubi ponuntur tres leges carnis. Prima: *Omnis homo mendax.* Secunda: *Omnes declinaverunt, nec eſt juſtus quiſquam.* Tertia: *Omnes peccaverunt*; ſed prima lex non loquitur de MARIA, quia numquam habuit actuale; per Auguſtinum 3. diſt. 3. nec ſecunda lex loquitur de ipſa, ſicut nec de Chriſto ſecundùm quod homo, ut patet in Gloſſa: ergo nec tertia loquitur de MARIA, & per conſequens immunis fuit ab omni culpa.

Sextò: hoc idem probat B. Alphonſus Metropolitanus Hiſpaniæ, in libro contra Elvidium, & Jovinianum dicens: *Conſtat MARIAM ab omni peccato originali immunem fuiſſe, per quam non ſolùm Evæ matris eſt ſoluta maledictio, verùm etiam omnibus eſt donata benedictio.* Hæc ille.

Septimò: per hanc viam vadit B. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in libro de Exordio Mundanæ ſalutis, ſic dicens: *Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei, & Domini mei extitit; propagantium, non propagatæ prolis fuit.* Sequitur: *Caſtaneam nucem attende. Si Dominus caſtaneæ confert, ut infrà ſpinas à ſpinis remota concipiatur, alatur, foveatur, potuit hoc etiam ſuæ Matri conferre. Potuit planè, & voluit. Si ergo voluit, fecit.* Hæc ille.

Octavo: hanc partem determinat Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui contra Neſtorium hæreticum ponentem maledictionem culpæ in Chriſto, & MARIA fuiſſe, in Concilio Epheſino præſidens determinat: *primitas noſtræ ſubſtantiæ, ſcilicet, MARIAM, & Filium ejus ſic fuiſſe benedictas in tempore gratiæ, ut nulla, quæ adversùs omne genus maledictio fuerat prolata, deſæviret.* Quod notatur in ſynodali decreto Concilii Epheſini.

Nono: hoc idem probat Venerabilis Richardus de Sancto Victore, in ſermone, qui incipit: *Non dum erant abyſſi*, &c. ſic dicens: *Non decuit, ut caro B. MARIÆ aliquo peccato obnoxiam ſe cognoverit: nam Dei ſapientiæ indignum eſſe credimus, ut quam ad lumen gentium prædeſtinavit, tenebris pravitatis ſineret involui.* Sequitur: *Eritnè ingratus propriæ Matri, qui patri & matri honorem præcipit exhiberi?*

Decimò: per hanc viam tendit B. Dominicus, qui in Tractatu corporis Chriſti, quem fecit contra hæreticos Albigenſes, dicentes: Chriſtum, filium MARIÆ non fuiſſe generis humani redemptorem; per hoc, quia primus Adam fuit formatus de terra pura, & immaculata, ergo & ſecundus; quem ponebant cum Manichæis de inviſibili velle: Chriſtus enim, ut dicebant, non fuit de pura, ac immaculata Matre, quia peccatum habuit, ut inquiunt. Contra quem articulum arguit B. Dominicus per

quin-

quinque auctoritates, ponendo MARIAM fuisse sine originali, quarum prima erat ista, Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, &c.*

Undecimo: hoc idem tenet S. Thomas, Ordinis Prædicatorum 44. distinctione primi, quæstione tertiâ, sic dicens: *Talis fuit puritas MARIÆ Virginis, quòd à peccato originali, & actuali immunis fuit: tamen sub Deo, in quantùm erat in ea potentia ad peccandum.* Hæc ille. Et licet 3. dist. 3. opinioni tunc crescenti se conformaret: tamen in fine vitæ suæ super Ave MARIA, quem Tractatum edidit, MARIAM sine originali, & actuali fuisse affirmat, sic dicens in forma: *Tertiò: excedit B. Virgo MARIA Angelos quantùm ad puritatem: quia B. Virgo non solùm fuit pura in se; sed etiam procuravit puritatem aliis: Ipsa enim purissima fuit & quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, actuale, nec veniale incurrit.*

Duodecimo: per eandem viam tendit Dominus Richardus Syrach de Hybernia, qui primo adversarius existens 3. dist. 3. Archiepiscopus factus, illud retractavit publicè in quodam sermone, qui incipit: *Sapientia ædificavit sibi domum*; ostendens in Conceptione Virginis non fuisse culpæ originalis ruinam: quia nullus sapiens artifex in domo dilecta fundamentum jacet ruinosum.

Tertiodecimò: hoc idem tenet Alexander Nequam, qui primo adversarius existens 3. dist. 3. posteriùs correctus à Deo, retractavit publicè in sermone, qui incipit: *Fiat lux.*

Quartodecimò: ad idem procedit Dominus Robertus Linconiensis: MARIAM Virginem affirmans in originali non conceptam, in Tractatu, quem fecit de Laudibus Virginis.

Quintodecimò: hanc partem tenet Petrus Thomæ Patriarcha Hierosolymitanus, de Ordine Carmelitarum, in Tractatu de Conceptione Virginis, ubi probat multipliciter, MARIAM sine originali conceptam.

Sextodecimò: per hanc viam tendit Magister Alexander de Ales, Ordinis Minorum, qui primo adversarius existens in tertia parte Summæ, in infirmitate, de quâ decessit, oppositum asseruit: illud Cantic. 4. de B. Virgine exponendo.

Septimodecimò: hoc idem tenet Robertus Holcot, Ordinis Prædicatorum, in determinatione Oxonienſi, super libro Sapientiæ, qui incipit: *Utrum doctrina Venerabilis Anselmi rationabiliter debeat improbari?* ubi affirmat Virginem MARIAM sine originali conceptam.

Octavodecimò: per hanc viam tendit Vincentius Historiographus, in Speculo Historiali, lib. 7. cap. 67. & lib. 8. cap. 121. historicè Virginem collaudando.

Nono-

Nonodecimò: hoc idem tenet Gerardus de Piſcariis, qui primo adverſarius, in quodam ſermone; eâdem die poſt ſermonem celebrans, ab ipſa Matre Dei correptus, poſt Miſſam iteratò prædicans, retractavit.

Viceſimò: hanc partem multipliciter declarat Dominus Aureolus Archiepiſcopus Aquenſis, in Tractatu, qui incipit: *Nondum erant abyſſi*; ubi probat multis mediis Matrem Dei fuiſſe ſine originali conceptam.

Viceſimoprimò: hoc idem tenet Dominus Gerardus Odonis Patriarcha, tertiâ diſt. 3. hanc partem multipliciter probans

Viceſimoſecundò: ad idem eſt Thomas de Argentina, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, 3. diſt. 3. quæſtione unica, articulo primo.

Viceſimotertiò: per eandem viam tendit Joannes Baccon, Ordinis Carmeli 2. diſt. 4. quæſtione 4. ubi hoc probat per multas vias.

Viceſimoquartò: eamdem partem tenet Franciſcus de Maronis, in Tractatu ſanctitatis Virginis; ubi MARIAM aſſerit immunem ab omni originali, & ab omni fomite, ſub dominio deſpotico præſeruatam.

Viceſimoquintò: per eandem viam procedit Guillelmus Ocham in ſuo Quodlibeto.

Viceſimoſextò: hoc idem tenet Hugo de Novocaſtro 3. diſt. 3.

Viceſimoſeptimò: ad idem eſt Franciſcus de Marchia 3. diſt. 3.

Viceſimooctavò: eandem partem tenet Guillelmus Cathon, tertiâ diſt. 3.

Viceſimononò: per eandem viam procedit Radulphus, diſtinctione eâdem.

Triceſimò: hanc partem tenet Petrus Thomæ Hiſpanus, in Quæſtione directa Joanni vigeſimoſecundo; ubi hoc diffusè probat per multas vias.

Triceſimoprimò: hoc idem tenet Henricus de Haſſia, in quadam Epiſtola notabili, parte tertiâ ejuſdem Epiſtolæ; ubi idem pertractat multiplici ratione.

Triceſimoſecundò: ad hoc antiqui Poëtæ, ut puta Sedulius libro 2. Paſchalis carminis, dicens: *Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis, nil quod lædat habens, Matremque obſcuret honore: ſic Evæ de ſtirpe, ſacrâ veniente MARIA, Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.* Item Alanus in Anteclaudiano: *MARIAM gratiâ plenam, neſciam culpæ*, Et Petrus Cretenſis ſuper Lucam dicens: *Una, nec maculam habes, &c.*

Ecce doctiſſimi Patres, quanta teſtimonia Scripturæ ſanctæ, quantæ probationes & clariſſimæ ſupra modum Doctorũ atteſtationes: contra quas tamen

tamen certiſſimas probationes, & atteſtationes veriſſimas, nonnulli fuerunt, qui ore polluto evomerent dicentes: eam turpiter fuiſſe maculatam originali ſordicie. O ſacrilegos ſermones! O nepharias voces! O prophana verba, & nequaquam humanis auribus æquo animo ferenda! Tales namque non attendunt, quod ſponſus ille cœleſtis eidem Virgini ſponſæ ſuæ dixit in Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Sed vos, ô Doctiſſimi viri, & certè verè fœlices, quibus numquam de Virgine, niſi in bonitate ſentire decretum eſt: quorum inſuper fuit propoſiti ſentire turpe quid, aut indecorum, nullo de ea pacto vel dicere, vel audire. Quos denique commendabilia quæque & honeſta in laudem ipſius quantùm Scripturæ conſonant, & ratio ſinit, congeſta declarant: ſcientes quoniam ipſa progreditur quaſi aurora conſurgens; perfecta ut luna, electa ut ſol. Electa quidem ſuper choros Angelorum, ad gloriam Beatorum; ad quam nos perducat ſalvator omnium Jesus Chriſtus, Virginis, & Dei Filius, Amen.

Explicit Sermo Magiſtri Gerardi Rondelli, de Conceptione glorioſæ Virginis, quem fecit ipſe M. Gerardus coram Doctoribus, & Vniverſitate Pariſienſi. Qui Sermo adeò ipſis placuit Doctoribus; ut ejuſdem ſibi copiam dari ab ipſo Magiſtro Gerardo inſtanter peterent.

Sequitur fragmentum ex eodem Codice Manuſcripto & Sermone.

ECce chariſſimi quanta ſunt teſtimonia ſacræ Scripturæ; quantæque Doctorum probationes clariſſimæ, ſuper Virginis Matris, & Matris Dei Immaculata Conceptione. Tenendum ergo, & opinandum licitè abſque omni periculo, & errore, quod tenuerunt viri ſancti, & Doctores tot, & tanti. Sed tamen Auguſtinus videtur ſentire contrarium, qui ſic dicit; in libro de Fide ad Petrum: *Firmiſſimè tene,*

& nullatenus dubites; omnem hominem, qui per concubitum viri & fœminæ concipitur, cum originali nasci. Quod autem hæc verba Augustini indigent expositione, multipliciter patet: quia dicit nasci, & non concipi; & constat B. Virginem sine peccato originali natam. Item in eodem libro dicit: quòd *parvuli qui sine baptismo moriuntur, æterno igne cremantur*: & tamen nullus Doctor tenet quòd puniantur nisi pœnâ damni. Nec obstat quod ab aliquibus dicitur: quod dicta Augustini, & aliorum Doctorum ponentium MARIAM in originali peccato conceptam, sunt ab Ecclesia, & in generali Concilio approbata, & confirmata, ut probatur in Decretis 15. distinctione; ubi sancta Synodus confirmat dicta Sanctorum Augustini, Hieronymi, & aliorum, quos ibi enumerat. Quatuor autem Concilia recipienda sunt à cunctis Catholicis, sicut quatuor Evangelia, ut ibidem dicitur. Hoc, inquam, non obstat propter tria. Primò: quia dato quòd dicta Sanctorum confirmata sint per Concilia: omnia dicta tamen Sanctorum non sunt tenenda pro fide, & prædicatione Ecclesiæ Orthodoxæ: tum, quia contradictorium tunc oporteret tenere pro fide: cùm Augustinus dicat, quòd Apostolus Petrus fuit verè reprehensibilis observando legalia, & quòd Paulus ipsum justè, & rationabiliter reprehendit: Hieronymus vero dicit ipsum non fuisse reprehensibilem, sed Paulum peccasse, & præsumptuosè egisse Principem Apostolorum reprehendendo. Item dicit Hieronymus: quod per matrimonia contracta ante baptismum non contrahitur bigamia; & Augustinus determinat totum contrarium, ut patet in Decretis 26. dist. primo & secundo capitulis; & in multis aliis Doctores Sancti ad invicem contradicunt. Tum etiam, quia multa absurda Ecclesia confirmasset, quæ hodie non tenent Doctores, ut quòd Angeli sunt corporei, & animalia aërea, prout frequenter dicit Augustinus. Tum, quia in Decretis nonâ distinctione habetur auctoritatibus multis, quòd dicta Sanctorum impugnari possunt, & improbari, si videatur veritas aliter se habere; & evidenter hoc determinat Augustinus ibidem. Quod utique verum non esset, si omnia dicta Sanctorum essent determinationes Ecclesiæ, & prædicationes Fidei Orthodoxæ. Nam & ipsi Sancti Doctores nonnulla dicta, & scripta sua, quæ pro tempore secundùm quod menti eorum occurrebat, scripserunt; postmodum aliter sentientes retractaverunt, vel revocaverunt, ut patet per Augustinum, per totum suum librum Retractationum. Bernardus etiam, licèt sentire videatur in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, quòd MARIA sit concepta in peccato originali; tamen opinativè & æstimativè

sic

ſic ſcripſiſſe, & dixiſſe credendus eſt; non autem aſſertivè, vel affirmativè ſenſui ſuo inhæſiſſe, vel pertinaciter hoc defendere voluiſſe. Unde in eadem Epiſtola in fine, ſubmiſit ſe correctioni, vel diſpoſitioni Eccleſiæ Romanæ. Hinc idem dicit in prologo libri ſui de Gradibus humilitatis. *In alio quoque loco: quandam de Seraphim opinionem poſui, quam nunquam audivi, nuſquam legi: ubi ſanè lector meus attendat, quod perinde temporaliter puto dixerim: volens videlicet, non aliud quàm putari, quod certum reddere de Scripturis non valui.* Ad hoc ergo in ſacris Conciliis dicta Sanctorum ſunt recepta, & approbata, ut ad differentiam apocryphorum & hæreticorum librorum in Eccleſia à Catholicis ſecura legantur.

Secundò vero non obſtat: quia dicta Sanctorum ſunt & fuerunt ſemper pro utraque parte, multis dicentibus ſic; aliis vero ſic: modò, ut dicit Doctor Monaldus, non generetur aliquod præjudicium erga veritatis ſententiam: cùm inter diverſas opiniones Doctorum, illam opinionem amplectitur, quæ ſibi magis videtur conſona rationi; & ut dicit Hoſtienſis: *Vbi ſunt diverſæ opiniones, & diverſa jura, ſemper humanior eſt præferenda opinio, & rationabilior, imo æquior judicanda.*

Tertiò non obſtat: quia dicta ſanctorum non obviant iſti poſitioni, quæ dicit, qud Maria fuit præſervata ab originali peccato. Quia vel loquuntur in genere de omni homine quòd contraxit originale, vel in ſpecie de B. Virgine. Si ergo, qui loquuntur in genere omnia, nihil concludunt de Maria; nam, ut docet Auguſtinus, excipienda eſt à generalibus regulis, ubi non congruit ſanctitati ejus; & excipi eam oportet ab illa regula: *Omnes quidem reſurgemus*; nam, ut piè credit Eccleſia, jam reſurrexit. Et ab illa: *Omnis homo mendax*; & ab illa: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, & ab illa, quam ponit B. Auguſtinus, in libro de Baptiſmo Parvulorum dicens: *Omnes quotquot fuerunt, ſunt vel erunt, pro quotidianis defectibus indigent dicere in Oratione Dominica: & dimitte nobis debita noſtra.* Cùm ergo iſtæ regulæ generales nihil arguunt in Maria, nullâ ratione videtur, quòd debeant concludere auctoritates, quæ in generali de omnibus loquuntur de peccato originali. Dicta vero Sanctorum, quæ loquuntur de ipſa in ſpeciali; intelliguntur de conceptione feminis, quâ mater ejus eam concepit, & pater genuit. Ad hanc ergo intentionem dicta Sanctorum de plano concernunt: quia Virgo Maria, imo omnes, qui commixtione maris & fœminæ generantur, concipiuntur in peccato, quia in libidine, loquendo de ſeminis conceptione. Quòd autem Mater Dei contraxit quantùm ad animam, & concupiſcen-

tiam quoad carnem; nullus unquam teſtatur.

Nec etiam obſtat, ſi dicatur quod MARIA non eſt redempta, ſi in originali non eſt concepta, cùm redemptio præſupponat aliquem lapſum in peccatum: hoc enim evidenter eſt falſum, cùm nos dicamur redempti à morte æterna per paſſionem Chriſti; quamvis non fuimus, ſed quoniam in ipſa laberemur, ſi non præſervaremur, congruenter dicimur ab ipſa redempti. Similiter fur dicitur à morte redimi, cui erat adjudicatus, eſto, quòd non fuit ſuſpenſus. Sic etiam redimi dicitur à peccato, qui præſervatur ab eo. Nam ſicut tenens aliquem caſurum in lutum corporeum; liberaret eum perfectiùs, ſi non ſineret eum in lutum prolabi, quàm ſi poſt lapſum erigeret, & mundaret; ſic perfectiùs liberatur à Chriſto vel per Chriſtum à peccato, qui non ſinitur in ipſum prolabi, quàm ſi erigeretur jam collapſus.

Præterea: inter homines inventi ſunt aliqui, qui fuerunt perpetuò vaſa iræ, & erunt, ut qui concepti in originali, nec baptizati, addiderunt blaſphemias actuales, ſcilicet, peccata mortalia, & in illis defuncti finaliter ſunt damnati. Inveniuntur etiam alii, qui fuerunt aliquando vaſa iræ, ſed deinde facti ſunt vaſa miſericordiæ, ut baptizati. Ergo debet reperiri extremum alterum excellentius, quòd videlicet, ſit aliquod vas miſericordiæ Dei perpetuum, quod numquam de facto vas iræ fuit; præſertim cùm Deus ad miſerendum pronior ſit, quàm ad iram. Unde ſi inveniretur aliquod vas iræ perpetuum, magis decens, & rationabile, quod inventum fuerit vas miſericordiæ æternum. Nec valet, ſi quis diceret, quod iſtud vas miſericordiæ æternum ſit Chriſtus. Nam ipſe Chriſtus miſericordiâ non eguit, cùm miſeriam peccati non habuit nec de jure, nec de facto, cui oporteret miſereri. MARIA vero etſi de facto non habuit: tamen de jure habuiſſet de peccato, niſi fuiſſet miſericordiâ præventa. Unde & ſecundùm gratiam, & non ſecundùm naturam fuit ab originali peccato præſervata: In ea quippe, ut ſatis oſtenſum eſt, numquam fuit actuale, ſive mortale, ſive veniale. Et certum eſt quòd originale majus eſt, & deteſtabiliùs quàm veniale: igitur nec habuit originale. Celebremus ergo, & cum devotione honoremus hoc feſtum Conceptionis MARIÆ, ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum JESUM Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ser-

Sermo de Conceptione B. MARIÆ Virginis cum Sermone Gerardi Rondelli; ex Monaſterio S. Martini Lovanii Manuſcriptus eodem codice.

DEus omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, ſtatim ut nos diabolica malignitas veneno ſuo mortificavit; renovandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignavit; deſignans ſerpenti futuram mulierem, quæ noxii capitis elationem, ſuâ virtute contereret, Chriſtum verum Deum & hominem ſignans, qui natus ex muliere, violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnavit. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius; & ipſa conteret caput tuum.* Cùm enim nimiùm detineremur confuſione peccati; Propheta David hanc diem Conceptionis redemptionemque affectans humani generis, & in perſona humanæ naturæ deſiderium exprimens ſanctorum Patrum, ſic dicit: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, &c. Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Conſcientiam puram tropologycè, Matrem Domini allegoricè, & futuram anagoricè inquirens civitatem. Cumque ſic plurimis circuirent annis, & de impotentia patris & ignorantia in lege naturæ, & lege ſcriptâ convinceremur: comperto quòd omnes ad infernum deſcenderent, quodque non eſſet in omnibus hominibus DominaDeo digna, quæ Domino placeret; Sara ſacra octogenaria quidem, plus naturæ quàm Deo credens, de conceptu Iſaac ridens dubitavit, ſororemque Iſaac Rebecca ſe finxit: Rachellæ ſorori ſuæ invidit: Dyna ad choreos parata à filio Regis Sichem opprimitur: Thamar mutato habitu, ut meretrix in bivio ſedens à ſocero ſuo Juda impregnatur; pulchra Berſabee à David rapitur; propter quam Vrias vir ſuus moritur. Judith, ut crudelis Holofernem ſecretò occidit: Æſther, ut viro ſuo placeret, nimis ſe ornavit. Et breviter: ſi omnes ſanctos, & ſanctas congregare poſſemus, & compellare, utrum ſine peccato eſſent, quid reſpondere poſſent, niſi hoc quod Joannes ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus: Excepta*, inquit Auguſtinus, *MARIA, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo fieri mentionem propter honorem Dei*, qui elegit eam in habitationem ſibi.

Audite ergo fratres, audite MARIAM non noviter, aut fortuitò inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo ſibi paratam, & ſervatam, à Patribus præſignatam, & à Prophetis promiſſam. Appropinquante igitur temporis plenitudine, cùm eſſet, ut ait Pſalmus: *tempus miſerendi*; & in aurora novi Teſtamenti, ecce parentibus Angelus de cœlis Conceptionem nuntiat Matris Dei, qui eam ſibi priuſquam naſceretur. & condidit, & elegit. Hanc præfiguravit virga Aaron, quæ ſubito floruit, juxta verbum Iſaiæ: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Virgo Dei Genitrix virga eſt, flos JESUS Filius ejus. Virga, inquam, ſine ſpina, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit; de qua & Sponſus in Canticis ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quomodo amica Dei, ſi per peccatum inimica Dei fuiſti? ſi macula non eſt in te, verum fuit quod Joannes de te vidit: *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus.* Amicta ſole dicitur, quæ neque Deo æquatur; totâ tamen divinitate tegitur. Supra lunam elevatam dicit, eò quod ex luna nullam maculam contraxit. Quod ſi auctoritas hoc probavit de Virgine, ſi ratio, ſi miracula & exempla; patebit hæc feſtivitas tota de ſe glorioſa. Dicendum ergo: Virginem MARIAM ſemper fuiſſe immunem ab originali. Poſtea oſtendetur animam Virginis necdum fuiſſe in gratia creatam, verum & ſementem præſanctificatam.

Quantum ad primum, chariſſimi, ſciendum: quòd pietas Chriſtianæ Religionis ad eam, quæ numquam deeſt devotè invocata, inclinare ſe debet. Securiùs nempè eſt plus ei dare, quàm avarè aliquid ſubtrahere. Piè ergo credendum eſt, & cum reverentia, cum honore, & devotione amplexandum, & recolendum; mediatricem Dei & hominum, Chriſti Genitricem omni labe caruiſſe, & maculâ in ſua Conceptione. Conceptio vero quandoque dicitur materiæ adminiſtratio prolis procreandæ, & interdum configuratio, aut membrorum organizatio; & tertio, infuſio animæ in corpus organizatum vocatur; de quo quidem tertio Conceptionis modo dicendum eſt in propoſito: Nam illum diem Deo dedicatum, & conſeeratum credimus, in quo Virgo MARIA eſſendi ſumpſit exordium. Homini enim à principio creationis ad finem beatitudinis ordinato, juſtitia originalis collata eſt, quâ mens ſubdebatur Deo, & inferiores vires ſuperioribus, & animæ corpus, quam acceperat Adam pro ſe, & ſuis poſteris ab eo ſeminaliter natis. Sed tranſgreſſor factus lignum vetitum guſtando; juſtitiâ illâ ſpoliatus juſto Dei juditio, corpus

cœpit

cœpit ei rebellare, quod est incidere in peccatum originale: Est namque peccatum originale carentia justitiæ originalis debitæ inesse, cum *integritate* habendi eam; ex qua consecuta est inordinatio virium animæ, in conversione ad bonum commutabile. Culpa itaque originalis oritur ex carne in anima destituta, & obligata ordinem habere ad originalem justitiam amissam.

Ex quibus colligitur, quod non minus potens est virtus sanctificans, quàm inficiens. Sed caro potest inficiante, & post animæ infusionem; ergo virtute divinâ ne inficiatur potest præservari; imò consecrari, & sanctificari, & adhuc si non ponatur qualitas morbida: In qua etiam non ponitur aliquid reale in carne; sed originalis ipsius justitiæ debitæ inesse sola privatio, quam potest Deus tollere, & ipsam obligationem deobligare, & ad originalem justitiam reducere. Quod si faceret, in tali Conceptione Deo præservante, causa peccati deesset, & per consequens peccato careret originali, nullâ etiam gratiâ aliâ infusâ, ac si esset unus in puris naturalibus procreatus. Concedendum igitur est, Deum, ut potuit, quod & debuit, ac decuit, Matrem suam honorasse, qui illud mandavit. Honoravit itaque eam ab originali præservando: potuit hoc, ut Deus; debuit ut filius, & ut matrem decuit. Ergo fecit: etenim fecit ei magna qui potens est. Quare non potuit illud? Certè postquam rationi id non repugnat; hoc feciſſe Deitati non derogat, verè qui potuit, debuit facere ut Filius immaculatæ fœminæ corpus sibi aptaret, & daret ei, ex qua nasci voluit, nutriri, & pasci, quidquid gloriæ ejus, & conceptioni non præjudicaret. Etenim nullam aufert gloriam, nullumvè præjudicium infert Christo, matris suæ ab originali exceptio. Patet hoc à simili: filii quippe decor est, quod sine culpa natus est, qui peccatum non admisit. Matri ergo denegetur, ut ejus filio soli tribuatur? Absit; sed in hoc voluit ut eodem privilegio gauderent Imperator, & Imperatrix. Differt tamen aliunde satis: quoniam Maria ex modo Conceptionis ipsius à patre aliquid etsi non actu, habitudine tamen habuit contrarium spiritui, ex quo incurrisset originale peccatum, nisi Deus eam præservasset: non autem filius ejus, qui non virili semine, sed mystico spiramine conceptus est. Cæterum Christus inter Deum, & Matrem perfectissimè mediavit, ergo impetravit, ut numquam iniqua esset, aut in culpa. Omnes enim qui in originali nascuntur, sunt filii iræ, dicit Apostolus, & digni tunc pœnâ æternâ. Hoc autem dicere nefas & durum est de Matre Dei, quam ab æterno dilexit, ac si ab æterno fuisset ejus Mater Maria.

Insu-

Insuper perfectissimè creditur redempta: Nam perfectissimus, & optimus modus redemptionis est præire, & prævenire offensam. Perfectius namque redimere à casu præseruando, quomodo MARIAM speciali modo, ne in servitutem, & in lutum caderet originalis culpæ custodiendo protexit; quàm à casu, & post casum elevando, quomodo alios jam in servitutem redactos Christus redimendo à peccato liberavit. Et ad idem facit, quod corpus MARIÆ non fuit incineratum, ut communiter tenet pietas fidelium, sed & quod cum anima assumptum sit in cœlum, quodque sine corruptione concepit, in solatio portavit; & cum gaudio salvatorem peperit: quæ fuerunt ejus privilegia, & sunt contra sacram Scripturam, & contra Sanctorum scripta. Nec obviat, si dicatur, quod si Virgo ante mortem Christi descendisset, anima ipsius ad lymbum Patrum descendisset, quia nondum erat solutum pretium pro redemptione generis humani. Alioquin S. Joannes Baptista, qui in utero sanctificatus nedum à peccato originali purgatus, sed & prius sanctus antequam natus, imò teste Angelo, Spiritu sancto repletus; ad limbum non descendisset; quia nullum peccatum habuit, imò tamquam martyr, & testis Christi pro veritate, & lege Dei occubit. Quamvis ergo MARIA nullum reatum haberet; impediebat tamen naturæ reatus ne ad cœlos iret, qui Christi passione tollendus erat. Nec iterum obstat, quod pœnas alias ipsa sustinuit: naturales tamen, & non ex peccato, sed conditione causatas suorum principiorum, & propter hoc ad meritum, & ut in exercitium venirent virtutis, ut sitis, fames, dolor, timor, & sic de aliis, ad ultimum mors. Certè qui à casu, ut & tanti mysterii esset principium & consors gloriæ, eam præservavit: ut etiam esset particeps passionis, & ampliùs mereretur, & thesaurizaret toti Ecclesiæ, posse pati dereliquit: nam & Christus tales pœnalitates voluntariè assumpsit, cum tamen nullum reatum habuit. Sed quid rationibus tantum utimur, quasi res dubia sit, vel obscura putetur, cum id tot, & tantis, tamque manifestis miraculis declaratur. Refert etiam Doctor solemnis, in libro suo, qui dicitur: Defensorium Virginis, de quodam, qui in sermone publico asserens Virginem in originali conceptam ad terram corruens, citò post decessit. Et de uno, qui ad idem temerariè disputans contra quemdam Magistrum Odonem, mutus, cœcus, & amens effectus, post octavum diem mortuus est. Et alius idem asserens dum missa celebraretur, à lupo ibidem de silva currente cæteris relictis, strangulari visus est. Et Gerardo de Piscariis, cum hoc idem prædicasset, consecratione in missa factâ

hostia

hoſtia eſt ablata, cui Virgo Mater appartit dicens: Quâ fronte ſumptum de me corpus ſumere præſumis, qui voluntariè me hodie maculaſti tuis pollutis labiis? Qui impetratâ veniâ, citò invenit hoſtiam, miſsâque finitâ aſcendit ambonem, cunctiſque illud narravit, & ſe revocavit.

Non creditis, chariſſimi, quod, ſi Bernardus, Bonaventura, Albertus, S. Thomas, & ſui ſequaces de his miraculis inſtructi fuiſſent, de hac ſancta, & Immaculata Conceptione meliùs ſenſiſſent? Utique credere debetis. Nec in contrarium trahit ſanctitas, aut opinio tantorum Doctorum; nam Sancti, non ſemper aſſertivè, ſed ſæpè opinativè locuti ſunt. Nonne Auguſtinus feciſſe legitur librum Retractationum. Idem dicitur de S. Thoma, quamvis liber non inveniatur. De proceſſione etiam Spiritûs ſancti diverſi diverſimodè ſentiunt Sancti, & diverſimodè interdum ſenſerunt diverſis in temporibus. Dicit enim Thomas primo ſcripto, Virginem habere ſummam puritatem, quæ omnem viſa eſt excluſiſſe culpam. Et Bernardus: *Caro*, inquit, *Virginis ex Adam ſumpta, maculas Adæ non contraxit.* Et Auguſtinus contra Julianum ait: *Quòd ab omni opprobrio conditionis humanæ, à quo Chriſtus excipitur, rationabile eſt, ut & MARIA Mater ejus excipiatur*; ſed originale peccatum eſt opprobrium naturæ; ergo ab eo Chriſti Mater excipitur. Hinc Nicolaus de Lira ſuper Lucam illud Mahometi allegans in Alchorano, ait: *Nullus naſcitur de filiis Adæ, quem non tetigerit Satan, præter MARIAM, & Filium ejus.* Bene ergo de ea dicitur in Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula* originalis culpæ *non eſt in te.*

Jam ſatis perſuaſum eſt Matrem Dei ſic præſervatam fuiſſe ab originali, ut quemadmodum in actu illo maritali ſanctorum conjugum peccatum deerat, ita Deo præſervante in ſua Conceptione peccati cauſa deeſſet. Et quoniam non ſatis eſt ſtare poſſe, ſi non habeatur unde perficeret, quòd eſt per gratiam: reſtat nunc dicendum Virginalem aulam B. Mariæ, in qua Chriſtus perſonaliter habitare deberet, præventam, & gratiâ, & ſanctificatione. Invenitur autem triplex ſanctificatio. Prima communis eſt per Sacramenta, & Eccleſiæ miniſtros, quæ culpam removet, & confert gratiam, & quæ non niſi renatorum eſt. Secunda eſt ſpecialis à Spiritu ſancto, qualis fuit Jeremiæ, & Joannis Baptiſtæ in utero. Tertia eſt ſpecialiſſima, quâ anima ordine naturæ ante unionem ipſius ad carnem etiam ſanctificatur dono ſingulari. Talis fuit ſanctificatio B. Mariæ, quæ ſic fuit præventa gratiâ, ut propter ſubjectionem in-

deflexibilem inferiorum virium animæ sub ratione, & rationis ad Deum, ligato fomite (qui non est aliud quàm appetitus sensitivi inclinatio in delectabile, qui etiam in Sanctis est quoad substantiam) non haberet originale, aut contraheret. Credibile quippe est, & fementem Virginis, & animam priùs sanctificari, ac post uniri: quia satis compertum est res inanimatas dedicari, & consecrari solere quas sacras, & sanctas appellamus. Nonne aqua benedicitur? nonne panis; nonne altare; nonne vestes, & ornamenta habent consecrata? Et fementem, aut etiam carnem illius Virginis, quæ non, ut altare Filium Dei fuerat susceptura; sed propriâ substantiâ paritura, dicemus non sanctificatam? absit.

Præterea: Maria in omni gente honoris, & gratiæ primatum tenuit: & quia in ea incepit tempus gratiæ, & status gratiæ nobilior fuit in sui initio, quàm fuerat status naturæ conditæ, in quo tamen primi Parentes, etiam Angeli sinè omni culpa, imò cum gratia fuerunt creati; cur non ita erit de Maria Matre prima æternæ salutis, super choros Angelorum exaltanda? Nonne hoc sic decuit, ut sicut primus Adam in statu innocentiæ factus est de terra nulli ante maledictioni subjecta: ita & secundus Adam Christus in statu gratiæ nasceretur de Virgine nulli unquam maledictioni subdita? De qua & Alfonsus contra Helvidium, & Januarium expressius, sic ait: *Constat MARIAM ab originali fuisse immunem, per quam nedum primæ matris solvitur maledictio; verum etiam omnibus donatur benedictio. Nullis ergo subjacuit delictis, nec originale peccatum contraxit; de qua Propheta Regius; sanctificavit, inquit, tabernaculum suum Altissimus.* Sanctificavit, id est, sanctam servavit, quam & Angelus gratiâ plenam salutavit. Cujus si quæris figuram, figuratur nimirum per arcam fœderis intus & exteriùs auro purissimo contectam; & per urnam, in qua fuit manna repositum. Nam cum urna illa priùs repleta fuerit, quàm reposita in arca: patet quòd anima B. Virginis priùs gratiâ fuit repleta, quàm corpori sub unita. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, ipsa prima fructum salutis hauriret ex pignore. In cujus Conceptione decretum posuit, ut sancta esset, & Immaculata: sancta, inquam, illâ sanctitate, de qua ait divus Dyonisius: quòd *Sanctitas est ab omni immunditia libera, perfecta, & omnino Immaculata.* Immaculata, inquam, non habens maculam aliquam neque rugam. Non sic est, proh dolor! in hac Ecclesia militante. Exemplū dat unus, cui in Spiritu species apparens muliebris habens in capite comam fulgentem, splendidam faciem, præclaram vestem, compositionemque

tionemque corporis decenter, credenti Matrem Christi, vertens dorsum, & divisam, laceratamque vestem, & se maculatam membrisque incompositam ostendens, admiranti dixit: Non sum ego Mater Christi, sed Ecclesiam præfiguro primitivam in parte anteriori, & præsentem in parte posteriori. Erat autem sicut unus Deus & Dominus; ita & una Ecclesia, & una Fides; unumque Baptisma; & unus Episcopus cum uno presbyterio, quorum erat cor unum, & anima una in Domino. Communis charitas vigebat, & hospitalitas, ac fundabant Ecclesias, bona sua trifariè dividentes, Ecclesiæ, pauperibus, & suis usibus, exemplo parentum B. Virginis. Triumphabant de dæmone suâ prædicatione; de mundo mysterio, & passione; & de carne continentiâ, & castitate. Accedebant cum tremore ad sacrum mysterium, more Joannis Baptistæ; quorum Marcus fugiens Episcopatum abscidit pollicem suum. Sed modo aliter est. Curramus igitur ad MARIAM, cujus vita omnibus est recta disciplina; quam apud Deum advocatam habemus; cujus anima semper Deo grata plena fuit gratiis, & virtutibus. Nam cæteris per partes conceditur gratia; MARIÆ vero se totam infudit gratiæ plenitudo. Cujus gratiæ nos participes faciat JESUS Christus ejus Filius, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

ANONYMUS ANTIQUUS.

Sermo de Conceptione Beatæ Virginis MARIÆ.

Vdite somnium meum, quod vidi, Geneſis 37. capitulo, Quoniam verò dudum ſacratiſſimæ Virginis innocentiam adſtruere ſatagens, ſomniare dictus fui; ideo ſomnium meum explicare diſponens, ipſum ſomnium per duodecim viſiones diſtinxi. Quarum quidem viſionum prima eſt: quòd Deus potuit præſervare Matrem ſuam, ne peccatum originale contraheret. Et iſta eſt veritas, quam nullus ſanæ mentis negaret: poteſt etiam quadrupliciter declararari. Primò quidem, per ſcientiam naturalem: quia agens quanto majoris virtutis eſt, tanto citiùs cauſat ſuum effectum in baliſta, & arcu emittentibus ſagitas. Item lumen creatum, ut ſol poteſt illuminare dyaphanum ut cryſtallum eodem inſtanti; ergo multo magis lumen increatum animam eodem inſtanti quo creatur, poteſt illuſtrare gratiâ ſuâ. Secundò, per ſcientiam moralem: quia amicitia eſt hiſtrophe alicujus, cum ſit moralis virtus, ut docetur in Ethicis; & ideo in electione cujuslibet eſt diligere aliquid qui non odit ipſum, ſicut odire: ergo Deus animam Virginis ſicut potuit odire in primo inſtanti ſuæ creationis, ita potuit eam diligere, cum omnia ad extra contingenter velit; & tunc fuiſſet ſine peccato originali. Tertiò, per ſcientiam politicam, id eſt, civilem. Quia quicumque Princeps ſtatuit aliquam legem poteſt in illa diſpenſare, ut probari poteſt per leges & canones multiplicitèr. Et ideo cum lex, qua peccatum originale contrahitur non potuerit inſtitui niſi à Deo, qui eſt primus legiſlator; ipſe nimirum potuit diſpenſare in illa. Quartò,

per

per ſcientiam Theologicam: quia Deus multas leges de facto protulit, in quibus poſtea diſpenſavit; ſicut in lege circumciſionis data Abrahæ fuit diſpenſatum quadraginta annis in deſerto, ut habetur Joſue quinto capitulo. Quod autem Deus iſtam legem ſtatuerit, quâ contrahimus hujuſmodi peccatum, patet: quia omnis lex juſta eſt à Deo inſtituta, ſecundùm Auguſtinum de Vera Religione; ideo de hac poteſtate abſoluta loquebatur Gabriël Virgini. Lucæ 1. capitulo: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*: quia ſcilicet plus poteſt Deus facere quàm quis dicere, vel intelligere.

Secunda viſio eſt: quòd ex quo Deus potuit ſic, decuit quòd ipſe faceret. Et iſta viſio deducitur ex intentione B. Anſelmi de Conceptu Virginali, 18. cap. ubi dicit: quòd de Matre puriſſima Dei Filius natus eſt: quia decebat, ut illius conceptio de Matre puriſſima fieret: *Nempè*, inquit, *decens erat, ut eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi, &c.* Sed ſi in peccato fuiſſet concepta, tunc *ſub Deo* major ejus puritate reperta fuiſſet, ut exemplo quadruplici comprobatur. Primò, quidem in primo Angelo; qui fuit creatus à Deo purus ſinè omni labe. Secundò, in primo homine, cujus anima fuit creata cum originali juſtitia. Tertiò, in prima muliere, cujus anima fuit creata cum gratia: & notantur omnia iſta, in 2. libro Sententiarum. Quartò, in ipſamet Virgine, quæ numquam fuit tantæ puritatis ſicut filius ejus; à quo purgatur hierarchicè ſicut Angeli. Et ideo ſi ſinè ullo peccato anima ejus benedicta fuiſſet creata, adhuc puritati animæ Chriſti non fuiſſet adæquata. Unde evidenter infertur, quòd decuit ipſam fore ſinè ullo peccato. Iſta autem viſio confirmatur per illam legem quæ habetur Digeſtis de Conſtitutione Principum, lege ultimâ, ubi dicitur: quòd *Beneficium Imperatoris cum à divina ejus providentia proficiſcatur quam pleniſſimè interpretari debemus.* Item, iſti legi apponitur lex divina de honore patris, & matris Deuteronom. 5. cap. Non ſatis autem Chriſtus honoraſſet Matrem ſuam, ſi potuit eam præſervare ab ira divina & non fecit. Item, opponitur ratio B. Auguſtini in Sermone de Aſſumptione, ubi horret dicere de Matre Domini, quod ipſa fuit corrupta corporaliter: & tamen priùs deteſtabiliùs eſt ipſam dicere fuiſſe mentaliter ſic corruptam, ut ſi tunc mortua fuiſſet, extitiſſet damnata.

Tertia viſio eſt: ex quo decuit Deum hoc facere, quòd de facto ipſe fecit: quia nullum agens benevolum prætermittit aliquid de decentibus circa effectum placitum ſibi: Ita autem Virgo ſummè placuit Deo,

ut testatur Gabriël Lucæ 1. capitulo, & confirmatur per Beatum Augustinum de Natura & Gratia, qui dicit sic: *Cùm de peccatis agitur, nullam de Matre Domini prorsus volo fieri mentionem.* Dicunt autem aliqui, quòd intentio sua est loqui de peccatis actualibus, non de originali. Sed contra: quia in 3. Sententiarum, dist. 3. inducitur istud verbum ad privilegium Virginis super omnes Sanctos, ut patet ibi; & tamen constat quod multi sunt Sancti, qui nullum peccatum actuale habuerunt sicut Innocentes. Item, benignius leges interpretandæ sunt, quò voluntas eorum servetur, ut habetur ff. de lege & sect. 9. lege 18. Isti autem interpretantur legem in partem sinistram. Item, in ambigua voce legis ea potiùs est accipienda significatio, quæ Virgini vitium non imponit. Et confirmatur hæc visio per casum, qui habetur de lege, & sect. 9. lege Princeps; ubi dicitur, quòd *Princeps legibus solutus est; Augusta licèt legibus soluta non est; Princeps tamen eadem privilegia illi attribuit, quæ ipse habet.* Unde cum noster Imperator Christus eodem modo, quo Imperator non sit legibus astrictus; eodem modo videtur Augustam nostram à legibus nostris excepisse, aut non tantum eam dilexisset: non enim minùs debemus deferre nostræ Imperatrici, quàm jurisconsulti deferant illi.

Quarta ratio est: quòd non obstante tali præservatione, Mater Domini potest dici peccatum originale contraxisse: quia, quandocumque convenit aliquid alicui de se, nisi ab alio præservetur, illud quod convenit ei de se, potest ei attribui veraciter, sicut veritas creaturæ: Mater autem Domini ex modo suæ Conceptionis fuit nata contrahere peccatum originale, nisi gratiâ Dei præservata fuisset. Ista etiam regula est assumpta de Scriptura, & potest confirmari quadruplici exemplo sacræ Scripturæ: quorum primum est Isaiæ 41. *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est.* Tamen nulla creatura de facto constat ex nihilo, sed quia de se est nihil nisi præservaretur divina gubernatione. Secundum in Psalmo 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* cum tamen multi fuerint boni, qui erant de se mali. Tertium est etiam in Psalmo 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Quem exponens B. Augustinus de Martyribus dicit, quòd *Erant mendaces quantùm erant de se, nisi Spiritu sancto illustrati fuissent.* Quartum est Job 4. *Ecce*, inquit, *qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Quorum primum ad bonos refertur, & secundum ad malos, secundùm B. Gregorium in Moralibus: & tamen boni non sunt de facto instabiles cum sint in gratia confirmati, ut habetur in secun-

do

do Sent. dist. 5. Sed quia de natura sua non sunt stabiles nisi præservarentur à divina gratia. Et ista est expositio B. Gregorii expressa. Isto autem modo potest intelligi illud, quòd ponit B. August. de Fide ad Petrum 22. ubi dicit sic: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci.* Dicunt tamen aliqui, quod dicta Canonum non sunt sic exponenda, sed ad litteram intelligenda, Sed contra istud est illa lex quæ habetur ff. de ..... quod scire leges non est hæc verba earum tenere, sed vim, & proprietatem. Istud autem dictum Augustini habetur de Consecratione, dist. 4. cap. Firmissimè. Quòd autem istud capitulum taliter oporteat exponere, probo: quia dicit, nasci, & non concipi; & constat Virginem sine originali peccato natam, & etiam B. Joannem; ideo distinguunt de nativitate in utero, & ex utero: ita & nos distinguemus de jure præsenti, & de jure in præteritum. Et dicimus quod illa regula intelligitur primo modo, & non secundo, sicut ipsi in allegata distinctione. Item, quòd is Canon multiplici expositione indigeat, probatur: quia ibidem dicitur: quod parvuli, qui moriuntur in utero matris & qui post nativitatem sine regenerationis gratia moriuntur, igne æterno cruciabuntur: Et tamen nullus Doctorum tenet quod puniantur nisi pœna damni.

Quinta visio est: quòd non obstante tali præservatione, Mater Domini dicitur verè redempta: quia si aliquis Dominus redimeret aliquem à reatu servitutis antequam nasceretur, vel etiam conciperetur, perfectiùs eum redimeret, & nobiliùs quàm si ipsum in servilem statum erumpere permitteret ante redemptionem: sicut perfectior esset medicus, qui præservaret hominem ab infirmitate, quàm qui postea ab infirmitate curaret. Quia verò difficile est forsan intelligere quomodò aliquis redimatur à malo, quòd numquam de facto habuit; ideo istud confirmatur quadruplici testimonio sacræ Scripturæ. Primò, quidem testimonio Oseæ 13. ubi dicit sic Deus: *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos.* Quod non potest intelligi de morte prima, quia ab illa nullus redimitur: si autem de morte secunda, scilicet inferni, habetur propositum, quia nullus redemptus unquam habuit. Secundùm testimonium est in Psalmo 48. scriptum: *Deus redimet animam meam de manu inferi:* & quia istud posset intelligi de Verbo, ideo dicitur in Psalmo 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, & in Psalmo 29. *Salvasti me à descendentibus in lacum*; quæ non nisi præservando intelligi possunt. Tertium testimonium est Proverbiorum 33. ubi dicitur: quòd *quid percutit virgâ*

puerum

puerum, liberat animam ejus de inferno; quòd non poteſt intelligi niſi præſervando. Quartum teſtimonium eſt B. Pauli ad Galatas 3. ubi dicitur, quòd *Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Iſtam autem maledictionem nunquam habuimus, cum per mortem Chriſti lex fuerit totaliter evacuata: ideò patet quòd Beata Virgo fuit meliùs redempta, ſi virtute paſſionis Chriſti fuit ab omni labe præſervata. Sed contra iſtud obiiciunt: quia illud quod fuit privilegio præſervatum, non fuit pretio redemptum. Dicimus autem, iſtud ſimpliciter eſſe falſum, ut probatur teſtimonio ſacræ Scripturæ: quia, ut refert Hiſtoria ſuper Geneſim: Abraham fuit præſervatus privilegio divino de incendio Chaldæorum, mortuo ibi fratre ſuo Aran; & tamen inde dicitur fuiſſe redemptus Abraham Iſaiæ 29. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus, qui redemit Abraham.* Sed qualiter potuit præſervari merito paſſionis Chriſti, qui nondum erat? Dicitur autem, quòd merito paſſionis Chriſti, ut à Deo prævisæ fuit collata gratia Sanctis in veteri teſtamento, ut notatur in tertio Sententiarum.

Sexta viſio eſt: quòd non obſtante tali præſervatione Mater Domini verè fuit purgata, non quidem à labe, quæ ibi fuit per aliquod inſtans, ſed à macula quæ infuiſſet, niſi præſervata fuiſſet. Sed quia purgationem nolunt, niſi præviæ maculæ; ideo iſtud quadruplici teſtimonio declaratur: quorum primum eſt in Verbi Incarnatione, in qua Mater Domini per fidem fuit mundata, ut teſtatur Anſelmus, de Conceptu Virginali, cap. 18. cùm tamen tunc nullum haberet inquinamentum. Secundum eſt in Verbi Generatione, ex qua Mater Domini nullam contraxit ſordem, & tamen dicitur purgata fuiſſe, ut patet, Lucæ 2. cap. Tertium eſt: in Angelorum comparatione, quia B. Dyoniſius de Angelica Hierarchia 7. capitulo, ponit in Angelis tres actus Hierarchicos, quorum primus eſt purgare, & tamen Angeli qui purgantur, nullam præhabuerunt maculam. Quartum eſt; in Sanctorum glorificatione, de qua futura in die judicii Malachias loquens, ſic ait: tertiò cap. *Purgavit filios Levi, & colavit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Et tamen conſtat quòd in die judicii, de quo ad litteram loquitur ibi, nullum habebunt peccatum.

Septima viſio eſt: quòd non obſtante tali præſervatione, Mater Domini fuit verè ſanctificata. Et quia quærunt, à quo fuit ſanctificata, ſi culpam non habuit; ideò talis ſanctificatio, quæ fuit nullo vitio prævio, confirmatur quadruplici exemplo ſacræ Scripturæ, & teſtimonio. Quorum primum eſt, Iſaiæ 5. cap. Ubi dicitur Deus Pater ſanctificandus

injuſtitia

in justitia: *Dominus*, inquit, *justus sanctificabitur in justitia.* Secundum est: quia Christus dicitur sanctificatus etiam quoad diversitatem, Joan. 10. *Quem*, inquit, *Pater sanctificavit, & misit in mundum*: Et tamen temerarium est quærere à quo peccato. Tertium est: quia Christus dicitur sanctificatus quantum ad humanitatem, in qua constat nullum fuisse peccatum; unde dicitur Actuum 10. quòd ipsum unxit Deus Spiritu sancto, & virtute: Ista autem unctio designat in Scriptura sanctitatem. Quartum est: quòd Angeli boni qui sunt sinè peccato leguntur sanctificati, Isaiæ 13. *Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea*; loquens ad litteram de istis Angelis, qui sunt executores ultionis divinæ.

Octava visio est: quòd non obstante tali præservatione, Mater Domini fuit aliquibus pœnis peccati originalis affecta, utpote morte, ut testatur Hieronymus ad Paulam, & Eustochium: Istius tamen causam difficile est videre, cum secundùm B. Augustinum, Deus non sit priùs ultor, quàm aliquis sit peccator, ut habetur 2. Sent. dist. 4. ideò istud quadrupliciter declaratur. Primò, in prole peccatum parentum primorum portante, quia à secundis parentibus nihil contraximus, id est, nullam culpam contraximus: & tamen justi habent pœnas de peccatis parentum, ut habetur Trenorum 5. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Secundò, in sanctificatione animam purgante; sicut enim Joannes Baptista, quando fuit sanctificatus, fuit à peccato originali purgatus, sed non à pœna peccati originalis; ita Mater Domini potuit præservari à culpa, licèt non à pœnâ. Tertiò, in Sacramento regenerante, ubi fit purgatio & remissio omnium peccatorum, & tamen pœnâ remanet peccati originalis, licet anima fuerit absoluta à pœna & à culpa, ut evolaret confestim. Quartò, in Christo tales pœnas sustinente sinè omni culpa, de quo Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit.* Si autem dicatur quòd pœnæ illæ non erant inflictæ, sed gratis assumptæ: dicendum: quòd humanitati, quæ ipsas sustinuit, fuerunt inflictæ, quamvis acceptæ sint: carere tamen ipsis non esset in hominis pura potestate. Intelligimus tamen, quòd quatuor causæ reperiuntur in sacra Scriptura, quare infligitur alicui pœna, & non pro sui culpa. Primò quidem, ad divina magnalia ostendenda, ut habetur de cœco nato, Joannis 9. ubi dicitur: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ut cœcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Secundò, ad opera virtuosa exercenda, sicut in Apostolo stimulus carnis, cui fuit dictum: virtus in infirmitate perficitur.

ficitur. Tertiò, ad exercitia ſanctitatis relinquenda, ſicut in Job, & Tobia, ubi habetur expreſsè ut poſteris daretur in exemplum patientia eorum, Tobiæ 2. Quartò, ad redemptionis myſteria perficienda, ſicut in Chriſto, cujus pœnæ fuerunt pro nobis ſatisfactoriæ. Et ideò Mater Domini ſecundo, & tertio modo potuit habere pœnas ſinè peccato, ut virtus perficeretur, & demonſtraretur exemplum. Sed non obſtantibus iſtis, Mater Domini caruit aliquibus pœnis peccati originalis, quibus nullum alium dicimus carere, vel caruiſſe, ſcilicet concupiſcentiâ, &c.

Nona viſio eſt: quòd non obſtante tali præſervatione Mater Domini fuit citra privilegium Chriſti. Quod quadrupliciter declaratur. Primò: quia Chriſtus non indiguit præſervatione ſicut Mater ejus, eò quòd non fuit genitus per propagationem ſicut ipſa; lex autem peccati originalis non fuit data niſi contra propagandos ex Adam. Secundò declaratur, quia Chriſtus non indiguit redemptione; cum ex natura ſuæ generationis ſingularis non fuerit natus contrahere aliquod peccatum, vel reatum ſervitutis, ſicut qui naſcitur filius iræ. Tertiò: quia anima Chriſti quando fuit creata, fuit ultimatè ſanctificata, & non anima Virginis, cum ulteriorem ſanctificationem habuerit in ejus Conceptione. Quartò: quia anima Chriſti in primo inſtanti fuit glorificata; non autem anima Virginis donec fuit aſſumpta. Iſtis autem opponitur illud ſummum privilegium, quo tota Chriſti humanitas fuit à Verbo aſſumpta, de quo dicit B. Auguſtinus 13. de Trinitate: quòd in rebus per tempus ortis illa ſumma grâtia eſt, quâ homo in unione perſonæ divinæ conjunctus eſt. Ideoque, quia Chriſtus ſolus Matrem ſuam in ..... exceſſit, inducitur pro Virginis præſervatione illud teſtimonium, quod habetur Matthæi 2. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta*: Sancta Dei Genitrix fuit nata de muliere, & fuit major Joanne Baptiſta, ergo non ſurrexit; ſi non ſurrexit, non cecidit, ſcilicet in peccatum originale: ſi autem ſurrexiſſet per ſanctificationem à labe peccati originalis, non fuiſſet major Joanne baptiſta. Nec poteſt hîc accipi ſurgere, pro naſci; quia ſic ſurrexit. Nec valet ſi dicatur, quòd Virgo non fuit natus, ſed nata, quia eodem modo poſſet exponi capitulum Firmiſſimè, ubi non fit mentio de genere fœmineo. Si ergo major fuit qui ſurrexit, & major qui cecidit.

Decima viſio eſt: quòd iſta Virginis præſervatio benedicta non eſt contra auctoritatem ſacræ Scripturæ: quia divina Scriptura nuſquam de Virgine loquens peccatum ei attribuit. Sed contra iſtud inſtatur quadruplici auctoritate B. Pauli: quarum prima eſt ad Rom. 3. *Iuſtitia Dei per*

fidem

fidem IESV Christi est in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Secunda est ad Romanos 5. ubi sic ait: *Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.* Et subdit: quòd sicut peccato unius mors regnavit in omnes in condemnationem, sic Christi justitia in omnes regnavit in sanctificationem vitæ. Quarta est primæ ad Corinthios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Sed ad ista omnia, solvitur præmittendo istam regulam; quòd quandocumque aliqua regula generalis datur in sacra Scriptura, privilegiati non intelliguntur sub illa: nec ex hoc quod alicui contra illam regulam privilegium conceditur, ipsa lex, vel regula destruitur. Istud autem confirmatur duplici testimonio sacræ Scripturæ. Quorum primum est Sapientiæ, ubi dicitur quòd unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus: & tamen Enoch, & Elias fuerunt à communi morte privilegiati. Secundum est Ecclesiast. 40. ubi dicit Sapiens, quòd commune jugum est super omnes filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Et sequitur ibi, quòd omnia quæ de terra sunt & in terram pariter convertentur, propter incinerationem nostrorum corporum. A qua lege non fracta, constat esse privilegiatos, non solùm Sanctam Dei Genitricem, sed etiam Joannem Evangelistam: Et ideo omnes auctoritates privilegiatæ sunt veræ de jure, sed non de jure municipali. Ista autem solutio confirmatur dupliciter: Primò, quia si Princeps Ecclesiæ statueret unam Decretalem, ut quicumque contraheret citra quintum gradum, ipso facto esset excommunicatus; & postea concederet domui Regiæ privilegium, ut liceret eis contrahere in quarto gradu; talis constitutio maneret in suo vigore, & diceretur quòd nulli liceret sic contrahere de jure communi, sed bene de jure municipali, ut potest probari Canonibus infinitis. Secundò, quia si Imperator constitueret legem, ut quicumque subjectus Romano Imperio solvere vectigal teneretur, & postea concederet alicui personæ privilegium, diceretur sicut prius, ut potest probari legibus infinitis; sed adhuc aliqui adducunt auctoritatem Sapientis Ecclesiastici 7. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Dicitur quòd ibi loquitur Sapiens de instabilitate hominum, & mulierum ad litteram secundùm Glossam, & ita pertinet ad peccata actualia, ideo non est ad propositum.

Undecima visio est: quòd ista præservatio non est contra intentionem Ecclesiæ Sacrosanctæ, quia ipsa sustinet celebrari festum Conceptionis,

in qua ſolemnitate cantantur aliqua quæ expreſsè ipſam deſignant ſinè peccato fuiſſe conceptam; tam in Univerſitate Pariſienſi, quàm in Anglia iſto officio conſueto. Quòd autem non ſit contra intentionem Eccleſiæ confirmatur quadrupliciter. Primò, quia ſicut ſcribit B. Auguſtinus de Baptiſmo parvulorum, Eccleſia adverſus prophanas novitates vigilare debet, & tamen cum ipſa novitas fuerit diu introducta, ita ut jam ſit antiquitas, nec Eccleſia obviaverit, non videtur contra ejus mentem; aliàquin ſponte errare permitteret filios ſuos. Secundò confirmatur: quia qui alios cum poteſt ab errore non revocat, ipſe ſe errare demonſtrat: Extra de hæreticis, cap. 2. & ſic Eccleſia ſe errare monſtraret in hoc facto, quòd abſit. Tertiò confirmatur: quia error cui non reſiſtitur appropriatur, ut habetur 83. diſt. C. Error: Et ideò ſi contra intentionem Eccleſiæ eſſet iſtud, tunc cum Eccleſia contra iſtum errorem non reſiſtat, nec defenſet, ſibi appropriatur. Quartò confirmatur per caſum legis, qui ponitur ff. & §. 9. & 59. ubi dicitur, quòd ea quæ longâ conſuetudine approbata ſunt velut tacitâ conceſſione firmata, tanquam ea, quæ ſcripta ſunt jura ſervantur in lege, ſed & ea, & in lege ſequenti; ubi dicitur, quod iſtud jus ita magnæ eſt auctoritatis, quòd non fuit ipſum ſcribere.

Duodecima viſio eſt: quòd iſta præſervatio non eſt contra dicta Sanctorum; & quia hic inducuntur principaliter quatuor Sancti, ſcilicet Leo, Bernardus, Anſelmus, & Auguſtinus, ideo primò oportet oſtendere, quod non eſt contra dicta B. Leonis: quoniam enim dicit in Sermone Nativitatis Domini: *Quia*, inquit, *Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum invenit; ita liberandis omnibus venit.* Dicitur autem quòd non invenit Chriſtus Matrem ſuam ita liberam à reatu, quin indigeret liberatione, per præſervationem, ſicut fuit deductum, quia quantum erat de ſe ancilla fuiſſet. Vel dicitur quod privilegiati non includuntur in illis verbis: ſic oportet exponere, vel exponi illud B. Ambroſii de peccato actuali: quòd ſolus Chriſtus de Spiritu ſancto natus abſtinuit à peccato. Secundò oportet oſtendere, quòd nihil eſt contra dicta B. Bernardi. Primò quidem, quando exponit illud Sapientis: Aufer rubiginem de argento, id eſt, peccatum originale de Beata Virgine, in quodam Sermone. Dicitur autem: quòd illud dicitur auferri quòd præcavetur ne habeatur, ut probatur Deuteronomii 7. cap. Ubi dicitur: quòd ſi cuſtodierint mandata Domini filii Iſraël, auferet ab eis omnem languorem, quem viderant in Ægypto. Secundò: quia in

Pſalmo

Pſalmo 118. dicitur pro ultima confuſione, quam David numquam habuit: *Auſer à me opprobrium, & contemptum.* Tertiò, quia Sapientiæ primo cap. dicitur: quòd Spiritus ſanctus aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſinè intellectu, quibus tamen non fuit aſſociatus. Quartò, quia Matthæi 13. cap. dicitur: *Qui autem non habet, & illud quod videtur habere, auferetur ab eo.* Sed contra auctoritas eſt expreſſa ejuſdem Bernardi ad Lugdunenſes, ſic dicentis: *Quia ante Conceptum Virgo minimè ſanctificari potuit, quia non erat, nec in Conceptu propter peccatum quod inerat.* Reſtat igitur ut poſt Conceptum in utero exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecit nativitatem, non Conceptionem. Intelligendum tamen, quòd conceptio accipitur in ſacra Scriptura uno modo pro ſeminis ſuſceptione ut habetur ad Hebræos, Et ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit. Alio modo per corporis formationem, ut Geneſ. 26. cap. Ubi dicitur Agar ſe concepiſſe videns deſpexit dominam ſuam. Tunc autem conceptio cognoſcitur, cum corpus conceptione formatur. Tertiò, per animæ infuſionem: tunc enim primò homo concipitur, quia uſque tunc non eſt homo. Et iſto modo intelligitur illud Pſalmi 50. *In iniquitatibus conceptus ſum:* antea autem in anima propriè nulla eſt iniquitas. Quartò, per fœtus in utero conſervationem, ut habetur Jeremiæ 28. cap. ubi ſibi maledicens imprecatur: quòd venter matris ſuæ fuiſſet ei conceptus æternus. Virginem igitur non ponimus ſanctificatam in Conceptione primo modo accepta; nec in ſecunda, quia nondum erat ejus anima; ſed in tertia & in quarta. Poteſt etiam dici, quòd utraque primarum fuit in peccato, quia ſecundùm legem peccati, ita quod in animatione, ſeu in animæ infuſione anima peccatum originale contraxiſſet, niſi præſervata privilegio fuiſſet. Et intentio B. Bernardi poteſt referri ad duas primas Conceptiones, tamen excluſo peccato ſicut priùs. Item non obſtat quod dicit: quòd in iniquitatibus concepit eam mater ejus: quia verum eſt quod libidinosè concepta fuit & cum ſemine tranſfuſa cauſa peccati, iſta tamen non fuit in Virgine quæ nondum erat. Item non obſtat quòd dicunt: Virginem hoc honore libenter carere, quia intelligitur modo prædicto, ut ſcilicet, non dicatur ſicut Chriſtus concepta de Spiritu ſancto. Item non obſtat quòd prohibet feſtum celebrari: quia poteſt intelligi habendo intentionem adſeminis tranſfuſionem, non ad animæ creationem cum gratia. Unde ibi ſunt quatuor opera celebranda. Primum eſt, corporis miraculoſa formatio. Secundum eſt animæ præclariſſimæ creatio de nihilo. Tertium eſt,

animæ cum corpore unio cum præservatione à peccato originali, quod contrahitur sicut irregularitas in nuptiis mulieris corruptæ. Quartum est gratiæ infusio. Item dato quod omnia ista constarent, potest dici quod B. Bernardo respondet Archiepiscopus Rothomagensis: *Montes Gelboë nec ros nec pluvia, &c*, Et confirmatur ista responsio: quia Hieronymus, qui est majoris auctoritatis non admittitur in dubio Assumptionis; nec Augustinus in Sermone: Vidi portam, ubi dicit, eam colorem amisisse Virgineum. Tertiò, oportet ostendere quòd non est contra dicta B. Anselmi: inducitur enim B. Anselmus, in libro Cur Deus homo, lib 2. cap. 16. Ubi dicitur quòd Virgo in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum peccato originali nata est, quoniam & ipsa in Adam peccavit. Dicitur autem quod illa non sunt verba B. Anselmi, sed Bosloni discipuli, qui sæpè in suis interrogationibus accepit falsa, sicut Petrus ad Gregorium, & Adeodatus ad Augustinum. Item ipse dicit, quòd Virgo non solùm fuit concepta, sed etiam nata in peccato originali, quod constat esse falsum. Item Anselmus consuevit affirmare ejus dicta quando sunt vera; ibi autem transit ad alia quasi dissimulando. Item ipse B. Anselmus oppositione postea determinavit in Sermone, quem fecit, ubi dicit: quòd licèt B. Virgo de se fuerit concepta in culpa, tamen in habitudine ad Deum anima ejus fuit creata in gratia. Item istud quod dicit Anselmus de Conceptu Virginali, cap. 18. quòd per fidem fuit mundata ante Verbi conceptionem exponitur sicut supra de purgatione. Quartò, oportet ostendere quòd ista Virginis præservatio non est contra dicta B. Augustini. Inducitur enim auctoritas B. Augustini super Joannem Homiliâ 13. ubi dicit quærendo: *Ecce Agnus Dei. Si Agnus Innocens, &c.* & dicit quòd non, quia *omnes ex illa radice veniunt, de qua cantat gemens David: in iniquitatibus conceptus sum*, à qua regula excipit solùm Christum, qui non fuit genitus à traduce. Item de Baptismo Parvulorum, libro 2. cap. 4. dicit: quòd *Nisi unum mediatorem Dei, & hominum Christum IESVM nullum sinè peccato esse, vel fuisse, vel futurum esse certissimum est.* Item ibidem: *Non est filius hominum quisquam sinè peccato, nec fuit, nec erit, excepto uno mediatore.* Item ibidem dicit: quòd solus ille homo manens Deus peccatum non habuit. Item Augustinus super Genesim ad litteram 4. libro dicit: Carnem MARIÆ conceptam fuisse per rationem seminalem, & in vulnere prævaricationis, quod est fervor libidinis. Sed attende quòd quatuor primæ, quæ sunt generales, solvuntur per illam distinctionem, quæ præmissa est de jure communi & munici-

municipali, quia leges generales non interimunt privilegia. Et confirmatur quadrupliciter. Primò quidem per Vetus Testamentum: Quia licèt Sententia generalis fuerit lata contra homines Genes. 3. cap. de incineratione corporum, inquiens *Donec revertaris*, &c. Illa lex non fuit revocata ex hoc quòd B. Virgo in Assumptione fuit privilegiata secundùm Augustinum. Item, licèt lex doloris in partu fuit inducta Evæ pro omnibus mulieribus, Virgo habuit privilegium lege integrâ manente. Et ita dicitur de legibus, quas exponit B. Augustinus, cum auctoritas sacræ Scripturæ ipsum præcellat. Sed quare excipit Christum? Dicitur quòd ideo quia ad illum lex non pertinet, & ideo non oportet quòd habeat privilegium. Secundò, confirmatur per Testamentum Novum: quia *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, sicut dicit Apostolus primæ ad Corinthios 3. & tamen B. Virgo non speratur tunc resurrectura, cùm jam sit resuscitata. Tertiò, confirmatur per Jus civile: Quia licèt à principio videatur fuisse lex Romanorum, ut nullus esset immunis à præstatione vectigalium præter fiscum, ut habetur ff. de jure fisci, lege Fiscus; tamen postea fuit concessum Augustæ istud privilegium; & tamen ex hoc lex non fuit revocata, ut habetur ex his, quæ notantur in lege Princeps ff. de lege. & Ju. consultus. Quartò confirmatur per Jus canonicum. Quia quamvis privilegia sint concessa duabus Religionibus, ut eis confessi non teneantur confiteri curatis; tamen ex hoc non est revocatum capitulum: Omnis utriusque sexus, cum sit jus universale; sicut per hoc quod conceditur Regi, ut possit accipere quemcumque voluerit confessorem, non revocatur illud capitulum. Sed quia cuncta auctoritas fecit mentionem singularem de Virgine; ideo intelligendum est quòd peccatum accipitur dupliciter in sacra Scriptura, scilicet pro culpa, quæ propriè est in anima, aut pro plaga, & læsura inflicta corpori, id est, extetiori homini. Et istud peccatum dicitur illa concupiscentia, quæ est pœna peccati, de qua loquitur Apostolus Paulus ad Rom. 7. *Non operor*, inquit *malum, sed quod inhabitat in me peccatum*, id est, pronitas ista, ut ibidem patet. Et illo modo dicitur Mater Domini verè in peccato concepta ad feminis susceptionem, quia cum concupiscentiâ genita; non autem quando fuit creata ejus anima benedicta, longo tempore postea. Item opponuntur aliæ auctoritates: prima Anselmi lib. Cur Deus homo 2. cap. 18. ubi dicit, quòd *Christus de massa peccatrice sinè peccato assumptus est*. Dicitur autem quod ibi accepit massam peccatricem pro tota humana natura, quæ in Adam fuit corrupta: ipsa etiam fuit in Christo cum Virgine,

gine, id est, in materia præfuit in peccatoribus parentibus, & ideò in ipsis potest dici aliquo modo læsa. Item Ambrosius super Lucam dicit: quòd *solus Christus fuit natus de fœmina sanctus.* Dicitur quòd notanter dicit Ambrosius, quòd nemo per omnia sanctus nisi Christus; Virgo enim non fuit tunc vel ultimatè sanctificata. Item Damascenus, lib. 2. dicit quòd Spiritus sanctus mundavit Virginem purgans ipsam, & virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens. Dicitur autem quòd purgatio fuit talis, qualis est in Angelis. Item Gregorius undecimo moralium, dicit: quod *Solus in carne sua verè mundus extitit, qui per carnem, aut delectationem non venit.* Dicitur autem quod ibi accipitur verè mundus pro summè mundo, & non mundiorem ponimus Christum quàm Virginem, sicut puriores sunt Angeli superiores eo quòd purgant, quemadmodum clariores probantur ex hoc quod illuminant. Item Magister Sententiarum in 3. Sent. dist. 3. dicit: quòd juxta attestationes Sanctorum oportet credi carnem Christi priùs peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro. Dicitur autem, quòd caro Virginis dicitur peccato obnoxia, quia cum peccato concupiscentiæ seminata, non tamen ejus anima. Unde Sancti ejus animam numquam dixerunt esse fœdatam, sed tantùm carnem in parentibus permanentem. Caro autem propriè numquam est peccato obnoxia, cùm peccatum non sit formaliter in carne, sed modo jam prædicto. Ad laudem Virginis, Amen.

Sermo de Conceptione Ioannis de Mandeville.

MUlti ad legem naturæ insipientes opinantur B. Virginem in peccato originali conceptam & procreatam; sicut S. Bernardus, qui Tractatum fecit, in quo prohibuit ne festum Conceptionis B. Virginis fieret, dicens eam in peccatis conceptam, & de peccato festum fieri non debere. Plures alii concordant, dicentes omnem carnem fomite peccati originalis esse obnoxiam. Sed licèt ly omnes, universaliter comprehendat; tamen ibi non ponitur pro genere, & possunt aliqui excipi ab illo universali. Sicut etiam hoc: omnis anima fuit in arca Noë, non est vera nisi pro generibus secundùm numerum. Similiter etiam de primo Psalmista: *Omnis homo mendax*: aliàs enim Christus, B. Virgo, Joannes Baptista mendaces fuissent, quòd est falsum: in ore enim eorum non est inventum mendacium. Unde propheta loquitur ibi de genere hominum communi, & pro parte majori dicit, omnis. Etiam in proposito dicendum: omnes à primis parentibus descendentes fomite peccati originalis esse conspersos secundùm legem naturalem; nam ex immundo semine non potest mundum procreari, ut in leproso: nam quidquid generatur leprosum est; sed secundùm gratiam Deus potest præelectos mundare, & contra naturam mundum procreare, prout sibi placet; nam ipse naturam condidit. Unde Job: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Et solus ipse potest contra cursum naturæ mirabiliter facere, quidquid placet, ut virgam aridam florere & fructificare; asinam Balaam facere loqui, &c. Unde per propheram: Tu es solus, qui facis mirabilia. Unde certum est omnium rerum causas ab æterno in Deo esse, quia in eo sunt primordiales causæ, quia sunt causæ causarum, quia immutabiles sunt, & in Deo dicuntur absconditæ, & fiunt mirabiliter per

Dei voluntatem ; seu gratiam , non per naturam , quia natura habet suas operationes limitatas ad certum finem , quia Dominus inseruit speciales rationes rebus secundùm quas aliæ ex aliis proveniunt. Sed super hunc naturalem cursum creator habet apud se posse de omnibus facere aliud quàm eorum naturalis ratio deposcat ; & hoc in ejus dispositione & potentia ab æterno fuit. Unde certum est quòd Deus præscivit & voluit ante omnia sæculorum sæcula B. MARIAM mundam nascituram , & puram, & ejus carnem incontaminatam suæ divinæ majestati immutabiliter esse uniendam , non solùm ante sæcula temporanea præsentia à constitutione mundi , sed ante omnia sæcula , sive tempora æterna. Unde Scriptura dicit : *Elegit eam Deus, & prælegit eam.* Elegit quidem de hoc mundo temporaneo eam solam singularem inter universas filias hominum parem non habentem , in qua perfecta extitit innocentia, & altitudo naturæ humanæ ; & prælegit eam, quia in mente divina concepta fuit, ac ordinata ante mundi hujus constitutionem, & ante omnia sæcula temporanea sive æterna , ut ejus caro sanctissima divinitati uniri esset digna. Unde non est suspicandum eius carnem fomite alicujus peccati originalis seu actualis esse maculatam. Unde Anselmus : *Decebat , ut ejus hominis , scilicet Christi, conceptio de Matre purissima fieret, & ea puritate , quâ sub Deo major nequeat inter omnes Virgo illa niteret , cui Deus Pater unicum Filium , quem de corde suo æqualem sibi genuit, ita dare disponebat , ut esset unus atque idem Dei & hominis filius.* Ex quo patet, eam etiam Angelis esse puriorem ; sed Angeli ab omnibus peccatis sunt immunes : ergo & Beata Virgo. Item Hieronymus : *Dominus Deus in cujus conspectu nec astra munda sunt , tantæ munditiæ carnem Virginis gloriosæ judicavit, ut eam suæ divinæ puritati conglutinare non dispexerit.* Si ergo Deus , in cujus conspectu omnia nuda & aperta sunt, tantæ puritatis & munditiæ carnem Virginis judicavit ; nulli hominum licitum est ipsam aliquo crimine irretitam conjecturare. Item Augustinus libro de Natura & Gratia . *Excepta Sancta Virgine MARIA , de qua nullam prorsus cùm de peccato agitur haberi volo quæstionem , quia ipsam , cui tot meruit nullum habuisse peccatum. Hâc ergo excepta , si omnes Sancti & Sanctæ Dei congregari possent , & quæreretur ab eis , an peccatum haberent , quid responderent nisi quod Joannes Evangelista ait : Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus.* Item idem exponens illud Joannis : *Qui de sursum venit super omnes est*, dicit Christum venisse de sursum, id est, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum ; hoc est de primo statu Adæ existentis in Innocentia : quia de prima altitudine conservatâ in Virgine Assumpsit Dei Verbum humanam

manam naturam, sed non assumpsit culpam, cujus assumpsit pœnam. Patet id, quia materia in lumbis Adæ à Deo per gratiam plantata semper, sinè inquinatione aliqua in innocentia semper fuit, in qua altitudo nostræ naturæ conservata est, non per naturam, sed per gratiam Dei: quia sicut potens est de lapidibus filios Abrahæ reluscitare, ita potuit eam servare à culpa. Item istud confirmat Ecclesia celebrans festum Conceptionis ejusdem Virginis: si enim peccatum interfuisset, solemne festum nō faceret, nec deceret. Unde dispensare potuit, & voluit Deus cum Matre sua per gratiam, sicut dispensavit cum pluribus: Jeremias enim in utero sanctificatus est, & per consequens sinè peccato natus est. Item Joannes Baptista contra naturam de sterili natus, & in utero sanctificatus à Deo missus est; fuit enim homo missus à Deo; & per consequens fuit sinè peccato, quia à Deo non mittitur anima peccatrix, nisi purum, mundum, & sanctum. Item idem à Domino Angelus dicitur, ergo fuit sinè peccato. Item alii plures per gratiam Dei sinè peccato nati sunt, unde Joannis primò: *Qui non ex sanguinibus*, id est peccatis, *nec ex voluntate*, seu voluptate carnis, *nec ex voluptate*, seu libidine *viri*, supple, seu mulierum, quia masculus comprehendit fœminam, *sed ex Deo nati sunt*: etiam sinè labe peccati natos insinuet. Verisimile ergo credendum B. Virginem super omnem creaturam omnium obtinuisse, sinè peccati fomite fuisse conceptam, & sinè carnis labe semper fuisse. Nam sicut pater noster Adam sine libidine, & peccati fomite in paradiso genuisset, si in sua Innocentia perstitisset; sic pater Virginis solo naturali tactu sinè carnali voluptate Virginem genuit intemeratam. Nec obstat quòd Bernardus in suo Tractatu festum Conceptionis fieri prohibuit: quia secundùm rationes naturales, & legis naturæ propagationem benè dixit; sed naturæ conditor in sua potentia & voluntate contra legem naturæ facere poterat, & quæ creaturæ abscondita sunt reservavit. Unde postea per Angelos hoc festum fieri est patefactum, quòd non fieret si peccatum in ejus Conceptione immixtum fuisset. Quòd etiam dixit: omnem carnem peccato originali esse obnoxiam; dico: quòd hoc locum habet in his, qui secundùm legem carnis seminaliter propagati sunt, non in his qui gratiâ & voluntate divina ante mundi constitutionem præelecti, & sanctificati sunt, licèt sub umbra naturæ latenter sint producti. Quapropter sciendum: quòd Deus illam pretiosam margaritam, unde Virginis caro orta est, in lumbis Adæ plantavit in Innocentia existentis, sed non per modum, per quem aliæ ejus partes erant compositæ: quia sinè prima pre-

tiosa particula potuit esse homo, sicut etiam homo esse non desiit ablatâ costâ ejus unde Eva facta fuit; sed ut sic fieret pro mundi salute divina providentia ordinavit; sicut gratiâ exempli per figulum potest ostendi, qui de eadem substantia divisa condit vasa, sibi etiam placet, ut in suo vase particula auri purissimi recondat, non alio sciente, nisi cuiquam voluerit revelare. Nunc ad propositum: aurum non maculatur nec confringitur, nec sordescit, sed semper purum, mundum, & integrum sinè inquinatione reservatur: & tamen aurum non est extraneum à terra, quia de terra factum est, sed ita depuratur quòd maculari, putrefieri, & corrumpi non possit, quidquid vasi accidat; & tunc si non esset in vase, non dimitteretur pro eo esse vas: & si contingat id vas frangi, figulus idem poterit in alio vase occultare, & de vase uno in aliud, prout sibi placet, & ita de vase in vas quousque in fine aliud materiale inde fiat ad suum propositum faciendum; sic Creator omnium illam pretiosam margaritam incorruptibilem in lumbis Adæ inseruit, & de lumbis Adæ condidit ad lumbum Seth, & ad lumbos Abrahæ, Isaac, & Jacob, & ideo dilexit Dominus Jacob, & non Esau: unde: *Orietur stella ex Iacob*; demum ad lumbos David, finaliter ad Joachim, unde emissa est, & divinum propositum ab æterno inde est adimpletum: non tamen prima margarita aliena erat à terra Adæ, & cœterorum, sicut aurum non est alienum à terra; sed providentiâ Dei ita erat depurata, ut de sorde vasorum maculari non posset. Omnis ergo natura carnis ab Adam originem duxit.

Item rosa pulcherrima fragrans, & virtuosa, à turpi radice & tribulo spinoso ascendit, in radice inperceptibiliter latens, nec assimilatur radici, aut stipiti, & tamen ejusdem naturæ est, etsi stercoretur radix, aut aliquo coinquinetur; rosa tamen non sordescit, nec viciat, sed munda & aromatica manet. Sic est de B. Maria, Deo miraculosè agente; unde David loquens de mirabilibus Dei, ait: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*; quia ejus voluntas semper efficitur, & pro libitu adimpletur. Quapropter David iterum dicit: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*; & verè profundæ: quia noster intellectus in operibus & secretis divinis contemplandis ita est excœcatus, & obumbratus, sicut oculus Bubonis contra radium Solis; & ideo dicitur Job: *Quis enarravit cœlorum rationem?* profectò nemo in præsenti, quia humani intellectus acies in tam excellenti ratione non figitur, nec per justitiam Fidei nutritus vegetatur; & hoc facit nostræ naturæ in-

firmitas

firmitas, quæ plenè cœlorum rationes attingere non potest. Est ergo cœcitas nobis velle judicare de spiritualibus per rationem naturalem, & in multis, quæ Christum perficere credimus, & scimus eum Patre Deo Deum esse in cœlis; sed qualiter & quomodo in illa æterna gloria sit, clarè non videmus, nec capimus interdum; sic & de B. Virginis gloriosæ Conceptione sensui nostro non patet mysterium, qualiter sinè peccato originali naturæ nostræ altitudo in Deo reservata est, quia mortalium ratione comprehendi non potest.

Posset autem circa prædicta aliquis quærere: quare sola B. Maria dictam habuit prærogativam, cùm multæ aliæ virgines extiterint humiles, castæ, devotæ, Deo servientes? Dicitur; ideo primo: quia ipsam solam ante omnia sæcula Deus prædestinavit in suam Matrem, unde natura creata ei potest comparari; nam antequam aliæ creaturæ crearentur, ipsa in mente divina fuit concepta, & semper Deo juncta, & numquam ab eo disjuncta: Unde Sapientiæ 10. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Et dicit ego, quasi de sui solâ personâ ab omnibus aliis personis exceptâ: quia de natura à natura personæ naturali dici potest. Dignior igitur in omnibus est, & excellior, & ideo in Apocalypsi dicitur de ea: *Ego sum genus & radix David, stella splendida.* Est igitur superior in successione; quia radix David, & perfectior in conditione, quia stella splendida, & omninò concreta ab aliis, quia licèt sint aliquæ animæ nobiles & virtuosæ; tamen ipsa est gemma pretiosa in capite, & superior naturâ, quia ante omnem creaturam prælecta, & in divina mente concepta, & semper Deo juncta; licèt enim Adam in prima generatione naturali primum obtineat genus, quòd per multos patres subalternatim descendit, & per mortem præteriit, & per propagationem iterum evenit; alia tamen est generatio Virginis, quæ est generatio vitæ, quæ non præteriit, sed manet in æternum: non enim est generatio physica, sed Evangelica, non carnaliter, sed spiritualiter, in qua est arbor in cujus capite ponitur ista Virgo pro stipite, quia prima est in generatione vitæ.

Præterea semper fuit, & est in lumine sicut stella splendida, & numquam in tenebris peccati originalis, nec in Conceptione, nec aliter, sed semper splendida, & in luce, & semper Deo juncta. Unde per Malachiam Dominus dicit: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*, qui est Virgo sanctissima, quæ solem justitiæ, & vitæ genuit, & ipsi semper juncta fuit spiritualiter modo singulari per specialem assistentiam, & insistentiam; unde numquam potuit aliqua labe maculari, quia minimum in-

conveniens apud Deum est impossibile, quia cui Deus jungitur, nullum ei adhæret inconveniens peccati, seu alterius rei indecentis. Si enim in peccato concepta fuisset, tunc in illa Cōceptione sejuncta fuisset à Deo, & propter peccatum reprobanda, quod non decuit, ne ejus pulchritudo, & munditia macularetur, & ut Angeli ejus pulchritudinem mirarentur.

Præterea, ante creationem hominis Deus dapsum hominis prævidens, & quo ordine repararetur ordinans, in lumbis Adæ ipsam particulam sanctam, quâ repararetur inseruit: nec hoc mireris, quia certum est Adam sic creatum, quòd omnes nascituros usque ad finem mundi in se naturaliter & materialiter habebat. Unde non solùm caro Virginis, sed & Christi in Adam materialiter extitit: quare dixi carnem Mariæ semper Deo junctam fuisse, & ideo nullo peccati contagio maculari permissam esse. Et id o dicebat Apostolus, quòd *Per inobedientiam unius hominis multi peccatores constituti sunt*; non dicit omnes, quia quidam, ut Maria, & Christus sinè peccato concepti & nati fuerunt. Et ideo Deus serpenti confusionem per illam particulam insinuans, dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum.* Etiam Dominus miserias incussit diabolo per illam mulierem, diabolo tunc incognitam, & tumbidem præsentem, sed latentem. Cùm ergo illa secundùm verbum Domini tantæ auctoritatis extiterit, & ad hoc ordinata fuisset, ut caput antiqui serpentis contereret, & principis mundi superbiam deprimeret, constat eam solam dignam fuisse, cùm nullus Angelorum hoc implere posset. Quod insuper testatur ejus sacra Conceptio ab Angelo denunciata. Præterea in Canticis de ea dicitur: *Quasi balsamum non mixtum odorem dedi.* Modò balsamum dum sit purum, valde est aromaticum & conservativum, ut patet in corporibus mortuis balsamo conditis; unde si anima præservatur à corruptione, certum est quòd in propria natura corrumpi non potest: sic ergo Maria de lumbis Adæ, & sequacium descendens, semper mansit aromatica, & pura, & non commixta aliquo fomite peccati originalis, & sic sola digna fuit.

Item, si in peccato originali concepta fuisset, tunc in natura creata humanæ naturæ altitudo fuisset reservata, & non sic Christus ab Innocentia naturæ creatæ, sed à peccatrice originem duxisset, quod est absurdum dicere, quia Innocens à parentibus processit, & sinè peccati contagio semper remansit. De ejus dignitate, magnificentia, singularitate, & munditia David Incarnationem in Spiritu prævidens, dixit: *In sole posuit tabernaculum suum*; & meritò B. Virgo soli comparatur, quia sicut sol in-

ter

ter cætera visibilia pulchrior, & excellentior exiſtit, ita iſta ſuper omnes filios hominum. Unde ſcribitur: *Sicut lilium inter ſpinas, &c.* Et ſicut ſol utilis eſt nobis ac neceſſarius, quia terrena nutrit, & ad perfectionem perducit; ita ipſa Virgo toti mundo utilis fuit, & eſt: quia per eam, poſt Deum, mundus ſtat & ſuſtentatur, & etiam Eccleſia, quia ſua prece à laqueis diaboli nos liberat, & tremendo judici reconciliat. Et ſicut ſol mundum illuſtrat, ita B. Virgo totum mundum obnubilatum illuminat, & lucem novam mundo reduxit. Et ſicut ſol ſuper munda & immunda radios immittit, nec ex contactu immundorum coinquinatur; ita B. Virgo mundos, & immundos exaudit, quia peccatorem quantumlibet fœtidum non deſpicit, nec abhorret, nec eorum fœtore coinquinatur. Unde etiam in lumbis parentum ante Conceptionem perſiſtens, Spiritus ſancti gratiâ ſemper perfecta, à vitiis parentum non inquinata, ſemper ſinè macula remanſit, nec propter contractum inquinata fuit, ſed ſinè macula permanſit. Unde dicitur: *O quàm pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: ô quam pulchra es, abſque hoc quod intrinſecùs latet.* Verè quod à mortalibus exprimi non poteſt: unde ſola digna fuit nunquam parem habitura. Unde: *Multæ filiæ congregaverunt divitias*, id eſt virtutes, *tu ſupergreſſa eſt universas*; ſicut inſuper dicitur de ea Saapientiæ 43. *Vas admirabile, opus excelſi.* Nonne Dominus Jeremiam Prophetam miſit ad domum figuli, qui fecit opus ſuum ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas quod fecerat, & ipſe converſus fecit aliud ſicut placuerat in oculis ejus. Figulus ſuper rotam operans eſt Deus, qui in ſe ſtabiliter manens, debent cuncta moveri. Vaſorum ergo varietas, pr mevæ eſt matris Evæ & Mariæ diverſitas: quia Eva primum vas, ſcilicet quod peccato diſſipatum eſt, & ipſe converſus alterum fecit, cum hanc Virginem talem qualem habere voluit, ſinè macula procreavit. Et ſicut Evam ſinè peccato creavit, ita, ſcilicet ſecundum vas Mariam, ſinè labe peccati ad eſſe produxit. Nunquid figulus poterat hoc facere vas contumeliæ vel honoris? In ſua enim voluntate conſiſtit: fecit ergo alterum vas, id eſt, ſinè culpa ex dono gratiæ, & naturalis reatus in eadem tandem proviſit. Unde canitur: *Vas admirabile*, etenim materiale quod de novo factum, numquam ante viſum, vel auditum eſt. Unde ſi ſpina proferret poma, vel tribulus vuas, eſſet mirabile; & adhuc magis mirabile, ſi fœmina Angelum parturiret; unde Maria dicitur vas admirabile, quia parem numquam habuit, aut habebit. Unde de ea dicitur: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem*; & opus excelſi dicitur, id eſt Dei, qui eam fecit ad ſuum placitum mirabiliter,

rabiliter, contra curſum naturæ: unde Auguſtinus contra Manichæum: *Non fuit libidinis concepta:* & poſt ſequuntur verba Dei: *Ego Matrem elegi, & ipſam quam deſpicis Manichæe Mater mea eſt. Si potuit inquinari cùm eam facerem, potui inquinari cùm ex ea naſcerer.* Per hoc & ſupradicta patet Beatam Virginem ſinè originali procreatam, ac conceptam, licèt aliqui contrarium dicant, dicentes: *Omnes in Adam peccaverunt, &c.* Sed dico: quòd Domina noſtra non eſt de omnibus, ſed ſuper omnes, nec propagata per modum omnium, ſed ſingulari privilegio dotata fuit, ne inquinaretur. Sed dicet aliquis, quòd poſt Conceptionem fuit purgata. Dico: quòd hoc non ſufficit, quia adhuc remaneret cicatrix & nota, & non ſalveretur ejus ſublimitas; ſicut ſi quis nobilium cadat per crimen læſæ majeſtatis, & condemnetur, licet poſtea reſtituatur & recipiatur ad actus legitimos, non reſtituitur ita plenariè, quin remaneat aliqua nota, & cicatrix in communi opinione & famâ hominum de ipſo, ſicut in Sanctis remanet nota peccati aliqualis, quâ ſe cognoſcunt fuiſſe peccatores: quia quòd factum eſt, non poteſt non fieri. Unde iſta Virgo ſola ſinè libidine concepta fuit, & opus excelſi, id eſt Dei, & non naturæ fuit.

Et quia iſtud ratione non comprehenditur, ideo Deus pauperrimi intellectus ſupplens defectum, per multa ſigna cœleſtia miraculosè patefecit. Unde cùm in partibus Græciæ die octavâ menſis Decembris plures Sancti Eremitæ in loco unius eorum convenirent, ut de verbo ſalutis ſimul conferrent; cùmque de vita, & paſſione Chriſti diu tractaſſent, de laude B. Mariæ tractare cæperunt. Audientes autem in cœlo cantus dulciſonos Angelorum & melodiam, dixit unus fratrum: credo quòd aliqua ſancta anima ab Angelis in cœlis recipiatur. Alius verò inquit: Forſitan habent in cœlo feſtum nobis ignotum. Tertius ait: ſilete; non enim noſtrum eſt de ſuper cœleſtibus judicare, ſed oremus, ut nobis miſeris cauſam ſolemnitatis iſtius revelet clemens Dominus. Ipſis ergo orantibus venit Angelus dicens: quid miramini ſi feſtum ſolemne in cœlis fiat; omnes enim beatorum ſpirituum ordines lætantur, & exultant cantantes atque laudantes Deum de ſolemnitate hodiernæ feſti Conceptionis Sanctæ Virginis Mariæ, in qua Conceptione ſemita facta fuit per quam Deus deſcendit & venit in mundum perditum, ut in ſe credentes ſalvos faceret. Vos itaque omni anno hoc feſtum celebretis, & ſolemnizari ab aliis procuretis. Et his dictis diſparuit. Fratres ergo Patriarchæ Conſtantinopolitano audita narraverunt, & ſic eſt feſtum ubique divulgatum.

Sumus

Sumus ergo per ſigna & experimenta cœleſtia illuſtrati, quæ omni ratione digniora ſunt: ſecundùm enim Avicenam experimentum vincit rationem, & ſecundùm Galenum magiſtro confidere debet in ſua ratione, niſi fuerit experimento comprobatus, quia ratio ſine experimento debilis eſt & deridet eos qui volunt inveſtigare naturas rerum per rationem, & alius Philoſophus non valet aliqua conſideratio quantùmcumque rationalis, niſi fuerit experimento comprobata, quare experimentis divinis credendum eſt, non terrenis rationibus Dei ſecreta diſcutienda ſunt, nam ſcientia ſcholarum eloquentem facit, & aliquid exteriùs operatur, interiùs verò nihil niſi malum. Nam ſicut ſcribitur: ſapientia carnis inimica eſt Deo, undè Apoſtolus: noli nimis alta ſapere, ſcientia verò inflat, &c. Et Eccleſiaſtes: qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt & in omni re defraudatur: undè ſcripitura ſacra, magis ſequitur juſtos quàm juſti eam, undè Propheta: lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus. Et ideò dicitur, quòd juſtorum ..... in exponendo ſacram Scripturam in tantùm præcellit rationem ipſorum, qui mundi dicuntur ſapientes, ſicut ipſorum ſapientium ſcientia differt à fatuis. Divinis ergo experimentis & ſignis de Conceptione ſacra Virginis MARIÆ fidem adhibentes, mundanas rationes, quæ ſæpè fallunt, huic condignæ feſtivitati contrarias, cùm in Divinis Myſteriis, & ſecretis cœleſtibus locum non habeant, pœnitùs reſpuamus ad laudem ſummæ æternitatis. Amen.

Sermonem iſtum Joannis de Mandeville invenimus etiam manuſcriptum ſub nomine Gerardi Rondelli Doctoris Pariſienſis.

TRACTATUS, SEU QUÆSTIO De Conceptione Bſſ. Virginis MARIÆ Dominæ noſtræ à Reverendo A. P. Paulo Veneto, Ordinis & inſtituti Eremitarum S. Auguſtini edita, prout extat Mediolani in Biblioth. Ambroſiana vol. 6. Manuſcriptorum.

Uærit eximius Doctor Magiſter Paulus Venetus, Ord. Eremitarum S. Auguſtini, utrùm B. Virgo concepta ſit in peccato originali: pro quo primo præmittit quædam notanda. Primũ eſt, quòd B. Virgo fuit duplicitèr concepta ſecundùm carnem & ſecundùm animam. Et prima quidem conceptio prœceſſit ſecundã, quoniam priùs fuit formata in utero caro Virginis, quam inductio animæ intellectivæ. In illa homo enim priùs vivit vitâ plantæ, quàm vitâ animalis, ut colligitur ex Philoſopho in Tract. de Animalibus. Itaq; caro B. Virginis priùs vixit vitâ vegetativâ per nutritionem, quàm vitâ ſenſitivâ per guſtum & tactum, & priùs vixit animâ ſenſitivâ quàm intellectivâ; & in hoc fuit ſimilis aliis mulieribus in quibus fœtus & embrion præcedit infuſionem animæ intellectivæ. Fuit diſſimilis Chriſto, quoniam in eodem inſtanti formata eſt caro Chriſti ex puriſſimo ſanguine Virginis cum omnibus membris, & infuſa eſt anima intellectiva cum infinita intelligentia, ſcientia atque gratia.

Secun-

Secundum notandum eſt, quòd peccatum originale dupliciter ſumitur, materialiter, videlicet, & formaliter: Peccatum originale materialiter ſumptum eſt quædam infectio carnis communicata per coitum à primis parentibus, quæ quidem dicitur macula, ſeu fomes, aut libido inclinans hominem ad peccandum: ſed peccatum originale formaliter ſumptum eſt privatio originalis juſtitiæ cum debito habendi eam, ſeu reatus ad pœnam æternam ex peccato primi parentis; Peccatum originale materialiter ſumptum eſt ſolùm in carne: Peccatum originale formaliter ſumptum, quod eſt reatus ad pœnam æternam, eſt ſimiliter in carne & anima, quoniam ex peccato primi parentis tota natura humana eſt infecta, & conſequenter obligatur ad pœnam æternam tam caro, quàm anima.

Tertium notandum eſt: quòd ſicut conceptio carnis præcedit conceptionem animæ, ita peccatum originale materialiter ſumptum præcedit peccatum originale formaliter ſumptum, quod quidem eſt privatio originalis juſtitiæ. Si enim anima crearetur extra carnem, licèt in carne munda, nullum omninò peccatum contraheret, ſed quia creatur in carne maculata & infecta, ideò contrahit peccatum originale quod eſt privatio originalis juſtitiæ, ac etiam reatus ad pœnam æternam: eo modo quo vinum aut aqua aut alius liquor contrahit odorem vel ſaporem vaſorum. Propterea anima Chriſti nullum contraxit peccatum originale, quia creata in carne munda, & quoniam caro illa non proceſſit per coitum, ſed tantùm per Spiritum ſanctum formata eſt immediatè ex puriſſimo ſanguine gloriosæ Virginis, ideò neque ſecundùm carnem neque ſecundùm animam conceptus eſt Chriſtus in peccato originali.

Quartum notandum eſt, quòd de peccato originali B. Virginis eſt triplex opinio. Prima dicit, quòd fuit concepta tàm ſecundùm carnem, quàm ſecundùm animam in peccato originali. Itaque caro fuit infecta & anima ejus fuit in carne creata maculata, ex qua contraxit peccatum originale de neceſſitate. Secunda opinio, huic omninò contraria, dicit, quòd B. Virgo neque ſecundùm carnem neque ſecundùm animam concepta fuit in peccato originali: quoniã caro ejus non infecta fuit: & ſi non infecta fuit, neceſsè eſt, quòd anima illi infuſa nullum omninò peccatum originale contraheret. Tertia opinio mea, quam ego teneo, aſſerit, quòd B. Virgo ſecundùm carnem concepta fuit in peccato originali, ſed non ſecundùm animam, quoniam immediatè ante infuſionem animæ intellectivæ mundata virtute divinâ caro illa fuit: ideò in inſtanti in-

fusionis nullum contraxit peccatum originale: non enim decuit, quòd Conceptio Matris Christi esset omnino similis conceptioni aliorum: constat autem quòd alii concipiuntur communiter in peccato originali tam secundùm carnem, quàm secundùm animam: ergo absolvi debuit ab uno, & non congruit, quòd Conceptio Beatæ Virginis esset ita perfecta sicut conceptio Christi, quia Christus fuit Dominus, & Beata Virgo creatura pura. Constat autem quòd Christus nullo modo fuit conceptus in peccato originali, ergò Beata Virgo concipi debuit aliquo modo in peccato originali, non quidem secundùm animam, sed secundùm carnem, & hoc intendit Anselmus in lib. de Conceptu Virginali, quia decens erat quod eâ puritate niteret, quâ major sub Deo nequit intelligi: quoniam in instanti infusionis animæ ipsa sanctificata fuit per gratiam justificantem, non solùm liberantem ipsam ab omni pœna peccatorum tam venialium quàm mortalium, & in hoc fuit Conceptio sua aut sanctificatio dissimilis conceptioni Jeremiæ & Joannis Baptistæ, quoniam ambo isti concepti sunt in peccato originali simpliciter tam secundùm carnem quàm secundùm animam. Itaque Beata Virgo solùm secundùm carnem concepta fuit in originali peccato: & licèt Sancti sanctificati fuerint in utero non tamen in instanti infusionis animæ, sed post primum instans, neque habuerunt gratiam absolventem à veniali peccato, sed solùm à mortali. Quia ergò processus naturæ, ac etiam artis procedit ab imperfectò ad perfectum per medium MARIAM, ut conceditur 7. Metaphys. Ideò omnes descendentes à primis parentibus usque ad B. MARIAM, exclusivè concepti sunt in peccato originali tam secundùm carnem quàm secundùm animam; Christus autem nullo modo conceptus fuit in peccato originali propter infinitam perfectionem, Virgo autem tenens medium inter Christum & alios præcedentes, nec simpliciter fuit concepta in peccato originali, nec simpliciter liberata ab illo, fuit quidem concepta secundùm carnem in peccato originali, sed non secundùm animam: & in hoc erravit B. Thomas de Aquino, concedens ipsam conceptam fuisse utroque modo in peccato originali: cujus vita etsi est per Ecclesiam approbata, non tamen ejus doctrina, & maximè in hoc, sicut manifestè liquet in Universitate Parisiensi, ubi hæc opinio fuit reprobata, quia offendebat pias aures. Est enim magis pium & consonum veritati concedere animam istam benedictam infusam esse carni mundæ, quàm immundæ, licèt infectæ.

Ex

Ex dictis ſequitur primò, quòd abſolutè eſt concedendum B. Virginem conceptam non fuiſſe in peccato originali, quia unumquodque magis denotatur à forma, quàm à materia, cum ipſa forma det nomen & definitionem, ut habetur in 2. Phyſic. Beata autem Virgo concepta fuit in originali peccato ſecundùm quod dictum eſt: ſed cum additamento eſt concedendum quòd fuit ipſa concepta in peccato originali, videlicèt ſecundùm carnem. Et ita contendunt omnes Doctores Eccleſiæ Dei, dicentes ipſam conceptam fuiſſe in peccato originali. Undè ejus terminus aliquando ſupponit pro toto, aliquando pro parte Virginea. Cùm dicitur Chriſtus fuit in cruce, aut Beata Virgo eſt in cœlo vel uterque terminus illarum propoſitionum ſupponit pro toto, quia tam caro Chriſti quàm anima fuit in cruce, & tam caro B. Virginis quàm anima ejus eſt in cœlo. Quando autem dicitur, quòd Chriſtus fuit in triduo in ſepulchro, & fuit in inferno, *ly* Chriſtus ſupponit ſolùm pro parte, quia corpus Chriſti in triduo fuit in ſepulchro, ſicut etiam in eodem triduo fuit anima ejus in inferno ſine corpore. Ita in propoſito, ſi aliqui Doctores ab Eccleſia approbati dicunt B. Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali, non accipiunt ſuppoſitionem pro toto, ſed pro parte. Ad hunc intellectum caro Beatæ Virginis concepta fuit in originali peccato, & non ſequitur Beata Virgo concepta fuit ſecundùm carnem in originali peccato, ergo fuit concepta in peccato originali, quia arguendo à ſecundum quid ad ſimpliciter, fallit conſequentia per Ariſt. 1. Et hinc non ſequitur tu es albus ſecundùm dentes, ergò tu es albus: ita non ſequitur, Beata Virgo fuit concepta in peccato originali ſecundùm carnem, ergò ipſa fuit concepta in peccato. Sicut enim hæc propoſitio: tu es albus ſecundùm dentes, non ſignificat quòd tu es albus, ſed quòd dentes tui ſunt albi: ita hæc propoſitio: B. Virgo ſecundùm carnem fuit concepta in peccato originali, &c. ſed tantùm quòd caro ejus fuit ſic concepta.

Secundò ſequitur, quòd Beata Virgo non fuit ſanctificata primâ ſanctificatione ante infuſionem animæ intellectivæ, nec poſt, ſed in primo inſtanti infuſionis. Non enim ante, quia ſanctificari non poteſt abſque anima. Etſi inſtetur quòd Eccleſia facit feſtum de Conceptione Virginis, non autem fit feſtum niſi de aliquo Sancto, vel de aliqua Sancta: dicitur quòd Eccleſia non facit feſtum de Conceptione Virginis, quia fuit receptio ſeminis Joachim in Anna, aut quia fuit formatio fœtûs vel embrionis aut carnis, aut quia fuit inductio animæ vegetativæ, vel

ſenſitivæ, ſed facit feſtum de prima conceptione quæ fuit infuſio animæ intellectivæ in carnem Virginis.

Item B. Virgo non fuit ſanctificata poſt infuſionem animæ intellectivæ, quia tunc eſſet concepta in peccato originali; ſed in inſtanti inductionis animæ intellectivæ; quod eſt contra auctoritatem Anſelmi ſuperiùs allatam conveniens enim erat, ut Filius Dei habens perfectiſſimum patrem in cœlo, haberet perfectiſſimam Matrem in terra; conſtat autem quòd non fuiſſet perfectiſſima B. Virgo, ſi in originali peccato concepta fuiſſet. Neque ex hoc ſequitur quod fuit per Chriſtum redempta, quoniam liberatio iſta à peccato originali, quod incurriſſet, non fuiſſet ſanctificata virtute paſſionis Chriſti, ſicut & aliorũ liberatio SS. qui mortui ſunt ante Chriſti Incarnationem. Dicitur enim Matth. 1. *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; & Joannis: *Gratia & veritas per* JESUM *Chriſtum facta eſt.* Sequitur ergò quòd B. Virgo fuit ſanctificata primâ ſãctificatione, in primo inſtãti ſui eſſe, quod fuit inſtans animæ intellectivæ in carne.

Tertiò ſequitur quòd B. Virgo fuit concepta per gratiam plenariam, ita quod in inſtanti inductionis animæ intellectivæ Dominus contulit illi gratiam & plenitudinem gratiæ. Primum patet. Quia non minùs cara fuit B. Virgo Filio ſuo, quàm primi parentes, ſed primos parentes creavit in gratia, ergò & B. Virginem creavit in gratia. Deindè: quantò magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii: undè Dionyſius 4. de Angelica Hirarchia ait, quòd Angeli qui ſunt Deo propinquiores magis participant divinam bonitatem quàm homines: Chriſtus quidem eſt principium gratiæ per divinitatem auctoritativè, & per humanitatem miniſterialiter, ſecundùm illud allatum: *Gratia & veritas, &c.* Conſtat autem quòd Beata Virgo propinquiſſima fuit ſecundùm humanitatem, quia ex ea concepit naturam humanam, ideò præ cæteris majorem habuit & debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere. Dicit ei Angelus Lucæ 2. *Ave gratiâ plena*: quod exponens Hieronymus Sermone de Aſſumptione dicit: Benè gratiâ plena, quia cæteris ſecundùm partes præſtatur, MARIÆ verò ſimul ſe tota infudit gratiæ plenitudo. Non igitur habuit primò gratiæ plenitudinem in Verbi Incarnatione, quia ante Incarnationem Angelus dicit, *Ave gratiâ plena.* Et Hieronymus ait quòd non per partes, ſed ſimul habuit gratiæ plenitudinem; in Incarnatione autem Verbi ſuperabundavit gratiâ, quia tunc de ejus gratia alii acceperunt, & non ante. Sicut enim vas, aliquando eſt plenum abſque infuſione aliquando

quando cum infusione : ità Beata Virgo ante Christi Incarnationem fuit plena gratiâ absque infusione, sed post Christi Incarnationem plena fuit per infusionem.

Quartò sequitur ; quòd tanta fuit gratia B. Virginis quòd nunquam peccavit nec peccare potuit, alioquin non fuisset idonea Mater Dei. Ex quo enim Christus peccare non potuit nec per divinitatem nec per humanitatem, ideò non debuit esse ex parente qui peccare potuerit : sed per divinitatem fuit ex patre qui peccare non potuit, ergò per humanitatem debuit esse ex Matre quæ peccare non potuerit. Undè August. in lib. de Natura & Gratia ait, de ista, scilicèt, Virgine MARIA, propter honorem Christi, cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs volo habere quæstionem ; indè enim scimus quòd ei plus gratiæ fuerit collatum ad ad vincendum ex omni parte peccatum, quo concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. ideò dicit Angelus ad eam Lucæ 2. *Ecce concipies & paries Filium, & vocabitur Altissimi Filius.* Ex isto apparet differentia inter gratiam Beatæ Virginis & priorum parentum. Et si omnes nati, vel creati sunt in gratia, non tamen in gratia confirmationis, vel in gratia confirmati, imò nec Angeli fuerunt in primo instanti suæ creationis confirmati in gratia. Beata autem Virgo ex speciali privilegio, quia erat sanctificata Mater Dei, in primo instanti infusionis animæ intellectivæ fuit plena gratiâ, & in gratia confirmata : confirmavit quidem Jeremiam & Joannem Baptistam, sed non eodem modo, quia illi non obstante gratiâ venialiter peccaverunt, licèt mortaliter peccare non potuerint, ex quo priùs habuerunt gratiam, quàm in gratia confirmati. Sed Beata Virgo nullo actuali peccato peccare potuit, quia non mortaliter nec venialiter ; conveniens enim fuit, quòd Beata Virgo, quia erat à Deo electa in Matrem Dei, ampliorem gratiam obtineret quàm Jeremias & Joannes Baptista, qui erant electi ut sanctissimi in speciales præfiguratores Christi, de nullo enim legitur quod sit in ventre sanctificatus.

Item ex eodem sequìtur quòd tanta fuit gratia B. Virginis quòd nullum omninò in ea peccati fœtorem derelinquit, quia jam non minoris dignitatis fuit B. Virgo quàm primi parentes in statu innocentiæ, constat autem quod primi parentes in statu innocentiæ nullum omninò peccati fœtorem habuerunt, quia tunc membra ordinata erant nec inferiores vires rationi repugnabant. Fomes enim peccati, ut cõmuniter dicitur est concupiscentia actualis, id est habitualis sensualitas, prout in mortificata

tificata eſt repugnans, rationi quod quidem ſit in quantum ad malum inclinat, aut difficultatem facit ad bonum, quod nullo modo eadem potuit in Beata Virgine ex abundantia gratiæ deſcendentis in ipſam, ſic talis eſſet diſpoſitio virium quòd inferiores nunquam moventur ſine arbitrio rationis: ſicut in Chriſto quem conſtat fomitem non habuiſſe, & ſicut fuit in Adam ante peccatum per originalem juſtitiam, ita quod ad hoc gratia ſanctificationis in B. Virgine habuit vim originalis juſtitiæ.

Dicendum eſt ergo, quòd caro Beatæ Virginis concepta fuit in fomite peccati juxta illud Auguſt. de Nup. & Concupiſc. hominem qui naſcitur de concubitu neceſsè eſt, carnem eſſe peccati, quia à primis parentibus traxit quamdam diſpoſitionem inclinativam appetitùs ad rebellionem & repugnantiam contra rationem, ad quam ſequitur difficultas ad bonum, & pronitas ad malum. Nam ſicut ante immortalitatem carnis Chriſti reſurgentis nullus adeptus fuit immortalitatem, ita ante carnem Chriſti, in qua nullus fuit fomes peccati etiam nulla fuit caro, quæ peccati fomitem non haberet. Sed Beata Virgo nullum habuit fomitem peccati; quia in prima ſanctificatione ſua, quando intellectiva anima antequam infunderetur purgata erat caro illa per Spiritum ſanctum, ut non ſolùm liberaretur à peccato originali per quod cauſatur privatio originalis juſtitiæ, connotans reatum pœnæ æternæ ex ſententia divina propter peccatum primi parentis, ſed etiam à fomite peccati, quod erat diſpoſitio carnis inclinans ad repugnantiam virium, ſecundùm illud Apoſtoli, *video aliam legem, &c.* In prima igitur ſanctificatione caro purgata eſt à fomite, & facta eſt obediens rationi; quando filius Dei conceptus eſt in utero Virginis dotem charitatis accepit juxta illud Ezechiëlis, cap. 43. *Ecce gloria Dei Iſraël ingrediebatur ad viam orientalem per B. Virginem & terra*, id eſt, caro ipſius, ſplendebat à majeſtate ipſius Dei, vidilicèt, Chriſti.

Ad auctoritates adductas & adducendas ex dictis poteſt faciliter reſponderi. Ad primam quæ eſt Auguſtini ſuper Geneſim ad litteram dicitur, quòd caro Virginis, etſi de peccato propaginis venerit, &c. Concedendum eſt quod caro Virginis veniens ex Joachim in Annam venit de propagine peccati, non autem caro Chriſti ex Virgine formata. Conceditur etiam id quod ſubjunxit Auguſtinus, videlicèt quod caro Chriſti ... . de carnis propagatione concepta fuit. Nota quòd non ita conceptum fuit corpus Chriſti, ſicut caro Virginis, quia caro Virginis fuit caro peccati, caro autem Chriſti non fuit caro peccati, ſed habuit filiationem carnis peccati.

Ad

Ad auctoritatem Ambroſii ſuper illud Apoſtoli, *miſit Deus Filium ſuum*, concedo quod eadem eſt caro Chriſti & MARIÆ non quidem eodem numero, ſed ſpecie; quia non ita formata eſt caro Chriſti in utero ſicut noſtra, & quia prima ſanctificata eſt in utero, & nata ſine peccato; noſtra autem naſcitur cum peccato, nec ſanctificatur in utero, & Chriſtus in carne ſua nunquam peccavit; nos autem peccavimus in carne noſtra.

Ad tertiam auctoritatem Anſelmi in lib. *Cur Deus homo*, dico quod Virgo ipſa ex qua aſſumptus eſt Chriſtus in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater ſua, & cum originali peccato nata eſt. Hoc tamen eſt intelligendum ſecundùm carnem, accipiendo ſuppoſitum pro parte, & non pro toto; undè aſſignans rationem ſubjungit, quia ipſa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. Dicendum eſt ad primam auctoritatem ejuſdem libri, eodem cap. de qua homo ipſe aſſumptus eſt, de quo loquitur MARIA fuit de illis qui ante nativitatem ejus per eum mundati ſunt à peccatis, & in ejus ipſa munditia de illa aſſumptus. Dictum eſt enim, quòd Beata Virgo mundata fuit ſecundùm carnem, non autem ſecundùm animam, concedatur autem id quod dicit idem Anſelmus libro de Conceptione Virginis, quòd Dominus aſſumpſit hominem de maſſa peccatrice ſine peccato, quia de tota carne humana aſſumpſit Dominus humanitatem ſine peccato. Illa autem caro eſt maſſa peccatorum: portio quæ erat caro Virginis aliquando fuit conjuncta peccato, mundata tamen fuit ante infuſionem animæ intellectivæ.

Ad quartam auctoritatem Bernardi in Sermone de Aſſumptione, dico, quòd Beata Virgo ab originali contagione ſolâ Dei gratiâ priuſquam naſcererur, conſtat eſſe mundatam; hoc quidem, ut priùs intelligendum eſt, quòd ipſa mundata ſit virtute divinâ ſecundùm carnem, & non ſecundùm animam. Concedo etiam in Epiſtola ad Clerum Lugdunenſem, quòd B. Virgo non priùs fuit ſancta, quam eſſet, & quòd non fuit ſanctificata, loquendo de prima ſanctificatione, & quòd ante omnem conceptionem & ſanctificationem non fuit in ea Spiritus ſanctus, ſed in carne ejus fuit libido & peccatum, propterea non fuit de Spiritu ſancto concepta, ſed ſolâ virtute Spiritûs ſancti, quia caro Chriſti non purgata eſt virtute humanâ.

Sed aliæ auctoritates adductæ, videlicèt, Guillielmi Durandi, Hieronymi Doctoris, Lyrani, Bonaventuræ Cardinalis, & cæterorum, non

ſunt acceptandæ, quia doctrina iſtorum non eſt ab Eccleſia approbata; uſus autem miratici (cujus Auctoris non habeo notitiam) & Jacobini de Tuderto audiendi ſunt ſolatiosè, quia homo nullius auctoritatis fuit, nec dicta ſua aliter quàm ad ſolatium accipienda ſunt; quando autem aliter Gloſſa Guillielmi Durandi in Decretalibus diſt. 9. diſt. 3. quòd de feſto Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non eſt ſicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia, & rationem aſſignans, ait, quia in peccatis concepta fuit ſicut cæteri Sancti, exceptâ unicâ perſonâ Chriſti; ex quo ipſe ſuſpectus eſt de hæreſi, quoniam Eccleſia ordinavit & præcepit celebrari feſtum Conceptionis.

Hìc autem nec benè dixit D. Bonaventura libro tertio, ſcilicèt, quòd ſolemnitas Conceptionis Virginis potiùs eſt referenda ad diem ſanctificationis, quàm Conceptionis; & quòd ideò non refertur ad diem Conceptionis, quia dies prima fuit creata, & dies ſanctificationis increata, quoniam ſi prima conceptio fuit creata, non tamen ſecunda; modò Eccleſia non celebrat feſtum primæ conceptionis, ſed ſecundæ. Ita dixit Bonaventura, videlicèt, dicere Beatam Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali, eſt modus convenientior, rationabilior & ſecurior: convenientior propter pœnalitates, quas paſſa eſt, & non propter redemptionem humani generis; rationabilior autem, quia eſſe naturæ præcedit eſſe gratiæ, eò quòd priùs eſt eſſe, quàm benè eſſe: ideò unita eſt anima carni antequàm infunderetur gratia, & eſt ſecurior, quia magis conſonat ſacræ Scripturæ dicenti, quòd omnes in Adam peccaverunt, & magis conſonat pietati quoniam non tanta eſt dignitas & excellentia tribuenda Beatæ MARIÆ, ſicut Chriſto qui fuit Redemptor humani generis.

Reſpondetur quòd iſte modus non eſt convenientior propter aſſignatas rationes: ſi enim Beata Virgo pœnalitates habuit propter originale peccatum, illud tantùm fuit ſecundùm carnem; non opportet quòd omnes pœnalitates ſint propter originale peccatum, quia cùm originale peccatum ſit æquale in omnibus, omnes æqualiter paterentur. Ideò non enim ſuſtinuit Job tot pœnalitates propter originale peccatum, ſed ut probaretur patientia ejus, & ut confunderetur iniquitas diaboli; nec cæcus à nativitate oculis privatus eſt propter originale peccatum, quia interrogantibus diſcipulis, *quis peccavit, hic aut parentes ejus ut cæcus naſceretur:* reſpondit JESUS, *neque hic, neque parentes ejus.* Martyres enim graviſſima tormenta paſſi ſunt non propter originale pecca-

peccatum, ſed ut plantaretur & augeretur Fides Chriſti per eos, & conſequenter ad majus meritum & præmium ipſorum ſuper illud Math. *Beati eritis cùm maledixerint vos homines, &c. Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*; pœnalitates igitur ſuſtinuit Beata Virgo, & ſi non propter originale peccatum, tamen propter hoc, quia propter augmentum gloriæ.

Deindè iſte modus non eſt nobilior nec præcedit eſſe gratiæ, quia tàm Angeli quàm primi parentes fuerunt creati in gratia loquendo de prioritate donatoris: loquendo autem de prioritate naturæ ſic, priùs eſt eſſe, quàm benè eſſe, in quantum benè eſſe præſupponit eſſe: tamen ambo ſimul ſunt in eodem inſtanti temporis, ſicut ſunt ſimul ſol & ſplendor ſolis, & tamen priùs eſt naturaliter ſol, quàm ſuus ſplendor, in quantum eſt cauſa ipſius.

Item iſte modus non eſt ſecurior ratione Scripturæ, quia & ſi omnes in Adam peccaverunt de communi Lege, non tamen omnes ex ſpeciali privilegio, quia non Chriſtus, nec Beata MARIA; dicitur tamen quòd Beata Virgo peccavit in Adam ſecundùm carnem, & non ſecundùm animam, & propter hoc non meruit tantam dignitatem, & excellentiam ſicut Chriſtus, ex quo caro Chriſti nunquam infecta fuit, nec caro Chriſti unquam fuit ſine anima intellectiva, ſicut caro Beatæ Virginis: conjuncta eſt enim anima carni ſuæ cum infinita gratia & ſapientia; nunquam fuit in anima Beatæ Virginis infinita gratia & ſapientia.

Non ſunt igitur acceptandi termini qui derogant dignitatem Matris Dei, cùm non habeant rationes efficaces, nec fundamenta Doctorum ab Eccleſia probatorum tàm in doctrina quàm in vita. Hi enim de plano aſſerunt Beatam Virginem nullum peccatum contraxiſſe. Undè Auguſtinus in Sermone de Nativitate ſic Virginem alloquitur: Magnifica illum qui ex tua carne dignatus eſt naſci pro nobis; Magnifica illum, qui te in ventre matris tuæ ſanctificavit: Magnifica illum qui ab omni peccato ſuper omnes te reſervavit. Beatus autem Baſilius in Sermone de Annuntiatione ſic, ait: Hæc eſt quæ fuit in utero matris abſque originali peccato concepta & genita, & ab omni mortali vitio ſegregata & à veniali privata, & in cunctis actibus & moribus Spiritûs ſancti gratiâ plena & fœcundata. Nec ergò dubites ô peccator, ſed in cunctis MARIAM aſpice; cui ſit honor & gloria per ſæculorum ſæcula. Amen.

DOMINICI BOLLANI,

Italici Doctoris, Tractatus de Immaculata Virginis MARIÆ Conceptione.

Prout extat impressus cum Operibus Roberti Caracioli de Licio, Venetiis An. 1504. in 4. per Octavianum Scotum. Et etiam in nobili Helvetiorum Civitate Argentina per Ioannem Kruninger, Anno eodem.

Glorioſiſſimo Principi & Duci Domino Nicolao Marcello, Sereniſſimo Venetiarum Duci Dominicus Bollanus artium & Philoſophiæ Doctor debitâ reverentiâ ergà ſublimitatem ſuam præmiſſâ plurimùm ſe commendat.

Cum ex florentiſſimo Gymnaſio Paduano ad patriam reverſus eſſem: tantùmque ocii mihi daretur: quale nunquam ſimile per totum tempus elapſum vitæ meæ mihi datum fuit: cogitavi nolle vitam meam ſub ſilentio pertranſire: imò aliquod opus laude dignum decrevi efficere: quo mediante vita noſtra illuſtraretur. Nam vita, quâ fruimur, brevis eſt: Et niſi homo dum vivit aliquod laude dignum efficiat: veluti

veluti bellua vitam ſuum ducit; atque eandem terminat. Cùm autem multa ipſe mecum animo volverem, decrevi illam jam diù inter ſic clariſſimos Theologos agitatam controverſiam de Conceptione glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ contexere. Opus autem ad finem peroptatum duxi: in quo, quantùm potuimus, imitati ſumus Patrem noſtrum Aurelium Auguſtinum & Theologiæ Principem, atque Monarcham. Scotum à cujus fonte uberrimo multa præclara ſumpſimus; veriſſimiſque rationibus, atque excellentiſſimis Sanctorum auctoritatibus Virginem glorioſiſſimam in Conceptione Sanctam, nunquam à macula peccati originalis fuiſſe deturpatam, demonſtravimus. Cùm verò intellexiſſem Serenitatem Tuam: glorioſsimam Dei Matrem MARIAM ſummo quodam honore & reverentiâ venerari: volui Opus hoc Tuo glorioſo nomini dedicare. Suſcipe ergò Dive Princeps *libenti animo opus manuum noſtrarum: ipſum lege ac perlege: quoniam Tua Excellentia multa præclara ac laude digna in Opere iſto inveniet: & hoc non tantùm meum, verùm etiam omnium aliorum, qui ab omni cura & odio vacui ſunt, erit tale judicium. Nihil aliud mihi denique reſtat niſi piis precibus orare Dominum Deum noſtrum; ut pro bono ſtatûs & Reipublicæ venetæ in hac mortali vita Serenitatem & Excellentiam Tuam diù fæliciterque conſervet, quoniam, ut inquit Peripaticorum Princeps Ariſt.* 3. Politicorum: meliùs eſt Civitatem Regi à Principe optimo, quàm optimâ lege.

Hujus

Hujus Quæſtionis ſeu Tractatus ordo atque diſpoſitio.

VTrùm glorioſiſſima Virgo MARIA ſit in peccato originali concepta.

Primò demonſtratur omnem naturam humanam in peccato originali conceptam.

Reſponſiones hujus primi articuli patent.

Secundò demonſtratur ſpecialiter Adverſariorum argumentis Virginem MARIAM in peccato originali fuiſſe conceptam.

Reſponſiones ſecundi articuli patent.

Tertiò demonſtratur ex privilegiis Chriſti: Virginem & Matrem Domini à macula peccati originalis fuiſſe deturpatam.

Reſponſiones privilegiorum tertii articuli patent.

Quartò demonſtratur auctoritatibus communibus, omnes qui ex primis parentibus originem traxerunt, in peccato originali fuiſſe conceptos.

Reſponſiones hujus quarti articuli patent.

Quintò per auctoritates proprias & ſpecivocas, probántes Virginem Beatam in peccato fuiſſe originali conceptam.

Reſponſiones quinti articuli patent.

Ordo in quæſtione obſervandus.

Primò, tractabitur de originali juſtitia primorum parentum.

Secundò, de lege primis parentibus à Domino data.

Tertiò, de peccato primorum parentum.

Quartò

Quartò, de malis secutis ex peccato primorum parentum.

Quintò, de peccato primorum parentum, quod transivit ad omnes posteros.

Sextò, quid sit peccatum originale in nobis contractum.

Septimò, in quo subjecto contrahitur peccatum originale.

Octavò, quot modis solvitur debitum ex aliqua causa contractum.

Nonò, quot sint modi redemptionis,

Decimò, quòd fuit probabile, tàm ex parte Dei, quàm ex parte Virginis, quòd Virgo MARIA præservaretur à peccato originali.

Undecimò ostenditur, quòd non solùm fuit possibile verùm etiam fuit conveniens, quòd Virgo MARIA præservaretur, &c.

Duodecimò, quòd Virgo MARIA in Conceptione fuit sancta atque sine peccato originali concepta per rationes sumptas ex parte Christi Domini.

Decimotertiò, quòd Virgo glorioſissima omni sanctitate fuit repleta, atque in Conceptione sancta per rationes directè loquentes de Virgine MARIA.

Decimoquartò, modus per quem Virgo Beata à peccato originali fuit liberata.

Decimoquintò, cur Virgo MARIA non fuit liberata à pœnis peccati originalis, si fuit liberata à tali peccato.

Decimosextò, in quibus differt conceptio Christi à Conceptione Virginis MARIAE.

Bulla Sixti Papæ de Conceptione Virginis MARIAE.

DOMI-

DOMINICI BOLLANI, ARTIUM, & Philoſophiæ Doctoris, filii magnifici Domini Candiani in quæſtionem de Conceptione glorioſiſſimæ Viginis MARIÆ Prohemium.

NOn parvo dolore animi afficior cùm audio quoſdam magiſtrali infulâ decoratos viros pertinaciter affirmare; glorioſiſſimam intemeratamq; Virg. MARIAM ab æterno JESU Chriſti Matrem electã maculâ peccati originalis fuiſſe deturpatam, atque in ea conceptam. Nam cùm ſacroſancta Mater Eccleſia tanta taliaque de glorioſiſſima Virgine MARIA canat atque affirmet: quæ nulli unquàm alteri creaturæ puræ conceſſa videntur: profectò poſſent in B. Virginem modeſtiùs loqui: & ita pleno ore, quod affirmant, affirmare non deberent. Si Auguſtinus totius Fidei noſtræ lumen ac ſydus clariſſimum: cui datum eſt de ſumma & incomprehenſibili Trinitate Dei loqui atque determinare: propter honorem Domini cùm de peccatis ab illo agitur, nullam de Beata Virgine voluit fiere quæſtionem: profectò hi maximo ducuntur errore: affirmantes Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam. Nam ſi ita in Scripturis ſacris expreſsè determinatum eſſet, ſicut hi viri affirmant: nonnè Sancta Mater Eccleſia, cui datum eſt errores removere, & ea, quæ noſtræ Fidei conſona ſunt ponere: eam in peccato originali conceptam affirmaſſet atque prædicaſſet?

Si ergò Eccleſia Sancta Dei hoc affirmare non decrevit: quæ tanta ac talia de Virgine locuta eſt. Cur ergò hi nullâ evidenti ratione coacti, neq; ab Eccleſia aſtricti; hoc tam impiè audent affirmare? Hujus rei cauſam aliam reperire nequeo: niſi quòd aſſidua eorum de hac re cogitatio in peſſimum converſa eſt: impoſſibile potiùſque eſſet opinionem hanc à veritate alienam ex cordibus illorũ evellere, quàm Judęorũ perfidiam de illorum cordibus eradicare. Aggrediamur ergo S. Theol. fontes uberrimos: & videamus quid de Conceptione glorioſiſſimæ Virginis affirmatur, ac in Scripturis ſacris legitur. Dicat nunc nobis ſapientia Salomo-

Salomonis: quid de tali Conceptione ſentiat loquens in perſona MARIÆ: *Dominus*, inquit, *poſſedit me ab initio viarum ſuarum antequàm quicquam faceret à principio creationis*, ſcilicèt mundi; quando dictum eſt: *In principio creavit Deus cœlum & terram. Ab æterno ordinata ſum*: ut eſſem, id eſt JESU Chriſti Mater: *Ex antiquis*, id eſt, æternitate: *Antequàm terra fieret*, id eſt, ante omnem corporalem conditam creaturam. *Nondum erant abyſſi*, id eſt, nondum erant Angelicæ naturæ, quæ abyſſi nuncupari poſſunt: ad oſtendendam earum ſubſtantiarum excellentiã. Et ego MARIA jam concepta erã in mente, id eſt, Opificis, & Creatoris mei. *Nondùm fontes aquarum eruperant*, id eſt, nondùm Sanctorum prædicationes eruperant: qui ſancti tamquàm fontes uberrimi nuncupantur, de quibus dixit Propheta. *In omnẽ terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Necdùm montes gravi mole conſtiterant*, id eſt, martyres qui ſuâ ſtabilitate & aſperſione ſui ſanguinis Eccleſiã Dei auxerunt & in quadã ſtabilitate illam poſuerunt: *Conſtiterant*. Et ego MARIA jam concepta eram. *Ante omnes colles*, ego, ſcilicèt MARIA *parturiebar*, id eſt, ante omnes creaturarum naturas, atq; eſſentias, quæ poſſunt appellari cõlles: quia ſicut unus collis alium excedit ſecundùm apicem, & ſummitatem ſuam: ſic in ordine eminentiæ creaturarum eſſentia unius ſecundùm perfectionem eſſentialem aliam excedit. Si ergò Eccleſia ſancta Dei id quod de ſapientia Unigeniti Filii Dei dicitur: De glorioſiſſima Virgine affirmare decrevit: ejuſque Conceptio S. in mente Opificis ab æterno ordinata eſt ante cujuſcumque alterius creaturæ conceptionem atque creationem: quoniam ut dicit Auguſt. Ser. 43. ad Eremitas. MARIA *Mater ejus*, Chriſti ſcilicèt, *electa eſt: & ſuper omnes creaturas prælecta*. Quomodo ergò audẽt hi viri affirmare peccatum Adæ potuiſſe maculare animam Virginis, ac Dei Matrem, ſi ante omnem creaturam Virgo MARIA fuit concepta atq; prælecta ſuper omnes creaturas in mente Creatoris omnium? Hoc profectò ab his dicendum non eſt, cùm Auguſtinus Fidei noſtræ ſydus clariſſimum lib. 14. de Civ. Dei cap. 2. dicat: *Homo enim peccato ſuo non potuit divinum perturbare conſilium: quaſi quod ſtatuerat Deum mutare compulerit*. Quoniam ſivè Adam peccaſſet: ſivè non: concilium Domini in æternum manet. Dicat etiam nobis in Canticis Canticorum quid de Concept. Virginis ſentiat: & de filio Dei ad glorioſiſſimam Virginem loquente, quid affirmet. *Ecce iſte*, ſcilicèt, Filius Dei, *venit*, ſcilicèt, in mundum: *Saliens in montibus, & tranſiliens colles*, id eſt excellens ſuper omnes Sanctos & Angelorum choros, *En ipſe*; id eſt, Dei Filius, *ſtat poſt parietem noſtrum*,

ſcilicet, quando Verbum caro factum eſt: *Proſpiciens per feneſtras*: ſenſuum, ſcilicet exteriorum: *Et per cancellos*: ſenſuum, ſcilicet interiorum: *En dilectus meus*, ſcilicet Dei Filius, *loquitur mihi*, ſcilicet MARIÆ, ut ipſum Dei Verbum fieret caro, dicens: *Surge amica mea*, & non inimica, ut cæteræ mulieres; *Veni columba mea*, in qua non macula aut fel: *Formoſa mea: jam hyems tranſiit* ad demonſtrandum MARIÆ iram Dei in genus humanũ erga illam non eſſe, nec ipſam ſub tali hyeme poſſe capi. Ideò immediatè ſubinfert, dicens: *Imber abiit, & receſſit: Flores apparuerunt in terra noſtra.*

Surge, ſcilicet MARIA: *Et nulla macula eſt in te.* Si ergò Dei Filius tranſilivit omnes colles, id eſt, omnes Sanctos & Angelorum choros: nonnè fuit majori laude gloriâque digniſſimus humani generis Redemptor Chriſtus quàm deſtructor humani generis Adam, pater peccati: qui fuit de terra naſcens ex Virgine, nullis unquam maculis deturpata. Quomodò ergò Chriſtus Redemptor noſter potuiſſet eſſe deterior quantùm ad hujus ſæculi originem ipſo Adam? Nam ut etiam aſſerit Aurelius Auguſtinus eodem Sermone, videlicèt 43. dicens quoque: *Sicut in cœlo habuit Patrem immortalem, & æternum: ſic, & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem.* Erubeſcant igitur hi, & ampliùs non loquantur; quia MARIÆ dicitur. *Surge amica ſpecioſa mea: ſurge & nulla macula eſt in te.*

Ampliùs. Nonnè fuit potentia in Patre æterno: ut Verbum ac Unigenitum Filium ſuum quandò debebat fieri caro nobilioris, majoriſque dignitatis eſſet, quantùm ad originem ipſo Adam? Nonnè quoque fuit ſapientia in Unigenito Dei Filio: eum amore Spiritûs ſancti in veneranda Chriſti JESU Matrem futuram? Si ergò non fuit omnipotentiæ defectus neq; ſapientiæ error; neq; amoris impedimentum: & quia Chriſtus potuit venerari Matrem ſuam, quia voluit, quâ veneratione putas venerabatur eam? Quoniã ut dicit Aug. Ser. 43. ſupradicto: *In cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius*: ſic & in terra qualis eſt Mater ſecundùm carnem, talis eſt & Filius JESUS ſcilicet Chriſtus. Profectò potiùs hi ſilerent, quàm velle talibus contumeliis glorioſiſſimam Dei Matrem afficere, de qua dicit Eccleſia ſancta. *Quibus te laudibus efferam neſcio: quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.* Et alibi dicitur: *Fœlix es Sacra Virgo* MARIA, *& omni laude digniſſima*, ad demonſtrandum ipſam nullâ ignominiâ eſſe afficiendam. Cauſa autem hujus eſt: quia ex illa *ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Et alibi dicitur ab Eccleſia: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Undè dictum eſt in Pſal. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Quod tabernaculum fuit Virgo: *Et ipſe*, ſcilicet Chriſtus

ſtus *tamquam Sponſus exiens de thalamo ſuo.* Dicant ergò nobis hi viri. Si Deus ab æterno voluit eligere Virginem: ut de hac naſceretur Chriſtus humani generis Redemptor: quomodo potuit aut potiùs voluit eligere creaturam futuram Deo inimicam, & iræ filiam, ut mediante filiâ iræ, genus humanum redimeretur: præſertim cùm eam potuit mundam concipere immunditiâ ſeminum parentum ſuorum non obſtante? Quia Propheta Job intuens eam creaturam, in qua Verbum, ac Dei Filius debebat fieri caro, dixit: *Quis poteſt facere mundum*, ſcilicet individuum aut ſuppoſitum, *de immundo conceptum ſemine. Nonnè tu qui ſolus es?* Ad demonſtrandum omnipotentiam Dei erga Creaturam talem eſſe, ut non obſtante immunditiâ ſeminis parentum: ipſam creaturâ mundam de immundo ſemine concipi poſſe. Et ideò Anſelmus Doctor venerabilis recognoſcens ſe alio quodam loco malè affirmaſſe, Virginem in peccato fuiſſe conceptam, dixit: *Decet Virginem eâ puritate nitere, quâ ſub cœlo nulla major nequit intelligi.* Sed profectò tantâ puritate non niteret Virgo, ſi in peccato originali fuiſſet concepta. Ampliùs. Maria fuit plena gratiâ antequàm Gabriël Angelus miſſus fuiſſet ad eam: quia invenit eam plenam gratiâ; cùm dixit: *Ave gratiâ plena:* quali utique plenitudine gratiæ nulla unquam creatura fuit plena. Quia ut refert Beatus Hieronymus ad Paulam & Euſtochium, *Quod verè dicitur plena gratiâ: quia etſi cæteris Sanctis per partes datur gratia* Mariæ *tamen ſe infudit totius gratiæ plenitudo.* Et in eodem loco paulò pòſt ait: *Et ſi SS. Patribus ac Prophetis gratiæ menſura data fuiſſe creditur: tamen non ea tanta plena. In* Maria *verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, venit plenitudo.* Rursùs Aug. Serm. 33. de Nativitate Domini Jesu Chriſti, ſic dicit: Maria *Mater Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omnibus virtutibus ornata, omni ſanctitate in utero Matris repleta: ut de mundiſſima Matre, mundiſſimus naſceretur Filius, quia ſicut in cœlo habuit Patrem immortalem: ſic, & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem.* Ergo hi viri, ut pace eorum dixerim, malè affirmant Virginem in peccato fuiſſe conceptam, ſi totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, in Mariam venit plenitudo. Et ideò Hieronymus concludens tantam gratiæ plenitudinem Mariæ à Domino collatam, dixit: *Quam ſecundum naturam non habuit.* Nam Virgo ſecundùm naturam prona erat ad accipiendam maculam peccati originalis: quia & ipſa per concubitum viri & mulieris originem habuit ab Adam. Et ideò tanta plenitudo gratiæ illi data eſt, non per naturam, quam habuit: ſed per Dei gratiam atque miſericordiam quam accepit. Et ideò dicit Hieronymus. *Vſus neſcivit, quia omnes*, Maria

exceptâ mundati fuêre. Postquam in peccato ceciderunt ignoravit ratio: nam per rationem continuè apud omnes argutum fuit, omnes qui ab Adam habent originem per concubitum viri & mulieris in peccato originali fuisse conceptos secundum legem communem. Hæc ergo ratio ignoravit gratiam à Domino MARIÆ collatam: ita ac taliter quòd mens humana non capit, quia hoc excedit omnem humanam intellectûs aciem. *Imò pavet cœlum*, ut dicit B. Hieron. *Stupet terra.* Nam ut dicit B. Bernardus, exponens illa verba, *Gratiâ plena*, inquit sic: *In ore plena gratiâ affabilitatis: in manibus plena gratiâ liberalitatis. Et verè plenâ, quia de plenitudine ejus gratiæ capiunt universi: captivi redemptionem, tristes consolationem, peccatores veniam, justi gratiam, Angeli lætitiam, tota denique Trinitas gloriam.* Quòd si ita est, ut asserit iste Sanctus ac vir Dei: profectò, & ipse alio quodam loco, salvâ semper reverentiâ & sanctitate suâ, malè locutus est, affirmando, Virginem à macula peccati originalis fuisse deturpatam atque in ea conceptam. Neque in hoc aliquis mihi molestus sit, quia unusquisque magis tenetur venerari Dei Matrem, cœlorum Reginam, Angelorum Dominam, quam doctrinam B. Patris Bernardi in hoc passu extollere, quia cum lumine illo totius Ecclesiæ nostræ, scilicèt B. Hieronymo sum & teneo, qui affirmat totius gratiæ plenitudinem, quæ in Christo fuit in Glorioſissima, ac omni laude digna MARIA venisse, quia cùm de peccatis agitur, ut refert Aurelius Augustinus nullam de B. Virgine volumus fieri quęstionem propter honorem Domini; nam cùm quæstio sit propositio dubitabilis: de B. Virgine nulli dubium esse debet ipsam in Conceptione sanctam ac omni gratiâ plenam fuisse & esse conceptam. Concludamus ergò & dicamus, quòd si tanta fuit plenitudo gratiæ in MARIA: qualis nec in Adam nec in Eva fuit: qualis nec in Angelis nec in Archangelis aut in Principatibus, qualis nec in Potestatibus, Virtutibus aut Dominationibus: qualis nec in Thronis, Cherubinis, nec in Seraphicis nunquam fuit, *Quia exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna*, Ecclesiâ sic affirmante. *Quia totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo fuit*, MARIÆ *data est*, Hieronymo attestante. *Quia de plenitudine ejus gratiæ capiunt universi*, Bernardo loquente. *Quia decet Virginem tantâ puritate nitere; quâ sub cœlo nulla major valeat intelligi*, Anselmo confitente: *Quia cùm de peccatis agitur propter honorem Domini nulla est facienda ius aut quæstio de* MARIA, Augustino dicente: *Quia inter omnes mulieres, nemine exceptâ, fuit benedicta*, Elisabeth proclamante. Dicamus ergò, & ex his præmissis concludamus, glorioſiſſ. Virginem in Conceptione Sanctam ac plenam gratiæ fuisse,

nec

nec unquam à macula peccati originalis fuiſſe deturpatam. Quod cùm ita ſit, ſicut à nobis demonſtratum eſt: ego qui ab incunabilis ac teneris unguiculis ſemper fui ſervus glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, futuruſque ſum & ero, ſi Deo placuerit, uſque ad ultimum ætatis noſtræ terminum, decrevi multa quæ ex ſacris Theologiæ fontibus emanarunt, in unum corpus quæſtionis contexere, & hoc latino ac claro ſermone, ita ut mediante lumine glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, quæ tenebras intellectûs noſtri illuminare dignabitur dicemus tanta ac talia, quòd ſi Adverſarii veritatis in ſua pertinacia permanere nollent, rationibus veriſſimis ducti confitebuntur & ipſi glorioſiſſimam Virginem in Conceptione Sanctam, nec à macula peccati originalis unquàm fuiſſe deturpatam. Deo Altiſſimo gratiæ infinitæ referantur.

Quæritur utrum glorioſiſſima Virgo MARIA ſit in peccato originali concepta. Affirmativè arguendo formabimus quinque articulos.

IN primo oſtendemus per rationes communes, quibus oſtendetur omnes, qui ex lumbis Adæ habuerunt originem contraxiſſe tale peccatum, Virginem quoque ipſam benedictam in tali peccato fuiſſe conceptam.

In ſecundo articulo oſtendemus per rationes proprias ſpecialiter de Virgine loquentes ipſam in tali peccato fuiſſe conceptam.

In tertio hoc quidem demonſtrabimus ex privilegiis ſoli Chriſto competentibus.

In quarto adducemus auctoritates communes affirmantes omnem creaturam humanam puram poſt Adæ delictum in tali peccato fuiſſe conceptam.

In quinto, & ultimo adducemus auctoritates ſpecificè de glorioſiſſima Virgine affirmantes ipſam in tali peccato fuiſſe conceptam.

Argumenta quibus oſtendetur omnes, qui ex lumbis Adæ per concubitum viri & mulieris habuerunt originem, contraxiſſe peccatum originale.

AD oſtendendum igitur primò omnem humanam creaturam, nemine excepto, in peccato originali fuiſſe conceptam. Accipiendum eſt illud Pauli Apoſtoli dictum: *Omnes in Adam peccaverunt*, tanquàm videlicèt in radice: ergò omnes qui ex lumbis ejus per concubitum viri & mulieris duxerunt originem: contraxerunt tale peccatum. Primò ergò probabimus antecedens hujus conſequentiæ, quamvis ſit formaliter Pauli Apoſtoli dictum. Secundò, probabimus conſequentiam. Datâ parte negativâ antecedentis, ſcilicèt, quòd omnes in Adam peccaverunt: duo ſequerentur inconvenientia. Primum inconveniens, quòd tunc fuiſſet aliqua creatura humana, quæ redemptione Salvatoris noſtri non indiguiſſet. Secundum inconveniens, quòd præter Chriſtum Redemptorẽ noſtrum fuiſſet aliqua creatura pura poſt lapſum Adæ, quæ in originali juſtitia fuiſſet concepta. Primum inconveniens ſic deducitur. Nam Chriſtus in Evangelio dicit. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Si ergò Virgo non peccaſſet in Adam, neq; contraxiſſet peccatum per ipſum ſivè ab eo: ſequitur quòd non indiguiſſet redemptione. Probatur conſequentia: quia redemptio præſupponit lapſum. Cõfirmatur: nam indigentia præſupponit defectum. ſi ergò in Virgine nullus fuit defectus; ergò in ea non fuit indigentia redemptionis. Confirmatur ſecundò: nam ut dicit Bſſ. Paulus Apoſt. *Sicut unius*, videlicèt *Adæ peccatum regnavit in omnes in condemnationem: ſic unius*, videlicèt, *Chriſti juſtitia regnavit in omnes in juſtificationem.* Modò dato oppoſito primæ partis hujus auctoritatis ſequitur oppoſitum ſecundæ partis ejuſdem, quia ſi unius ſcilicèt Adæ peccatum non regnavit in omnes in condemnationem: ergò nec unius ſcilicet Chriſti juſtitia regnavit in omnes in juſtificationem. Secundum inconveniens ſic deducitur. Privatio originalis juſtitiæ debitæ in omnibus nobis eſt, & hoc propter peccatum primorum parentum, in conceptione unius cujuſq; noſtrum contractum, eò quòd in illo omnes peccavimus. Si ergò fuit aliqua creatura, quæ in primis parentibus non peccavit, ergò ab illa creatura non fuit remota in conceptione originalis juſtitia, quæ ab aliis removetur ex imputatione & contractione peccati originalis. Confirmatur: quia qui

nullo

nullo modo peccat, ab eo non removetur id quod ab aliis removetur propter peccatum, præsertim cùm peccatum sit causa privativa illius: si ergò Virgo Beata non peccavit in radice, neque contraxit peccatum originale, nec alio altero modo unquam peccavit, ergò ab ista non removetur in conceptione sua originalis justitia, quæ aliis propter peccatum remota fuit. Patet ergò illud antecedens fuisse sufficienter probatum, per deductionem istorum duorum inconvenientium. Nunc verò probanda est consequentia, quæ talis fuit: *Omnes in Adam peccaverunt* tamquam in radice, ergò omnes qui ex lumbis ejus per concubitum viri & mulieris duxerunt originem, contraxerunt. Quæ consequentia nisi valeret, sequerentur sex absurda inconvenientia.

Primum inconveniens est, quòd pœna esset alicui creaturæ illata à Deo injustè, nullâ antecedente causâ talis pœnæ. Inconveniens hoc sic deducitur. Virgo MARIA mortua est temporali morte, quæ mors pœna est, quia est ultimum & maximum terribilium in hac vita. Aut ergò mortua est, quia peccavit in Adam tamquam in radice, & non contraxit tale peccatum, quia fuit præventa per Dei gratiam secundùm alios, aut quia peccavit in radice, & contraxit peccatum originale. Aut pœna ista data est Virgini, ad majorem cumulum meritorum (ut dicunt quidam) aut certè ista pœna illi à Domino injustè illata est. Hæc divisio sufficiens est, neque aliud membrum assignari potest, quare Beatissima Virgo mortua est temporali morte. Non autem primum dandum est membrum, quia peccatum in radice non contractum, non potuit aliquem defectum in anima sive in creatura apud Dominum causare, quia dato opposito, dicant nobis quem alium defectum posset ponere peccatum originale ex radice in anima alicujus, nisi illum defectum, qui proprius est quando contrahitur tale peccatum, qui defectus si alter est ab illo, sufficit nobis quòd ab eo Virgo non fuit liberata, voca eum quomodo volueris. Ampliùs. Sequeretur, si iste defectus esset alter ab illo qui contrahitur in conceptione per peccatum originale, quòd in anima uniuscujusque nostrum fuissent duo defectus, unus videlicet contraxio peccati, & alter præcedens talem contractionem. Neque dandum est secundum membrum, quia secundum opinionem aliorum, Virgo benedicta non contraxit originale peccatum. Neque tertium membrum erit affirmandum, quia merita augentur ex bonis operibus: & demerita augentur ex malis. Ergò mors non potuit dari Virgini in pœnam ad majorem cumulum meritorum. Confirmatur: quia non est

inferenda

inferenda pœna alicui, nisi quando demeretur, eò quòd non sunt facienda mala ut eveniant bona. Confirmatur secundò sic. Virgo MARIA ob ejus mortem non fuit aucta meritis, sed per ejus humilitatem quando dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Et ideò post ista verba dixit MARIA: *Magnificat anima mea Dominum.* Et post pauca subdidit: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Relinquitur ergò ultimum membrum, cùm nullum aliorum dari possit ex sufficienti divisione deductum, quòd est inconveniens probatum. Huic difficili argumento quidam Theologi dixerunt, quòd peccatum originale non est causa adæquata mortis naturalis, ita quòd mors semper proveniat ex tali peccato, probatur hoc sic, quia mors Christi Domini non fuit propter peccatum originale. Et ideò dicunt, quòd cùm in Beata Virgine MARIA fuerunt duo principia intrinseca, scilicèt, forma intellectiva & ejus materia, ratione cujus compositionis, ineſt ei corruptibilitas transacto certo tempore unionis istorum duorum principiorum, posteà provenit mors, quia secundum Aristotelem: *Omne corruptibile de necessitate corrumpetur.* Et ideò mors Virginis fuit ex talibus principiis, & non ex peccato originali. Sed salvâ pace tantorum virorum, hæc responsio Theologiæ nostræ non est conveniens, quia dictum est à Domino: *Quâcumque horâ comederitis &c. morte moriemini.* Super quibus verbis ab omnibus Theologis dicitur, quòd duplex fuit intellecta mors temporalis videlicèt & æterna. Et si Adam non peccasset: quamvis corruptibilitas unicuique nostrum ex natura propria conveniat, tamen nunquam talis aptitudo fuisset educta de potentia ad actum. Quòd autem hoc sit verum, auctoritate Aurelii Augustini hoc probamus lib. 13. de Civ. Dei cap. 3. dicentis: *Quapropter fatendum est primos quidem homines ita institutos fuisse, ut si non peccassent, nullum experirentur mortis genus, sed eosdem primos peccatores ita fuisse mulctatos ut etiam quicquam ab eorum stirpe esset exortum: eâdem pœnâ teneretur obnoxium.* Quamvis ergò in nobis sint principia compositionis, ratione quorum ineſt nobis mortalitas & corruptibilitas, si primi parentes non peccassent fuissemus præservati à morte temporali, quia ut idem quoque dicit Augustinus eodem libro de Civitate Dei cap. 19. *Primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent nullâ morte à suis corporibus solverentur, sed pro meritis obedientiæ custoditæ, immortalitate donati cum eis viverent in æternum.* Ex istis auctoritatibus satis clarè constat responsionem illorum Theologorum potiùs esse secundum fallacem Philosophiam, quàm secundum

cundum veram noſtram Theologiam. Nec valet motivum iſtorum, ſcilicet quòd peccatum non eſt cauſa adæquata mortis, quia Chriſtus mortuus eſt & non ex peccato, quia ſuperiùs oſtenſum eſt ſecundum Auguſtinum, quod mors ineſt nobis ex peccato primorum parentum, Chriſto autem non eſt data mors propter peccatum, quia ut dicit Iſaias, *oblatus eſt*, ſcilicet ad mortem, *quia voluit*. Undè & mors illi neceſſariò data non eſt, quia ſi voluiſſet in æternum vixiſſet. Voluit ergò Chriſtus mori, ut liberaret genus humanum, quod perierat, per ſuam, videlicet, mortem. Undè dicitur & canitur ab Eccleſia: *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit*. Non quidem mortem temporalem uniuſcujuſque noſtrum deſtruxit, quia unuſquiſque noſtrum moritur, ſed deſtruxit mortem æternam, quam debebamus incurrere ex peccato primorum parentum.

Secundum inconveniens quod ſequitur niſi illa conſequentia teneat eſt, quòd aliqua creatura humana à Deo eſſet producta propter aliquem finem: tamen naturaliter nullâ antecedente causâ inclinaretur ad oppoſitum ſui finis. Probatur, quia ſecundum Auguſtinum ſuper libros Geneſeos: *Deus creavit hominem ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo fœliciter frueretur, fruendo beatus eſſet*. Iſte ergò eſt finis ultimus hominis frui Deo, & videre ipſum facie ad faciem, ſicut eſt, ut affirmat vas electionis Paulus Apoſtolus. Probo ergò nunc iſto fundamento declarato, inconveniens primâ fronte poſitum ſic, quia ſecundum Apoſtolum Paulum omnes indiguimus gloriâ Dei & redemptione ejuſdem, quia poſt tranſgreſſionem legis primis parentibus datæ, omnes erant inclinati ad damnationem ſempiternam, quæ damnatio eſt oppoſita noſtro fini ultimo. Cùm ergò etiam ipſa Virgo indiguit gloriâ Dei & gratiâ Domini noſtri Jesu Chriſti, ſine qua etiam ipſa in æternum damnata fuiſſet, quærendum eſt proindè, ex qua cauſa indiguit tali redemptione, aut quia peccavit in radice & non contraxit peccatum & hoc dicendum non eſt, quia peccatum in radice non contractum nihil mali potuit in anima noſtra apud Dominum cauſare, ratione cujus creatura poſſit ad damnationem inclinari ſempiternam. Aut indiguit redemptione, quia contraxit peccatum originale, & hoc dicendum non eſt, ut patebit inferiùs. Et cùm nulla alia cauſa aſſignari poteſt præter iſtam, relinquitur, quòd Virgo nullâ antecedente causâ, erat inclinata ad damnationem, & indiguit gloriâ Domini noſtri Jesu Chriſti: quod eſt inconveniens deductum.

Tertium inconveniens, quod ſequitur: niſi conſequentia illa valeat eſt quòd Virgo Maria paſſa eſt anguſtiam mortis fuiſſet redemptrix

& non redempta : conſequens falſum, quia tantùm eſt Redemptor Chriſtus Jesus. Inconveniens hoc ſic deducitur Virgo Maria paſſa eſt anguſtiam mortis, & multas alias pœnas, aut ergò, quia in ea fuit cauſa talis paſſionis, aut quia in ea non fuit aliqua cauſa talium pœnarum. Nam ſecundum, quia in hoc appareret Deus injuſtus, ut deductum eſt in primo inconvenienti. Si primum tunc aut talis cauſa fuit ex peccato in radice non contracto, aut ex peccato in radice & in ea contracto, aut propter ſalutem generis humani. Non primum, quia peccatum in radice nullum defectum ponit in creatura, quando, ſcilicèt, non eſt contractum. Neque ſecundum poteſt dici, quia Virgo Beata non contraxit peccatum originale: ergò dabitur tertium membrum ex ſufficienti diviſione deductum. Confirmatur, quia Virgo non indiguit redemptione : probatur, quia redemptio præſupponit lapſum & ipſa paſſa eſt, ergò fuit Redemptrix & non redempta.

Quartum inconveniens quod ſequitur niſi conſequentia teneat eſt quòd tolleretur omnis via ad probandum filios Adæ, in conceptione contraxiſſe peccatum originale. Hoc autem eſt contra Auguſtinum in libro de Baptiſmo parvulorum, contra hæreticos affirmantes parvulos, non contrahere peccatum originale ex peccato primorum parentum. In quo loco Auguſtinus probat per rationes veriſſimas atque neceſſarias, quòd lege tranſgreſſâ à primis parentibus, omnes qui ex lumbis eorum trahunt originem per concubitum viri & mulieris contrahunt tale peccatum. Inconveniens ſic deducitur, quâ ratione unum individuum ſpeciei humanæ, poteſt præſervari à peccato originali in conceptione nè conttahat illud, eadem de cauſa omnia alia individua poſſunt præſervari nè in conceptione contrahatur tale peccatum. Probatur, quia peccatum originale ex eadem cauſa in omnibus contrahitur, ergò ſi fuit præſervatum unum individuum nè contraheret tale peccatum, hoc fuit ex poſſibilitate. Probatur, quia illâ remotâ hoc non potuiſſet fieri, & ut dictum eſt, quâ ratione potuit unum individuum præſervari, etiam omnia individua potuerunt à tali peccato præſervari. Ergò nulla ratio neceſſaria poteſt probare, quòd omnes qui contraxerunt originem ex primis parentibus concepti fuerunt in tali peccato. Probatur iſta ultima conſequentia, quia ſi eſſet aliqua ratio neceſſaria ejus oppoſita eſſet impoſſibilis quod tamen non eſt, quia quòd competit per eandem cauſam omnibus individuis ejuſdem ſpeciei, ſi ab uno individuo illud poteſt removeri, poteſt removeri & ab omnibus. Cùm autem

autem peccatum originale competat omnibus individuis ſpeciei humanæ per Adæ peccatum, quod fuit cauſa damnationis omnium noſtrûm ſi ab uno individuo poteſt removeri tale peccatum, nè in conceptione contrahatur illud, ab omnibus etiam poteſt removeri, & ſic tolleretur via neceſſaria ad probandum parvulos contrahere tale peccatum: & conſequenter Baptiſmus non eſſet neceſſarius parvulis.

Quintum inconveniens quod ſequitur, niſi illa conſequentia valeat eſt, quòd ſi Virgo MARIA non fuiſſet concepta in peccato originali, ſi mortua fuiſſet ante Paſſionem Domini noſtri JESU Chriſti, ad æternam gloriam iviſſet, antequàm Chriſtus à mortuis reſurrexiſſet, quod eſt abſurdum dicere. Et inconveniens illud ſic probatur. Quandocumque eſt aliquod ens in univerſo productum propter aliquem finem, ſi nullum eſt impedimentum reſpectu ſui finis, illum attingit finem: ſed ſic eſt, quia viſio intuitiva Dei & fruitio ejuſdem eſt ultimus finis propter quem anima intellectiva eſt producta, ergò amoto omni impedimento, anima intellectiva attinget illum finem. Major hujus rationis eſt nota & minor eſt Apoſtoli Pauli dicentis: *Videbimus illum facie ad faciem ſicuti eſt.* Tunc ſic arguitur. Si anima Virginis fuiſſet ſeparata à corpore antequàm Chriſtus mortuus eſſet, nullum impedimentum ei fuiſſet, per quod poſſet removeri à viſione intuitiva Dei. Probatur, quia non peccatum originale, neque aliquod aliud peccatum veniale, ſcilicèt, aut mortale, neque hoc impedimentum poſſet eſſe violentum, quia hoc eſſet contra Dei juſtitiam. Quòd nullo antecedente defectu, anima Virginis amota fuiſſet ab ultimo fine ejus, quòd ſi ſic non eſt, ſequitur, quòd illa Virginis anima glorioſiſſima iviſſet ad æternam gloriam, & vidiſſet Dominum Deum facie ad faciem ſicuti eſt.

Sextum inconveniens quod ſequitur, niſi illa conſequentia valeat eſt, quòd fuiſſet aliqua creatura communi concurſu naturæ per concubitum viri & mulieris producta, & tamen in peccato originali non fuiſſet concepta. Hoc inconveniens eſt ſatis clarum. Et primò, quòd ſit producta Virgo MARIA per concubitum viri & mulieris, hoc eſt notum ſic, quia habuit parentes, ſcilicèt Joachim & Annam, ex quibus generata eſt, quòd non ſit in originali peccato concepta hoc affirmatur ſecundum aliam opinionem, hoc autem inconveniens eſt expreſsè contra Auguſt. in libro de Fide ad Petrum dicentem. *Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris natus eſt in peccato conceptus eſt.* Et ſic apparet inconveniens deductum.

Ad argumenta ſpecialia oſtendentia Virginem Beatam in peccato originali fuiſſe conceptam.

POſtquam Deo juvante rationibus univerſalibus probabiliter inductum eſt: omnes qui ex lumbis Adæ per concubitum viri & mulieris duxerunt originem, nullâ creaturâ humanâ purâ exceptâ contraxiſſe peccatum originale. Nunc in præſenti articulo adducendæ ſunt rationes propriæ, quibus Adverſarii veritatis conantur probare ſpecialiter Virginem noſtram in peccato originali fuiſſe conceptam. Primum argumentum eſt hoc: ſubjectum gratiæ, prioritate naturæ præcedit gratiam, quia ſemper ſubjectum ſubſtantiale præcedit accidens fundatum in illo. Nam ſecundum Ariſtotelem: *Subſtantia eſt prior omni accidente.* Sed anima Virginis fuit ſubjectum gratiæ, quia gratia fuit accedens ergò prioritate naturæ præceſſit illam gratiam. Accipiendo igitur animam Virginis in illo priori, tunc ſic arguitur. In tali anima eſt carentia originalis juſtitiæ debitæ in primis parentibus, amiſſæ ex tranſgreſſione Legis Divinæ, ergò in tali anima eſt peccatum originale. Conſequentia patet à diffinitione ad ſuum diffinitum. Antecedens autem conſequentiæ patet, in illo priori non poteſt dici, quòd ſit gratia æquivalens originalis juſtitiæ, quia tale ſubjectum eſt priùs illâ. Nec poteſt dici, quòd ibi ſit originalis juſtitia, quia præter Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum, poſt Adæ peccatum nemo fuit in originali juſtitia conceptus.

Secundum argumentum eſt hoc, Virgo MARIA indiguit gratiâ Dei, juxta illud Pauli Apoſtoli dictum: *Omnes indiguimus gloriâ Dei.* Iſto ſic ſtante arguitur ſic. Aut ergò Virgo indiguit gratiâ Dei antequàm eſſet aut poſtquàm fuit. Non primum, quia indigentia in aliquo præſupponit illud. Neque ſecundum, quia impoſſibile eſt quòd ſit idem inſtans indigentiæ & gratiæ: ergò in inſtanti indigentiæ non habuit gratiam. Et tunc quæritur, utrùm in inſtanti indigentiæ erat aliquis defectus in MARIA Virgine, vel nullus. Si dicatur quòd ſit aliquis defectus, ille non poteſt niſi peccatum eſſe originale. Si dicatur quòd ibi erat nullus defectus, hoc ſtare non poteſt, quia ubi nullus eſt defectus, ibi nulla eſt indigentia.

Tertium argumentum eſt: fundamentum per quod ponitur Virginem

nem in peccato originali non fuiſſe conceptam, eſt ut veneretur JESU Chriſti Mater, ſed tali honore Deus non vult venerari Matrem Chriſti Domini, ergò non debemus ponere Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali. Minor hujus rationis probatur, quia B. Hieronymus ſuper Matthæum de Genealogia JESU Chriſti dicit ſic. *Notandum, nullam ſanctarum mulierum in Genealogia Salvatoris aſſumi, ſed eas quas Scriptura reprehendit, ut de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret.*

Quartum argumentum eſt: illud debet poni in MARIA, per quod ipſa Virgo magis debetur Chriſto. Probatur, quia in Evangelio dicitur: *Cui plus dimittitur, plus diligit*, ſed ponere ipſam in peccato originali eſſe conceptam, deindè mundatam, eſt ponere ipſam magis Chriſto Debitpicem quàm ponere oppoſitum. Probatur, quia ſecundum hoc Virgo cognoſcit opus redemptionis, propter quod opus *Verbum caro factum eſt*; ergò illud eſt ponendum in ea, videlicèt, ipſam in peccato originali fuiſſe conceptam.

Quintum argumentum eſt: in parentibus Virginis fuit libidinoſa conjunctio, ergò proles nata ex his, fuit in peccato originali concepta. Conſequentia patet, quia in Evangelio dicitur: *Bona arbor bonos fructus facit, mala autem bonos fructus facere non poteſt.* Et ab Auguſtino affirmatur in libro de Fide ad Petrum, quia omnis homo, qui per concubitum viri & mulieris natus eſt, in peccatis conceptus eſt.

Sextum argumentum eſt: quandocumque ſunt duo quorum unum neceſſariò ſequitur ad aliud, ſi datur ſecundum in aliquo, in illo eſt aut ſaltem fuit primum, ſed ſic eſt quòd peccatum originale & rebellio ſenſuum ſunt ejuſmodi, ſcilicèt quod rebellio ſenſuum ſequitur neceſſariò ad peccatum originale, ergò poſitâ rebellione ſenſuum in aliqua creatura ponitur & peccatum originale, aut ſaltem fuit in illa. Silogyſmus bonus, major eſt nota, & minor probatur, quia ſenſus nunquàm fuêre rebelles rationi in primis parentibus, niſi factâ deordinatione in illis, quia ut dicit Auguſtinus libro 14. de Civitate Dei cap. 13. *In occulto mali eſſe cœperunt, ut in apertam laberentur inobedientiam: non enim ad malum opus perveniret, niſi præcederet mala voluntas.* In Virgine autem quamvis ipſa nunquam habuit aliquem peccati ſtimulum ex parte ſenſuum, tamen Virgo paſſa eſt ſecundum ſenſus multas paſſiones, ſcilicèt famem, ſitim & dolorem mortis Unigeniti Filii ſui Chriſti, quæ paſſiones ſecundum animam in Virgine non erant, quia ſemper in illa fuit recta ratio dominans appetitui omnium ſenſuum ejus.

Argu-

Argumenta ſumpta ex privilegiis Chriſti probantia Virginem à macula peccati originali fuiſſe deturpatam.

NOn ſufficiunt argumenta per nos in ſuperioribus articulis adducta imò neceſſarium eſſe videtur, ut abſolvatur tota intentio Adverſariorum, ponere quaſdam rationes ſumptas ex privilegiis Chriſto Domino competentibus, ad probandum Virginem Beatam in peccato originali fuiſſe conceptam.

Prima ratio hæc eſt: non ſunt tantùm glorioſiſſimæ Virginis privilegia à Deo illi data, à nobis extollenda, ut muniantur privilegia atque dignitas & gratia Salvatoris noſtri Jesu Chriſti. Sed quia ipſe ſolus Chriſtus poſt Adæ lapſum exiterit ſine peccato, patet hoc & non latet per excellentiam, dignitatem atque gratiam, quæ ſoli Chriſto attribuuntur, ergò non debemus ita extollere Virginem & ejus privilegia, ut auferatur dignitas & excellentia Redemptoris noſtri. Major hujus rationis nulli dubia eſſe debet, quia ſi ab aliquo oppoſitum teneretur, hæreticus appellari poſſet. Minor autem hujus rationis probatur per Auguſtinum in lib. de Baptiſmo parvulorum dicentem. *Reſtat inquirere utrùm in filiis hominum aliquis potuerit eſſe ſine peccato*, & dixit: *Non eſt in filiis hominum quiſquam ſine peccato, excepto uno mediatore.* Et in eodem libro circa finem libri 2. dicitur: *Teneamus Fidei indeclinabilem confeſſionem, quod ſolus Chriſtus ſine peccato natus eſt in ſimilitudinem carnis peccati.*

Secunda ratio eſt Adæ delictum: nam ſolus Chriſtus inter homines ſine peccato omnimodè inventus eſt. De mulieribus autem nulla inventa eſt aut reperta, ergò non eſt affirmandum Virginem noſtram ſine peccato originali fuiſſe conceptam. Conſequentia probatur, quia oppoſitum conſequentis infert formaliter oppoſitum antecedentis. Antecedens autem probatur, quia dicitur in libro Eccleſiaſtici 7. cap. *Vnum de mille viris reperi, de mulièribus nullam inveni.* Quæ verba exponens Auguſtinus dicit, *unum*, id eſt, Chriſtum, *de mille viris reperi.* Ubi notandum eſt, quòd ibi accipitur numerus millenarius pro omni numero reperi, ſcilicèt ſine peccato, de mulieribus autem nullam inveni.

Tertia ratio eſt omnis mundicia creaturæ humanæ puræ, debet eſſe

circa

citra munditiam Christi. Probatur, quia in filiis hominum non est inventus quisquam sine peccato nisi Christus, sed si Virgo non fuisset concepta in peccato originali, & fuisset in conceptione sancta, munditia Virginis fuisset æqualis in conceptione cum munditia Conceptionis Christi, quod est absurdum sentire, ergò non est ponendum Virginem sine peccato originali fuisse conceptam.

Quarta ratio est: fundamentum per quod ponitur Virginem in peccato non fuisse conceptam est, quia potuit illam Dominus præservare à tali peccato, & sicut potuit ita decuit, & sicut decuit ita factum est. Sed illud fundamentum est falsum: quia isto modo posset probari Christum non fuisse mortuum pro salute humani generis, quia non potuit mori, & omne quod est possibile Deo, illi convenit, ergò decuit, & sicut decuit ita debebat fieri, quæ tamen omnia falsa sunt atque risu digna.

Quinta ratio est: fundamentum per quod ponitur Virginem in Conceptione fuisse sanctam est, quia Verbum Divinum Filius Dei debebat venerari Virginem Matrem, quia ab æterno ejus mater electa fuit, sed hoc fundamentum est falsum, quia verbum Filius Dei, majora potuit conferre Virgini, quæ magis honorassent eam, quàm hoc, videlicèt, quòd fuerit sine peccato concepta, ut immortalitatem & beatitudinem defactò, & tamen hæc illi à Domino concessa non fuêre, quia non erant convenientia, ergò non debet dici quòd Virgo ex eo quod debebat esse Jesu Mater, fuit præservata, nè in peccato originali esset concepta, quia hoc solùm fuit Christo Domino conveniens.

Auctoritates communes probantes, omnes, qui ex primis parentibus duxerunt originem, in peccato fuisse conceptos.

NOn contenti ex his argumentis in superioribus articulis adductis: Adversarii veritatis adducunt quasdam auctoritates communes probantes omnem creaturam humanam post Adæ delictum fuisse in peccato originali conceptam. Nam Isaias cap. 53. inquit: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque declinavit in viam suam, & Dominus posuit in eo*, scilicèt Christo, *iniquitates omnium nostrûm*. Et Paulus Apostolus ad

Roman. 5.

Roman. 5. *Per unum hominem mors intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt,* & in eodem loco: *Sicut unius hominis,* scilicèt Adæ, *delictum regnavit in omnes in condemnationem, sic unius Christi justitia regnavit in omnes in justificationem.*

Et alibi idem Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.* Et Sanctus Leo Papa dicit: *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, sic pro liberandis omnibus venit.* Et Augustinus libro de Civitate Dei cap. 13. *Omnes enim in illo fuimus, quando ille unus omnes corrupit, qui per fœminam lapsus est.*

Auctoritates propriè & specificè probantes Virginem Beatam in peccato originali fuisse conceptam.

ULtimo pro complemento hujus affirmativæ partis, adducere intendimus aliquas auctoritates, specialiter explicantes Virginem nostram in peccato originali fuisse conceptam ut omni ex parte per nos satisfactum sit Adversariis veritatis.

Prima auctoritas est B. Bernardi in Epistola ad Lugdunensem Episcopum dicentis: *Virgo in Conceptione minimè sanctificari potuit, imò ipsa peccato fuit obnoxia: deindè virtute Spiritûs sancti mundata.* Et Anselmus lib. 2. Cur Deus homo sic dicit: *Licèt hominis & Dei conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa tùm de assumptis est iniquitatibus concepta est & in peccatis concepit eam mater ejus.* De tantis totque clarissimis viris, hos duos viros auctoritate dignos, quia de aliis parùm curamus, invenimus expressè affirmantes Virginem in peccato originali esse conceptam. Quibus non obstantibus partem negativam omninò tenere intendimus & hoc verissimis rationibus, multisque præclarissimis Sanctorum auctoritatibus ducti, auxiliante nobis glorioſissimâ ac intemeratâ Dei Genitrice MARIA.

In oppositum est Augustinus totius Ecclesiæ lumen ac fidus clarissimum in libro Sermonum suorum ad Eremitas, Sermone 43. de Nativitate Domini, dicens: *Propterea Mater ejus, scilicet Christi electa est & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omnibus virtutibus ornata, omni sanctitate in utero matris repleta, ut de mundissima matre, mundissimus nasceretur filius, quia sicut in cœlo habuit patrem immortalem &*

alter;

æternum, sic in terra habuit matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis est pater talis est filius, sic & in terra qualis est mater, talis est secundum carnem & filius in cœlo cum patre æternus & immensus, incorruptus & sublimis est: & in terra cum matre immaculatus & mansuetus. Et idem Augustinus in libro de peccatis inquit: *Propter honorem Domini, cùm de peccatis agimus, nullam de Beata Virgine volumus facere quæstionem.*

Adjungamus his duabus auctoritatibus, auctoritates Beati Hieronymi in Epistola ad Paulam & Eustochium dicentis: *Et si Sanctis Patribus & Prophetis gratia data fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In* MARIA *verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit.* Et in eadem Epistola dicit: *Cæteris Sanctis per partes datur gratia,* MARIÆ *verò se infudit totius gratiæ plenitudo.* Et Anselmus in lib. cur Deus homo, inquit: *Decet Virginem eâ puritate nitere, quâ sub cœlo nulla major nequit intelligi.* Et ideò S. Mater Ecclesia canit de Virgine MARIA, dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, pulchra ut luna, electa ut sol.* His verbis concordat Psalmista David dicens: *In sole posuit tabernaculum suum*, qui videlicèt sol fuit Beata Virgo, & ipse scilicèt Christus *tanquàm Sponsus procedens de thalamo suo.* Et in Canticis Canticorum dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & nulla macula est in te.* Et ideò Sancta Mater Ecclesia dicit: *Fœlix namque es sacra Virgo* MARIA, *& omni laude dignissima*; & subditur causa illius cùm dicitur: *Quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster.*

Ordo servandns in quæstione.

In quæstione ista servabimus talem ordinem.

PRimò videbimus de originali justitia primorum parentum.

Secundò, videbimus de lege à Domino primis parentibus datâ.

Tertiò, videbimus de peccato primorum parentum & ejus causâ.

Quartò, videbimus quæ mala sunt secuta ex tali peccato.

Quintò, videbimus de peccato primorum parentum, quod transivit ad omnes posteros & descendentes ex lumbis Adæ primi parentis nostri.

Sextò, videbimus quod est peccatum originale contractum in nobis.

Septimò, videmus in quo subjecto fuit contractum tale peccatum.

Octavò, videbimus quot modis solvitur debitum.

Nonò, videbimus quot sint modi redemptionis.

Decimò, videbimus quod tàm ex parte Dei, quàm ex parte Virginis fuit possibile, quod Virgo præservaretur à peccato originali.

Undecimò, videbimus quod fuit convenientissimum.

Duodecimò, videbimus quod Virgo fuit in Conceptione sancta, & à peccato originali præservata ex parte Christi Domini ac Redemptoris nostri.

Decimotertio, hoc idem videbimus fuisse ex parte Virginis gloriosæ.

Decimoquartò, videbimus modum per quem Virgo fuit liberata, nè incurreret seu contraheret tale peccatum.

Decimoquintò, videbimus cur Virgo nostra non fuit liberata à pœnis peccati, si fuit liberata à peccato.

Decimosextò, videbimus in quibus differt conceptio Christi à Conceptione Virginis Mariæ.

Ultimò, solvemus argumenta ante oppositum quæstionis adducta, & sic erit finis quæstionis adductæ sivè propositæ.

De originali justitia primorum parentum.

CReavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, omni gratiâ atque rectitudine plenum, ex utraque parte, scilicèt tam incorporeâ quàm corporeâ perfectum. Intellectus hominis Creatorem suum rectè intelligebat, voluntas ejus sequens rationem rectam, Deum super omnia ardenti quodam desiderio affectanter amabat, sensus omnes tàm interiores quàm etiam exteriores ita ordinati erant, ut appetitus eorum tantùm ad illorũ objecta se extendebant quantùm à ratione recta, & electio voluntatis sequentis illam rationem rectam permittebant. Ex quibus sic in homine existentibus resultabat originalis justitia primorum parentum. Nam cuncta animalia plenam obedientiam homini præstabant, sensus omnes rectæ rationi subjecti erant, voluntas ita benè à Deo instituta erat, omni rectitudine plena Creatorem suum amabat, intellectus rectè Deum Factorem atque Creatorem suum intelligebat. Nam ut dicit Augustinus: *Creaverat Deus creaturam rationalem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur.*

De Lege à Domino primis parentibus datâ.

QUamvis homo plenus gratiâ atque rectitudine à Domino creatus esset; tamen Omnipotens Deus, regula infallibilis, decrevit illi dare legem. Nam cùm unumquodque ens finitum, quamvis in suo genere sivè specie perfectum, ex se sine ordine ad primum ens independens atque ex sui natura infinitum, regulari non possit, quia tale ens finitum est ens per participationem, & omne tale reducitur ad ens per essentiam, cujusmodi Deus est, ideò illi à Domino data est lex, non difficilis, immò omni facillima, ut mediante tali lege & ejus observantiâ homo regularetur, & ut posset mereri vitam æternam. Dicit ergò Dominus primis parentibus: *De arbore scientiæ boni & mali nè comederitis: quâcumque enim horâ comederitis morte moriemini.* Nam primi parentes in paradiso deliciarum constituti: solùmmodo fructus arboris unius illis à Domino vetitus est, non quòd fructus ille tam excellens ac nobilis esset, ita quòd nobilior in paradiso delitiarum inveniri non posset, sed ut homo illâ parvâ lege

à Domino acceptâ atque obſervatâ vitam æternam promererentur, quia ſi in tam parva & infima re homo plenam obedientiam Creatori ſuo dare nollet, duplici moreretur morte: temporali, videlicèt, quâ anima à corpore ſeparatur, & æternâ, quâ damnati continuè moriuntur propter amotionem infiniti boni, & propter afflictiones continuè à dœmonibus atque malis ſpiritibus illis datas.

De peccato primorum parentum.

ACceptâ ergò lege à Domino, diabolus humani generis inimicus, ſimilans cauſam vetiti fructûs dixit: *Cur præcepit vobis Deus, nè comedatis ex omni ligno?* Cui reſpondentes dixerunt: *Nè fortè moriamur.* Recordabantur quod Dominus illis dixerat, *Quâcumque horâ comederitis, &c. morte moriemini*, quibus diabolus dixit: *Nequaquam moriemini: ſcit enim Deus, quod quâcumque horâ comederitis, aperientur oculi veſtri & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Cùmque de verbis diaboli, quia novit ab illis cauſam mortis cogitare cœpiſſent, fructum vetitæ arboris comederunt. Undè dicit ſacra Scriptura: *Vidit ergò mulier lignum viſu pulchrum, & quòd eſſet bonum & ſuave ad veſcendum, tulit de eo deditque viro ſuo qui comedit, &c.* A lege ergò à Domino datâ, ab ipſiſque tranſgreſſâ amiſerunt gratiam, omnem rectitudinem, atque originalem juſtitiam. Tunc cœperunt ſentire aliam legem in ſenſibus ſuis, repugnantem legi mentis eorum. Undè Anſelmus in libro Cur Deus homo dicit: *Inobedientia primorum parentum juſtitiæ debitæ nuditatis fuit cauſa: cauſa autem peccati hujus fuit voluntas eorum prava, & per voluntatem eorum, fuit commiſſum tale peccatum.* Nam voluntas per electionem rectam meretur, quia illa electio eſt conformis rationi rectæ: nam electio recta ſecundum Ariſtotelem ſexto Ethicorum ſequitur rationem rectam. Cùm ergò primi parentes intelligerent fructum vetitæ arboris à Domino vetitum fuiſſe, per electionem rectam noluerunt eſſe conformes divinæ voluntati, imò voluerunt eſſe difformes, & potiùs credere diabolo, quàm Creatori ſuo. Undè Auguſtinus libro 14. de Civitate Dei cap. 13. ſic dicit loquendo de primis parentibus: *In occulto mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur niſi præcederet mala voluntas.* Voluntas ergò in primis parentibus fuit illa, quæ primò peccavit, ex quo poſteà pervenerunt ad malum. Undè dicit Beatus Auguſtinus in eodem

capite:

capite: *Si voluntas*, ſupple primorũ parentum, *in amore ſuperioris & immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur, ut amaret: ſtabilis permaneret, non indè ad ſibi placendum adduceretur, ut ex hoc tenebreſceret atque frigeſceret ut vel illa*, ſcilicèt Eva, *verum crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille*, ſcilicèt Adam *Dei mandato uxoris proponeret voluntatem.* Ex quibus apparet, quod peccatum primorum parentum, formaliter fuit carentia juſtitiæ debitæ in illis amiſſæ. Secundò apparet quòd peccatum eorum non fuit rebellio ſenſuum erga rationẽ, quia ſenſus nunquam fuiſſent deordinati, niſi primò fuiſſet deordinata voluntas, quia ſicut primi parentes ſecundum rationem obedientiam debitam Deo præſtare noluerunt, imò facti ſunt rebelles Creatori ſuo, ſic & ſenſus facti ſunt rebelles rationi: obedientiamque ei debitam præſtare noluerunt. Talis ergò rebellio ſenſuum in primis parentibus ſecuta eſt immediatè poſt peccatum ab eis commiſſum. Tertiò apparet, quòd peccatum eorum non fuit obligatio ad pœnam duplicis mortis, quia talis obligatio orta eſt ex peccato jam commiſſo.

De malis ſecutis ex peccato primorum parentum.

FActi ergò ſunt filii iræ ex tranſgreſſione legis, & amiſerunt Dei gratiam ac originalem juſtitiam, incurreruntq; duplicem mortem temporalem ſcilicèt, mortem quoque æternam incurriſſent, niſi eis ſubveniſſet gratia & humanitas Redemptoris Domini noſtri Jesu Chriſti. Ex tali enim peccato, omnes ſenſus facti ſunt rebelles rationi, ſenſeruntque aliam legem in ſenſibus eorum: repugnantem legi mentis illorum, tunc caro cœpit concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ejectique ſunt de paradiſo terreſtri, dictumque eſt per Dominum Adæ: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo.* Et Evæ dictum eſt: *In dolore paries filios tuos.* Undè ſi non peccaſſent ſecundum Auguſtinum libro 13. de Civitate Dei cap. 3. ubi ſic dicit: *Fatendum eſt primos quidem homines ita inſtitutos fuiſſe, ut ſi non peccaſſent, nullum experirentur genus mortis, ſed & eoſdem primos peccatores ita fuiſſe mulctatos, ut etiam quicquid de eorum ſtirpe eſſet exortum, eâdem pœnâ teneretur obnoxium.*

De peccato primorum parentum, quod transivit ad omnes posteros.

Sicut gratia Domini ac originalis justitia primis parentibus à Deo Creatore suo dono data fuit, nullis eorum antecedentibus, ipsisque benè cooperantibus in bonum illa transiviſſet ad omnes posteros, atque descendentes ex lumbis eorum, omnesq; filii gratiæ fuiſſemus. Sic & ipsis peccantibus, indignatio Domini cecidit super illos atq; omnes posteros, & descendentes ex lumbis eorum: secundum legem communem transivit, & illud quod fuit actuale peccatum in illis, per originem in nobis dicitur originale. Nam ut dicit Anselmus in libro Cur Deus homo: *Inobedientia primorum parentum justitiæ debitæ nuditatis fuit causa, per quam omnes sumus filii iræ*; quod autem peccatum primorum parentum secundum legem communem transiverit ad omnes posteros, rationibus & auctoritatibus comprobamus. Nam quandocunque aliquid datur aliquibus, ita quod per primos illud debet transire ad posteros, ablato illo à primis duobus, aufertur illud ab omnibus aliis sequentibus: justitia autem originalis ita data fuerat primis parentibus, quòd si non peccaſſent, illa ad omnes posteros transiviſſet, ergò eâdem ab eis ablatâ propter peccatum eorum, illa non potuit transire ad omnes posteros, & descendentes ex lumbis eorum.

Ampliùs. Ex lege, filii servorum, servi sunt. Cùm autem primi parentes fuerunt servi propter peccatum, ergò omnes descendentes ab eis tali servitute fuerunt astricti.

Ampliùs. Originalis justitia, ipsis benè cooperantibus transiviſſet ad omnes posteros & descendentibus ab eis, ipsis ergò malè cooperantibus, in illis fuit amiſſa, atque in omnibus descendentibus ex eorum lumbis.

Auctoritatibus hoc idem confirmamus. Nam secundum Paulum Apostolum: *Omnes in Adam moriuntur.* Et alibi: *Per unum hominem mors intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt.* Et alibi: *Sicut unius Adæ delictum regnavit in omnes in condemnationem, &c.* Et iterùm: *Omnes in Adam peccaverunt.* Et Sanctus Leo Papa: *Dominus noster peccati mortisque Destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, sic pro liberandis omnibus venit.*

Et

Et David in Psalmo: *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt.* Et Isaias: *Omnes nos quasi oves erravimus unusquisque in viam suam declinavit.* Et Augustinus: *Omnes nos in illo fuimus quando ille unus*, scilicèt Adam, *omnes corrupit.* Et iterùm idem Augustinus: *Non est in filiis hominum quisquam sine peccato.*

Quid sit peccatum originale contractum in nobis.

VIdendum est à nobis in præsenti articulo, quid sit peccatum originale in nobis contractum. Nam peccatum originale in nobis non est aliquis malus actus, sicut quidam dixerunt. Nam malus actus in nobis, ex mala electione voluntatis sequitur. In parvulis autem non potest esse mala electio voluntatis neque bona, quia non valent exercere operationes animæ intellectivæ perfectas, scilicèt intellectûs & voluntatis, per quas possint mereri & demereri.

Ampliùs. Si peccatum originale esset aliquis malus actus, sequeretur quòd aliquis peccaret actualiter, antequàm exiret de ventre matris suæ. Probatur, quia peccatum originale contrahitur, quando unitur anima intellectiva corpori suo organico physico. Hoc autem quod deducitur est impossibile, quia pueri in utero matris non utuntur libero arbitrio.

Ampliùs. Si peccatum originale esset aliquis malus actus, tunc esset peccatum actuale & non originale, ut patet intuenti. Dicamus ergò secundò, quòd peccatum originale in nobis, non est aliquis malus habitus, ut affirmaverunt nonnulli: quia ex frequentatis actibus generatur habitus, 6. Ethicorum. Modò autem demonstratum est, quòd peccatum originale non est aliquis actus malus, quia talis in pueris esse non potest, quod si malus actus non est, malus habitus esse non potest. Nam remotâ causâ removetur effectus.

Dicamus tertiò, quòd peccatum originale in nobis: non est rebellio sensuum erga rationem, quia talis rebellio est sequela peccati, non peccatum.

Ampliùs. Talis repugnantia sensuum est ex quo pars superior & rationalis fuit deordinata erga Dominum.

Dicamus quartò, quòd peccatum originale non est formaliter obligatio ad pœnam damni, quia talis obligatio est ex aliqua causa, talis autem causa non potest esse ipsamet obligatio: ergò est ex peccato, quia

non

non ex virtute, nec ex aliena causa immediata. Ex quibus apparet quòd illa ratio quam fecit Franciscus Maronis in tertio Sententiarum in quæstione, *Vtrùm Beata Virgo* MARIA *sit in peccato originali concepta*, nihil valet, quando vult probare, quod peccatum originale non sit carentia originalis justitiæ, quia si Deus creasset Adam in puris naturalibus habuisset illam carentiam originalis justitiæ, & tamen non habuisset peccatum. Dico primò, quod illa non est completa diffinitio peccati originalis: *peccatum originale est carentia originalis justitiæ*, sed sunt plura alia ut videbitur. Neque etiam est completa diffinitio peccati actualis sive habitualis Adæ, nisi ponantur multa alia. Hîc est quod non concluditur, ibi non est originalis justitia, & subjectum est aptum natum ad illam, ergò ibi est peccatum. Secundò dico, quòd si Adam non fuisset creatus in originali justitia, cum illa sit donum & gratia supernaturalis: tunc non diceretur habere carentiam illius in subjecto apto nato, quia privatio dicitur dupliciter. Aut quando deperditur forma in subjecto apto nato ad illam, ut patet in cæco. Aut quando in nobis debet evenire aliquid, & aufertur medium, sicut hîc patet, quia si primi parentes non peccassent habuissemus originalem justitiam, modò si Deus Omnipotens non creasset Adam cum originali justitia, nullo istorum modorum fuissemus eâ privati.

Dicamus quintò, quòd peccatum originale, non est appetitus sive inclinatio, quæ mediante animâ desiderat uniri corpori infecto, quia cùm talis appetitus sit animæ naturalis, competens ei per se, ab ipsa nunquam posset amoveri tale peccatum per passionem Domini nostri JESU Christi, nisi animâ intellectivâ destructâ.

Dicamus sextò, quod peccatum originale non est formaliter unio animæ ad corpus, quia si tale ab homine amoveri deberet per passionem Domini nostri JESU Christi, priùs oporteret, quòd anima dissolveretur à corpore, si scilicet peccatum originale formaliter esset unio animæ ad corpus.

Amplius. Unio animæ ad corpus est naturalis, & ex ea in quantum talis nullum contrahitur peccatum, quia antequàm primi parentes peccassent, in creatione eorum animæ suæ fuerunt conjunctæ corporibus suis sine aliqua macula & peccato.

Concludendo ergò diffinitionem peccati originalis in nobis existentis dicamus. *Peccatum originale est carentia originalis justitiæ debitæ, in primis parentibus amissæ ex transgressione legis in nobis derivatâ ex actuali peccato*

peccato primorum parentum, obligans nos ad duplicem mortem, scilicèt temporalem & æternam, & ad cæteras pœnas quæ talem carentiam sequuntur.

Ista diffinitio declaratur à nobis per singulas particulas ejus. Primò dicitur peccatum, *peccatum originale*, & in hoc distinguitur à peccato actuali *est carentia.* Nam cùm peccatum non sit de genere positivorum, oportet quòd diffiniatur per carentiam sicut cætera privativa diffiniuntur. Secundò dicitur, *originalis justitiæ*, & in hoc explicatur, cujus formæ peccatum originale sit privatio. Dicitur tertio loco *debitæ*, & quia nisi esset amissio justitiæ debitæ, non obligaremur ad duplicem pœnam. Dicitur quartò, *in primis parentibus amissæ*, ad excludendam justitiam originalem in angelis malis amissam, quia tali justitiâ non privamur, sed eâ, quæ fuit in primis parentibus amissa. Dicitur quinto loco, *ex transgressione legis in nobis derivata*, ut explicetur causa, quare & nos qui quamvis non peccavimus actualiter, tamen quia fuimus in lumbis ejus, per transgressionem legis ab eis factam, etiam nos amisimus talem justitiam originalem debitam. Dicitur sextò, *ex actuali peccato primorum parentum*, quia ut dicit Beatus Augustinus: *Omnes in illo*, scilicèt Adam, *fuimus quando ille unus* per peccatum, scilicèt, actuale *omnes nos corrupit.* Dicitur ultimo, *obligans nos, &c.* ut explicentur ea quæ sunt finis hujus peccati, & quarum pœnarum causa sit item tale peccatum.

In quo subjecto contrahitur peccatum originale.

QUamvis ex superioribus in præcedenti articulo jam dictis, satis clarè constare posset, quomodo contrahitur peccatum originale in nobis, & in quo subjecto fuit talis macula, tamen ad meliorem evidentiam dicendorum, decrevi declarare ista in proprio atque determinato articulo. Contrahitur ergò peccatum originale in nobis isto modo. Nam anima propriè est illa quæ est subjectum virtutis & vicii mediantibus potentiis ejus. *Nam anima quæ peccaverit*, secundum Prophetam, *ipsa morietur.* Nam si primi parentes nostri non peccassent, anima uniuscujusque nostrûm fuisset creata plena gratiâ, cum omni rectitudine atque originali justitia, corpori fuisset unita, omnes sensus nostri fuissent rationi subjecti, sicut fuit quando fuerunt creatæ animæ primorum parentum, & quando fuerunt suis corporibus unitæ. Nunc verò propter peccatum eorum qui trangressi sunt legem, anima nostra absque gratia

& originali juſtitia atque rectitudine unitaque corpori, illud Dominium habere non poteſt de corpore & ſuper corpus ſuum, quod habuiſſet ſi in gratia creata fuiſſet, ideò quàmprimùm anima fuit unita corpori ſuo, tunc eſt lex in illa & alia in ſenſibus corporis. Nam caro pugnat adverſus ſpiritum, & ſpiritus pugnat adverſus carnem, & alia lex eſt in ſenſibus & diverſa à lege mentis noſtræ. Iſto ergò modo contrahitur tale peccatum, in talique ſubjecto, in anima quoque noſtrâ eſt talis carentia, ratione cujus animæ nos dicimur privati prædictorum. Nam ut dicit Auguſtinus lib. de Civitate Dei: *In occulto mali eſſe cœperunt ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur niſi præcederet mala voluntas.* Per malam ergò electionem voluntatis primorum parentum fuit amiſſa rectitudo, quæ erat in voluntate eorum, ratione cujus tenebantur conformari voluntati divinæ. Voluntas ergò fuit illa quæ fuit privata & inordinata per malam electionem, ratione cujus omnes ſenſus eorum deordinati fuêre. In nobis verò non fuit aliqua mala electio voluntatis, quia non peccavimus actualiter, ſed in illo tamquàm in radice fuit omne illud quod ſecutum eſt ex mala electione voluntatis primorum parentum, quia ſicut voluntas eorum curva & prava ex tranſgreſſione facta eſt, ſic nos per peccatum eorum, creamur cum voluntate non recta & ſine gratia. Et ſicut in illis amiſſâ rectitudine voluntatis ſuæ amiſerunt omnem rectitudinem ſenſuum, ſic & anima noſtra creata abſque gratia & originali juſtitia, cùm unitur corpori ſuo organico, omnes ſenſus fiunt rebelles rationi, tenemurq; ad debitum duplicis mortis, omneſque paſſiones, quas habuerunt primi parentes, & nos, qui ex lumbis eorum ſumus, habemus. Ex quibus ſic determinatis apparet error illorum, qui dixerunt concubitum inordinatum viri cum muliere, eſſe cauſam contractionis talis peccati, quia per talem concubitum uniuntur ſpermata ex infecta carne progredientia, ex eiſque ſenſibus ſic unitis generatur corpus ſic infectum, animæ quoque unitum, ipſa anima ab eodem corpore inficitur. Sed ſaluâ pace eorum hoc non videtur eſſe verum, quia ſi anima noſtra crearetur plena gratiâ & cum originali juſtitia, quemadmodùm fuerunt animæ primorum parentum creatæ, omnes modi concubitûs illiciti non eſſent cauſa talis deturpationis animæ, quia cùm anima noſtra intellectiva non ſit deducta de potentia materiæ, ſed à Deo immediatè creata ſpiritualis, ideò non poteſt inficì à carne infecta, quia ipſa non eſt ſuſceptibilis qualitatum corporalium.

Ampliùs. In illo ſubjecto contrahitur peccatum in nobis, in quo

fuit

fuit contractum peccatum primorum parentum ex transgressione actuali ab eis facta, sed tale peccatum in primis parentibus fuit in voluntate eorum contractum, quæ potentia fundatur in animabus ipsorum, ergò & in nobis tale peccatum fuit contractum in voluntate & anima nostra.

Ampliùs. Anima primorum parentum fuit illa quæ per peccatum fuit privata originali justitiâ; originalis autem justitia est bonum animæ & non corporis. Quia existente illâ in anima nostra omnes sensus nostri obediunt rationi. Cùm autem carentia talis originalis justitiæ sit in anima, illâ priùs contrahitur tale peccatum quàm ut sensus fiant rationi rebelles. Caro ergò infecta non est illa causa quæ privat animam tali originali justitiâ: sed est immediatè Deus, qui immediatè creat illam animam. Et quia id, quod animæ competit seorsùm, hoc per se absque corpore non dicimus illi competere. Ideò unitâ corpori dicimus tale suppositum contraxisse peccatum originale. Nam ut dicit Aristoteles primo lib. de anima: *Si quis dixerit animam intelligere, est sicut si quis dixerit eam texere vel filare.* Et tamen anima intellectiva est illa per quam homo intelligit & sapit, dicente eodem Aristotele in tertio de anima: *De parte autem animæ quâ intellectus cognoscit & sapit, cùm operationes sint suppositorum,* primo Metaphysicæ: non dicimus animam intelligere, sed hominem, sic & in anima intellectiva, quamvis in illa sit propriæ carentia justitiæ originalis debitæ, tamen non dicimus animam contraxisse tale peccatum, sed hominem. Medium autem per quod contrahitur tale peccatum est concubitus viri & mulieris, est tamen remotum medium & causa sine qua non. Medium autem propinquum est ex unione animæ intellectivæ cum corpore organico. Tertiò apparet error illorum, qui dixerunt peccatum originale contrahitur in anima ex inclinatione ejus ad corpus infectum, & cùm delectatur cum corpore. Sed salvâ pace eorum hoc non videtur benè dictum, quia talis appetitus aut inclinatio animæ ad corpus infectum, aut præcedit cognitionem intellectûs & electionem voluntatis, aut subsequitur. Non primum, quia cùm talis appetitus sit animæ naturalis, neque ab anima poterit removeri per aliquam potentiam, cùm ille sit animæ naturalis & proprius, sequeretur quod peccatum originale nunquam posset removeri ab anima. Neque est dicendum secundum, quia illud est peccatum actuale & non originale.

Quòt modis ſolvitur debitum ex aliqua cauſa contractum.

His viſis atque determinatis, ad majorem evidentiam dicendorum, decrevi in iſto articulo notare quòt modis dimittitur debitum ex aliqua cauſa contractum. Primus ergò modus quo dimittitur debitum, eſt per cauſæ ceſſationem, ut quando filii remanent poſt mortem ſuorum parentum abſque bonis parentis, non tenentur ad debita patris, quia ceſſavit ille, qui fuit cauſa talis debiti, & in bonis ejus non remanſit quicquam. Iſto modo non fuit ſolutum debitum contractum in primis parentibus ipſis morientibus, nec etiam noſtrum in morte noſtra, quia quamvis mortui ipſi ſint & etiam nos continuè morimur, tamen lex Domini non ſolùm adimpletur ex morte temporali, ſed debet adimpleri etiam quoad mortem ſempiternam, & quia animæ eorum poſt mortem adhuc remanſerunt. Sed diceres, quomodo anima humana tenetur ad mortem ſempiternam, cum ipſa ſit immortalis, neque unquam moriatur. Ad hoc dicemus quemadmodum, dicit Auguſtinus lib. 13. de Civitate Dei cap. 20. *Quamvis anima humana veraciter immortalis perhibetur, tamen quamdam etiam ipſa mortem ſuam dicitur habere.* Et paulò pòſt declarando quæ ſit iſta mors animæ dicit: *Mors igitur animæ fit cùm deſerit eam Deus, ſicut corpus cùm deſeritur ab anima*, mors ejus eſt, & dicitur. Ad propoſitũ redeuntes dicimus, quòd debitum noſtrum non fuit ſolutum per mortem primorum parentum, quia cauſa talis debiti, eſt carentia originalis juſtitiæ debitæ, quæ carentia in conceptione noſtra contrahitur propter defectum primorum parentum, quia ut dicit Auguſtinus: *Omnes in illo fuimus*, &c. Secundo modo dimittitur debitum per debiti ſatisfactionem. Iſto modo non fuit ſolutum debitum primorum parentum & noſtrum, quia culpa eorum in nobis contracta, objectivè fuit infinita videlicèt circa objectum infinitum, quia Deo diſplicuerunt primi parentes & nos in illis & cum illis, modò per nullum finitum poteſt auferri culpa objectivè infinita. Ampliùs ſecundum Apoſtolum Paulum, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis adfuturam gloriam*, niſi mediante gratiâ Domini, quâ ablatâ, nulla operatio humana talis ac tanta eſſe poteſt ut eſſe poſſit ſufficiens, non dico ſolùm ad ſatisfaciendum pro debito

bito contracto, ſed etiam ſi nullum fuiſſet contractum debitum ipſa adhuc non eſſet ſufficiens ad futuram gloriam, neque de condigno, ut patet, neque etiam de congruo, niſi eſſet gratia Domini noſtri Jesu Chriſti. Tertio modo poteſt dimitti debitum per debiti donationem factam ab aliquo pro nobis ſatisfaciente. Iſto modo fuit donatum debitum contractum ex peccato primorum parentum nobis, & hoc per Dominum Jesum Chriſtum ac Redemptorem noſtrum, qui pro nobis in ligno crucis pependit, atque pro nobis ſatisfecit, mortemque noſtram moriendo deſtruxit, unde & ſecundum Iſaiam: *Verè languores noſtros ipſe portavit.*

Quòt ſint modi redemptionis.

NUnc conveniens eſt ut videamus in præſenti articulo quòt ſint modi redemptionis. Primus ergò modus redemptionis eſt quando quis redimit poſtquam lapſus eſt in peccato mortali actuali. Iſto modo fuerunt redempti primi parentes noſtri, per paſſionem Domini noſtri Jesu Chriſti.

Secundus modus redemptionis eſt, quando quis redimitur poſtquàm lapſus eſt in peccato veniali. Iſto modo redimuntur viri perfecti, qui per gratiam Dei ſublevantur poſt venialem omiſſionem.

Tertius modus redemptionis eſt, quando quis redimitur, & in gratia confirmatur, nè ampliùs in peccato mortali labatur. Iſto modo redempti fuerunt Apoſtoli, & in gratia confirmati poſt adventum Spiritûs Sancti, & ideò poſteà ampliùs nunquam mortaliter peccaverunt.

Quartus modus redemptionis eſt, quando quis redimitur mediante Baptiſmo in virtute paſſionis Domini. Iſto modo redimuntur parvuli qui baptizantur, & aliqui adulti baptizati & Chriſtiani effecti.

Quintus modus redemptionis eſt, quando quis redimitur in virtute paſſionis Domini, & in utero matris ſanctificatur, licèt in originali peccato ceciderit. Iſto modo fuerunt redempti Jeremias & Joannes Baptiſta, & fuerunt ſanctificati in utero matris, poſtquàm ceciderunt in peccato originali.

Sextus modus redemptionis perfectiſſimus eſt quando aliqua creatura futura eſt quæ ex ſui natura eſt in potentia contrahendi peccatum originale, & Dominus Deus ex ſua infinita miſericordia in virtute paſſionis

Christi Jesu illam præservat, nè incurrat tale peccatum originale, creando animā intellectivam ejus plenam gratiæ, & infundendo illam animam corpori organico physico in utero matris formato. Isto modo fuit redempta glorioſiſſ. Virgo Maria Jesu Christi Mater benedicta. Undè ſecundum ſapientiam Salomonis in cap. illo quod ſic incipit: *Mulierem fortem quis invenit*, dicitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu verò*, ſcilicet Virgo Maria, *ſupergreſſa es univerſas.* Et ideò Beatus Hieronymus de Beata Virgine dicit: *Totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, in* Maria *venit plenitudo.* Et Auguſtinus dicit: *eam omnibus gratiis fœcundatam, omni ſanctitate in utero Matris repletam.* Hoc autem quod dicimus, in ſequentibus meliùs apparebit.

Quòd fuit poſſibile tàm ex parte Dei, quàm ex parte Virginis, quòd Virgo MARIA præſervaretur à peccato originali.

TEmpus nunc expoſtulat poſtquàm determinavimus brevi Sermone ea quæ ſunt antecedentia ad materiam iſtam, ut videamus ea quæ ſunt ad propoſitum determinanda. Et primò videre decrevimus in iſto articulo, utrùm fuerit poſſibile Deo (ſtante peccato primorum parentum) præſervare Virginem, nè incurreret peccatum originale. Et ad oſtendendam hanc poſſibilitatem adducemus plures rationes etiam efficaciſſimas.

Prima ergo ratio talis eſt. Illud eſt poſſibile Deo reſpectu creaturæ, quòd non implicat contradictionem, neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ. Illud patet ſic, quia ſecundum Theologos Deus poteſt facere quicquid non implicat contradictionem, ſed ut Virgo Beata in Conceptione produceretur ſancta non implicat contradictionem, neque ex parte Dei, neque ex parte Virginis: ergò hoc fuit poſſibile Deo Virginem, ſcilicèt producere in Conceptione ſanctam. Minor probatur, quia poſt Adæ peccatum hoc fuit factum in Chriſti Domini conceptione, ergò etiam potuit fieri in Virginis conceptione. Ampliùs. Si Adæ peccatum haberet removere hanc poſſibilitatem, ſequeretur quòd poſſet Omnipotentem Deum perturbare maximè de futuro, videlicèt de Unigeniti ſui conceptione. Et ſi dicatur, aliud eſt loqui de conceptione

ceptione Christi qui non fuit conceptus aut productus ex conjunctione seminum: & aliud est loqui de Virgine, cujus corpus constabat & erat ex conjunctione seminum viri & mulieris. Ista replicatio insufficiens esse probatur, quia Beatus Job intuens Conceptionem Beatæ Virginis futuram dixit de illa: *Quis potest facere mundum*, scilicèt individuum, *de immundo conceptum semine? Nonnè tu qui solus es*, scilicèt Deus. Ad ostendendum quòd si quæ creatura per conjunctionem seminum immundorum conciperetur in matrice mulieris adhuc esset possibile Deo producere animam intellectivam ejus plenam gratiæ & infundere illam corpori organico, mundato per potentiam Dei, antequàm introduceretur anima intellectiva in illud. Et isto modo creatura illa esset in conceptione munda. Confirmatur, quia peccatum Adæ non potuit divinum perturbare consilium secundum Augustinum, quasi videlicèt, *quod Deus statuerat illud mutare compulerit.*

Secunda ratio. Omnis aptitudo quæ inest alicui naturæ immediatè potest educi de potentia ad actum, per potentiam Dei. Probatur, quia Deus est Omnipotens, & quicquid potest in genere causæ efficientis & finalis facere mediante causâ secundâ, potest & facere sine illa: sed anima intellectiva, quæ immediatè producitur à Deo, habet aptitudinem ad gratiam suscipiendam, & ergò immediatè potest educi de potentia ad actum per potentiam Dei. Quòd si sic est, in aliquo instanti secundum possibilitatem non poterit esse sub oppositio gratiæ. Confirmatur. Sicut Deus creavit animam intellectivam primi parentis, nullis antecedentibus meritis plenam gratiæ & originalis justitiæ, sic non obstante peccato primorum parentum: potuit creare animam Virginis in gratia, quam cognoscebat futuram ejus Matrem.

Tertia ratio: possibile est alicui creaturæ præservare aliquem nè in servitutem incidat, stante servitute suorum parentum, ergò multò magis est possibile Deo præservare Virginem, nè in peccatum incidat originale, stante peccato originali, stante peccato primorum parentum. Consequentia patet, quia creatura est ens per participationem: Deus verò est ens per essentiam, & quicquid agit creatura hoc agit in virtute Dei qui est prima causa infinita. Antecedens probatur, quia secundum legem filii servorum sunt servi, & tamen est in facultate Domini, facere liberum primum filium, qui ex servis debet nasci, antequàm incurrat servitutem. Exempli gratiâ, si aliquis Dominus duorum servorum ita ordinaret, volo quod primus filius qui ex talibus servis nasceretur sit

liber

liber, tunc ille qui primus naſceretur eſſet liber, & tamen nullam incurriſſet ſervitutem ante libertatem ſuam, eò quod fuit præſervatus ex mera liberalitate voluntatis Domini ſui: non obſtante ſervitute parentum ſuorum.

Quarta ratio. Legiſlator inſtituens legem ex mera & libera voluntate ejus, nullâ neceſſitate coactus, poteſt excipere quamcumque voluerit à tali lege, ſed Deus dedit legem primis parentibus ex libera & mera ejus voluntate, ergò poteſt excipere quamcumque creaturam voluerit à tali lege, quòd ſi ſic eſt potuit præſervare Virginem MARIAM, nè in peccatum originale caderet: non obſtante tranſgreſſione legis per primos parentes factâ. Confirmatur: nam ſicut Deus dedit legem, ita poteſt illam ſuſpendere reſpectu cujus ipſe vult, quia cùm ipſe ſit Omnipotens & liber, ita poteſt ſuſpendere actionem cujuſcumque. Ex his omnibus ſatis clarè conſtat Deo Omnipotenti fuiſſe poſſibile præſervare Virginem MARIAM, nè in peccatum originale caderet, non obſtante peccato primorum parentum.

Quòd non ſolùm fuit poſsibile, verùm etiam fuit conveniens, quòd Virgo MARIA *præſervaretur à peccato originali.*

NOn ſolùm ſufficit nobis demonſtraſſe, fuiſſe poſſibile Deo præſervare Virginem, nè in peccatum originale caderet, quin etiam nobis neceſſarium videtur fore demonſtrare hoc conveniens fuiſſe.

In præſenti autem articulo intendo formare octo excellentiſſimas rationes ad oſtendendum talem convenientiam, quibus judicio noſtro nulla poteſt offerri conveniens reſponſio.

Prima ratio ſumitur ex parte Chriſti Domini, cui ab æterno datum eſt redimere genus humanum, quod perire debebat ex peccato. Redemptio ergò naturæ humanæ ab æterno data eſt Unigenito Dei Filio, ergò convenientiſſimum fuit, ſi debebat fieri caro in Virginis MARIÆ utero; dare illi Matrem omninò à peccatis mundam, ut de mundiſſima Matre mundiſſimus naſceretur Filius. Antecedens probatur, quia ab æterno præſciebatur à Deo Adam peccaturum & ſicut præſciebatur ipſum peccaturum, ſic decretum eſt in mente divina ab æterno dare

modum

modum mediante verbo ſuo, quod debebat fieri caro, ut videlicèt mediante ejus paſſione & morte genus humanum, quod debebat perire, poſſet etiam redimi. Quòd autem hoc ſit verum auctoritate Auguſtini lib. 2. de Civitate Dei cap. 22. comprobamus, hæc enim ſunt verba ſua: *Nec ignorabat Deus hominem peccaturum.* Et in eodem capitulo paucis interpoſitis verbis ſic dicit: *Prævidebat etiam Deus gratiâ ſuâ populum purum in adoptationem vocandum remiſſisque peccatis juſtificatum Spiritu Sancto, Sanctiſque Angelis in æterna pace ſociandum.* Hæc ille. Conſequentia probatur per Auguſtinum in libro Sermonum ſuorum, Sermone ſcilicèt 43. de Nativitate Domini dicentem: *Sicut in cœlo Chriſtus habuit Patrem immortalem & æternum, ſic & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis eſt Pater talis eſt & Filius, ſic & in terra, qualis eſt Mater talis ſecundum carnem eſt Filius.* Iſta auctoritas eſt tantæ virtutis, quòd non ſolùm probat convenientiam, verùm etiam probat iſtam Virginem defactò non in peccato originali non fuiſſe conceptam, prout videbitur meliùs in ſequentibus. Conformatur hæc ratio, quia ſi hoc non fuiſſet conveniens, aut hoc fuiſſet ex parte Chriſti, aut ex parte Virginis Mariæ. Non eſt dicendum primum, quia cùm Chriſtus ſit Dei Filius Deus, non ſolùm homo illi convenit, immò majora illi conveniunt. Si verò dicatur ſecundum, ſcilicèt non fuiſſe conveniens ex parte Virginis, tunc aut hoc non fuiſſet conveniens Virgini in quantum Virgo abſolutè, non comparando ipſam ad Chriſtum Dominum aut comparando ipſam Virginem ad Chriſtum. Si primum, hoc non videtur eſſe quicquam, quia ſaltèm propter ſecundum erit hoc convenientiſſimum. Probatur, quia canitur à ſacroſancta Matre Eccleſia: *Fœlix namque es ſacra Virgo* Maria, *& omni laude digniſsima.* Et ſubditur hujus laudis digniſſimæ cauſa ab ea, non quòd abſolutè ſit digniſſima, quia nunquam ulli creaturæ puræ ſanctæ, talia verba attributa ſunt, ſed hoc Mariæ Virgini dictum eſt ideò, quia fuit & eſt Mater Chriſti Domini Dei noſtri, & hoc invenit Eccleſia cùm ſubinfert: *Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.*

Secunda ratio ſumitur ex parte excellentiæ Chriſti & eſt iſta. Illud quòd denotat excellentiam in Chriſto, non repugnans ſibi reſpectu ſuæ redemptionis eſt ponendum convenientiſſimum in illo, ſcilicèt ponere Virginem ejus Matrem fuiſſe præſervatam, nè peccatum originale incurreret in virtute paſſionis denotat excellentiam in eo reſpectu ſuæ originis, neque repugnat redemptioni ejus, quia talis præſervatio eſt nobiliſſima

biliſſima redemptio, ergò hoc debet poni in natura convenientiſſimum reſpectu Chriſti & Matris ejus benedictæ.

Tertia ratio ſumitur ex parte perfectiſſimæ redemptionis & eſt iſta. Sextus modus redemptionis in nono articulo à nobis aſſignatus eſt poſſibilis, conveniens & perfectiſſimus inter omnes alios, qui modus eſt, quòd aliqua creatura ſit præſervata in virtute paſſionis Domini, nè incurrat peccatum quod incurriſſet, ſi ſic præſervata non fuiſſet. Cùm ergò iſte modus ſit poſſibilis; conveniens & perfectiſſimus inter omnes alios modos reſpectu creaturæ alicujus tunc quæro, utrùm aliqua creatura tali modo fuit redempta, vel non: ſi non, aut ergò fuit defectus iſte ex parte Chriſti Jesu, ut ſcilicèt talem creaturam tali modo perfectiſſimo redimere aut non potuit aut noluit, aut ſi potuit, talis creatura non meruit. Non eſt dicendum primum, quia fuit demonſtratum in præcedenti articulo, fuiſſe poſſibile Deo præſervare Virginem, &c. Si dicatur ſecundum aut ergò ideò: quia talis creatura non meruit de condigno, aut quia non meruit de congruo, non eſt dicendum primum, quia ſic Chriſtus non fuiſſet perfectiſſimus Redemptor: nam quamvis de condigno multa non dentur creaturis, tamen ad oſtendendam perfectionem Dei, Deus creaturis multa dat, quæ de condigno illis non dantur. Si verò dicatur quod creatura talis de congruo non meruit talem modum redemptionis contra hoc replicatur ſic creatura illa majus quid meruit de congruo, ergò modo potuit etiam mereri hunc modum redemptionis. Conſequentia patet, & antecedens probatur, quia Virgo Maria de congruo meruit eſſe Mater Dei, quæ major perfectio exiſtit, quàm quòd fuerit redempta ſexto modo redemptionis. Dicendum eſt ergò ultimum membrum, ſcilicèt quod aliqua creatura de congruo fuit redempta ſexto & perfectiſſimo modo redemptionis: talis autem creatura eſt gloriosiſſima Virgo & Mater Maria.

Quarta ratio ſumitur ex parte perfectiſſimæ reconciliationis, & eſt hæc. Perfectiſſimus reconciliator, cui datum eſt redimere naturam humanam quæ perierat ex peccato, debet eam reconciliare Deo ſecundum perfectiſſimum reconciliationis modum, etſi non ſecundum omnia individua, ſaltèm ſecundum unum. Iſta ratio ſic patet, quia aliter non eſſet perfectiſſimus reconciliator: ſed ſic eſt quòd Chriſtus fuit perfectiſſimus reconciliator, ergò debuit reconciliare creaturam humanam Deo ſecundum perfectiſſimum reconciliationis modum, ſaltèm ſecundum unum individuum, etſi non ſecundum omnia. Major declaratur

ratur, quia dato oppoſito aut hoc eſſet ex defectu potentiæ & hoc non: prout fuit in precedenti articulo demonſtratum, aut hoc eſſet adverſus ſapientiæ leges: Et hoc ſimiliter non, *quia prudentia eſt providentia de futuris ex memoria præteritorum.* Cùm autem in verbo Dei fuerit ſumma & maxima prudentia antequàm Virgo MARIA conciperetur, potuit ex ſua prudentia præſervare ipſam, nè peccatum originale in conceptione contraheret. Neque hoc fuiſſet contra morum leges, quia dicitur in lege Moſayca: *Honora patrem tuum & matrem tuam, &c.* Et iterùm: *Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.* Secundum hanc igitur legem fuit conveniens quòd verbum divinum ſummâ ſapientiâ & providentiâ, quæ præordinavit fieri caro in utero Virginis MARIÆ, illam præſervaret ac veneraretur, quâ veneratione ipſum verbum divinum venerabatur.

Quinta ratio eſt iſta: quandocumque aliquis alteri inimicatur, pro reconciliatione inter eos facienda non convenit aſſumere tertium, niſi ſit utrûmque amicus, ſed ſic eſt quod Virgo MARIA fuit electa à Deo, ut eâ mediante verbum fieret caro pro reconcilianda natura humana, quæ per peccatum Deo fuerat facta inimica, ergò Virgo MARIA ſic electa non fuit in conceptione inimica, quòd ſi ſic eſt, Virgo in peccato originali non fuit concepta. Confirmatur, quia non aſſumitur aliquis pro medio inter aliquos in quo ſit illud, per quod facta eſt inimicitia inter illos, quia illud non eſt conveniens medium, ſed ſic eſt quòd Virgo MARIA fuit electa pro medio, inter Deum & humanam creaturam, ut Verbum Divinum in ea fieret caro, ergò MARIA Virgo non habuit illud per quod facta eſt inimicitia inter Deum & hominem. Cùm autem peccatum originale fuerit cauſa talis inimicitiæ, ſequitur quòd Virgo MARIA illud nunquàm contraxit, eò quod convenienter fuit electa: nam aliàs non fuiſſet convenientia electionis.

Sexta ratio. Opus redemptionis fuit majus quàm opus creationis, ergò conveniens fuit & eſt, ſcilicèt majora fieri & æqualia in opere redemptionis quàm in opere creationis, ſed in opere creationis natura humana fuit creata munda & in gratia, nullis antecedentibus meritis, ergò multò magis per paſſionem Domini noſtri JESU Chriſti, in cujus videlicèt virtute fuit conveniens præſervare naturam humanam totam, ſaltèm in aliqua creatura pura humana, nè talis in conceptione ſua peccatum contraheret originale. Talis autem creatura fuit Virgo MARIA, quia ipſa quantùm ad redemptionem paſſivam fuit perfectiſſimè redempta. Quòd autem opus redemptionis ſit majus opere creationis, probatur,

quia per opus redemptionis *Verbum caro factum est*, Deus homo factus est, Maria Mater Dei facta est & super omnes creaturas tàm corporales quàm spirituales exaltata est: *Exaltata es enim sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna* canit Mater Ecclesia. In opere autem creationis tanta ac talia facta non fuerunt, nec æqualia aut his majora, immò multi Philosophorum ponunt opus creationis esse naturale, non solùm in Deo verùmetiam in creatura.

Septima ratio est: sicut nullis antecedentibus meritis fuit conveniens Deo creare Adam & Euam in conceptione sivè ortu suo sanctos, sic quoq; multò magis fuit conveniens, quòd Jesu Christi Mater præservaretur, nè in conceptione contraheret peccatum originale. Probatur consequentia, quia peccatum Adæ non habet removere hanc convenientiam in Christi Jesu Matre benedicta, quia secundum Augustinum: Maria Jesu *Christi Mater electa est à Deo & super omnes creaturas præelecta omnibus gratiis fœcundata, omni sanctitate in utero matris repleta.*

Octava ratio est ista: conveniens est Christi originem esse tantæ perfectionis atque dignitatis, sicut fuit origo Adæ: sed si Virgo Maria fuisset in peccato concepta, origo Christi in quantùm Christi ad sæculum fuisset minoris perfectionis & dignitatis quàm origo Adæ: ergò non est conveniens ponere Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Major hujus rationis patet, minor autem probatur, quia si Virgo in peccato originali fuisset concepta, quantumcumque mundata esset, Christus de terra fuisset ortus quæ aliquando fuisset aliquibus maculis respersa & absterſa. Adam verò non sic qui de terra non fuit unquam aliquibus maculis deturpatus, & origo Christi fuisset deterior origine ipsius Adæ mundissimi. Cùm autem hoc esse non possit, defactò sequitur non fuisse conveniens Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam.

Quòd

Quòd Virgo MARIA *in Conceptione fuit ſancta atque ſine peccato originali concepta, per rationes ſumptas ex parte Chriſti Domini noſtri.*

POſtquâm demonſtratum fuit à nobis fuiſſe conveniens quòd Virgo noſtra in peccato originali non eſſet concepta, nunc in præſenti articulo, convenientiâ jam demonſtratâ, intendo declarare hoc ita fuiſſe, & hoc itaque per rationes ſumptas ex parte Chriſti Redemptoris noſtri.

Prima ratio: ſi Chriſtus Redemptor noſter in originali juſtitia fuit conceptus, ergò Virgo MARIA ex qua natus eſt in peccato originali non fuit concepta. Antecedens notum eſt, & conſequentia probatur, quia originalis juſtitia alicujus non patitur ipſum fuiſſe de terra, quæ aliquando aliquibus maculis fuerit deturpata, & præſertim originalis juſtitia ipſius Chriſti Redemptoris noſtri.

Confirmatur: non minoris perfectionis fuit originalis juſtitia ipſius Chriſti Domini quantùm ad ſubſtantiam & circumſtantias, quàm illa originalis juſtitia, quæ fuit in Adam & in Eva. Iſta ratio de ſe eſt manifeſta: ſed juſtitia originalis, quæ fuit in Adam & in Eva, quantùm ad ſubſtantiam fuit perfecta, & quantùm ad circumſtantias, quia cum illa fuit conceptio Adæ & Evæ ſine aliqua macula quantùm ad originem animarum ſuarum, quæ fuerunt ſine aliqua macula creatæ, & quantùm ad originem corporum ſuorum, quæ fuerunt creata & aſſumpta de terra munda, nullis unquam maculis deturpata, ſicut fuit corpus Adæ & Evæ quod fuit aſſumptum de latere Adæ, quod & fuit mundum nullis unquam maculis deturpatum: ergò multò magis fuit perfecta originalis juſtitia Chriſti, tàm ad ſubſtantiam, quàm ad circumſtantias animæ ejus, quæ fuit unita Verbo Divino, & corporis ſui quod fuit aſſumptum de Virgine, nullis unquam maculis deturpatâ.

Secunda ratio: nihil, quòd denotet ignominiam in Chriſto, eſt ponendum in eo, ſed ſi poneretur quòd Virgo noſtra in peccato originali fuerit concepta: poneretur ignominia in Chriſto, quantùm ad originem ejus: ergò hoc non eſt ponendum in natura, id eſt quòd Mater ejus Virgo fuerit in peccato originali concepta. Antecedens hujus rationis patet pro majori. Minor autem probatur, quia eſt ponere ignominiam

in Chriſto quòd fuerit de matre, quæ aliquando fuerit peccatrix, & maximè, quia de præterito nulla potentia ſeu ſapientia poteſt ſe extendere, quòd enim præterita non ſint præterita, per nullam potentiam aut ſapientiam poteſt fieri ipſa non fuiſſe. Neque unquam ſtatus peccati per aliquam potentiam ita mundari poteſt, ut ipſe ſit æqualis ſtatui innocentiæ.

Tertia ratio eſt: aſſumo enim auctoritatem Auguſtini in libro de Gratia & libero arbitrio: *Propter honorem Domini cùm de peccatis agimus, nullam de Beata Virgine volo fieri quæſtionem.* Quæro ergò de quibus peccatis loquatur ibi Beatus Auguſtinus. Aut enim locutus eſt de peccatis venialibus tantùm, aut de peccatis mortalibus tantùm, aut de peccatis venialibus & mortalibus ſimul. Si dicatur primum, tunc contrà: ſi propter honorem Domini Virgo fuit liberata à peccatis venialibus, multò magis fuit liberata à peccatis mortalibus nè incurreret illa. Probatur, quia per peccatum mortale creatura efficitur Deo inimica, & non per peccatum veniale. Si verò dicatur ſecundum: aut ergò locutus eſt de peccato mortali actuali, aut loquitur de peccato mortali originali. Si dicatur primum, ita quòd Auguſtinus locutus ſit de peccatis actualibus mortalibus & non de peccato mortali originali: contrà, peccatum originale eſt, maximum peccatum & eſt mortale, quia omnis creatura quæ in tali concipitur peccato, eſt in conceptione ſua Deo inimica. Ergò ſi propter honorem Domini Virgo fuit liberata à peccatis mortalibus actualibus, quæ fuerunt in poteſtate voluntatis ejus, ergò ſiquidem multò magis fuit præſervata propter honorem Domini, nè incurreret peccatum originale, quod non erat in poteſtate voluntatis ſuæ: quia non eſt honor Domini, quòd Mater ejus fuerit in conceptione maledicta. Relinquitur ergò ultimum membrum, ſcilicèt quòd Auguſtinus ſit locutus de omnibus peccatis ſimul.

Quarta ratio ſumpta eſt ex eiſdem verbis Auguſtini, ſcilicèt *propter honorem Domini, &c.* Honor Jesu Chriſti eſt, ut omninò ſit immaculatus de omninò immaculata natus, qui honor convenit Chriſto etiam per Adverſarium noſtræ poſitioni, & tamen Chriſtus tali honore non fuit veneratus. Quæro ergò qua de cauſa honor & perfectio iſta Chriſto Redemptori noſtro data non ſit, aut enim fuit peccatum Adæ, aut fuit Virgo quæ ex lumbis primorum parentum habuit originem, aut fuit Deus Pater, qui hunc honorem Filio præſtare noluit, aut Spiritus Sanctus, aut ipſe Chriſtus qui tali honore venerari noluit. Non datur primum membrum, quia

pecca-

peccatum Adæ nullam perfectionem aut honorem Chriſto convenientem removere habuit. Probatur, quia dato oppoſito Chriſtus non fuiſſet perfectus Redemptor, imò aliquâ maculâ fuiſſet deturpatus, ſi honor illi debitus per Adæ peccatum fuiſſet ablatus, quia non poteſt unquam removeri honor debitus ab aliquo, niſi inducatur macula oppoſita in illo. Neque datur ſecundum membrum, quia dicitur in libro Job: *Quis poteſt facere mundum*, ſcilicèt individuum, *de immundo conceptum ſemine.* Non obſtante ergo origine Virginis, quæ fuit ex lumbis Adæ per concubitum viri & mulieris per unionem ſpermatum infectorum in matrice Annæ exiſtentium, Deus adhuc per omnipotentiam ſuam potuit facere, ſicut & fecit tale individuum mundum, mundando corpus organicum phyſicum ex talibus ſeminibus eductum, introducendo animam Virginis in illud gratiâ plenam, neque etiam poteſt dari tertium membrum, quia dixit Pater verbi & Domini noſtri Jesu Chriſti: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* Peccatum ergò Adæ non habuit removere honorem Unigeniti Filii Dei ab eo, alias Chriſtus fuiſſet filius iræ, quòd eſt hæreticum. Neque etiam quartum datur membrum, quia nulla fuit diſcordia inter Spiritum Sanctum & verbum, ex quo potuiſſet auferri honor, qui Chriſto erat conveniens, neque denique quintum dabitur membrum, quia quantò verbum cum majore honore & gloria caro factum eſt, tantò poſteà per humilitatem ſuam perfectior fuit ſecuta victoria.

Quinta ratio eſt: tantæ potentiæ fuit atque ſapientiæ Verbum Divinum in eligendo ſibi Matrem omni corruptione carentem, antequàm fieret caro, quantæ potentiæ & ſapientiæ fuit Pater in eligendo Filium æqualem ſibi, mediante quo natura humana redimi poſſet per paſſionem ejus. Iſta propoſitio patet, quia eadem potentia, ſapientia & voluntas numero eſt in tribus perſonis virtuoſæ & benedictæ Trinitatis, ſed Deus Pater elegit ſibi Filium ſuum amicum, in conceptione omni laude gloriâque digniſſimum: ergò ſimiliter & Filius verbum Patris elegit ſibi ab æterno Matrem, in Conceptione amicam atque ſanctam, omni laude, gloriâ quoque digniſſimam, quæ electio talis non fuiſſet, ſi in peccatis concepta extitiſſet.

Sexta ratio eſt fundata ſuper dictum Beati Auguſtini, in libro Sermonum ſuorum ad Eremitas Sermone 43. de nativitate Domini dicentis: *Sicut in cœlo*, videlicèt Chriſtus, *habuit Patrem immortalem & æternum, ſic & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem.* Ex qua auctoritate formatur

formatur ratio una præſupponendo duo. Primum, duplex eſt corruptio, animi, ſcilicèt, & corporis. Anima autem dicitur corrumpi propter peccatum, quia per illud efficitur Deo inimica. Secundum præſuppoſitum: corruptio animæ major eſt corruptione corporis, quia per animæ corruptionem nullâ factâ corruptione in corpore, homo efficitur Deo inimicus. Per corruptionem autem corporis nullâ factâ corruptione in anima, ſtat amicitia inter Deum & hominem. Hoc patet in virginibus violatis, quæ non præbent aſſenſum voluntatis ſuæ tunc, tunc in illis, non obſtante corruptione corporis, animus illarum manet incorruptus.

Ex iſtis duobus præſuppoſitis formatur ratio talis. Chriſtus in terra habuit Matrem omni corruptione carentem, ergò nullâ corruptione Virgo Mater illa fuit corrupta, neque quantùm ad corpus, neque quantùm ad animam. Probatur conſequentia. Nam dato oppoſito conſequentis, infertur oppoſitum antecedentis formaliter: quia ſi fuit corrupta in anima per peccatum originale, ergò Chriſtus non habuit Matrem ſimpliciter omni corruptione carentem: quod ſi ſic eſt, Virgo Mater in peccato concepta non fuit.

Septima ratio ſumitur ex verbis Auguſtini in eodem Sermone de nativitate Domini dicentis: *Igitur in cœlis qualis eſt Pater talis eſt & Filius, ſic & in terra, qualis eſt Mater, talis ſecundum carnem eſt Filius: in cœlo cum Patre æternus, immenſus, incorruptus & ſublimis: in terra cum Matre immaculatus & manſuetus.* Ex iſtis modò verbis formatur ratio talis. Qualis eſt Chriſtus ſecundum carnem, talis eſt Mater ejus, ſed ſecundum carnem Chriſtus non fuit aliquâ maculâ originalis peccati deturpatus, ergò nec Virgo Mater fuit aliqua macula originalis peccati deturpata. Probatur conſequentia, quia ſi in peccato originali fuiſſet concepta, non eſſet mater talis ſecundum carnem, qualis eſt Chriſtus.

Confirmatur, quia Chriſtus in terra manet cum Matre immaculatus & manſuetus, ergò ſequitur quòd Virgo non fuit aliquâ maculâ originalis peccati deturpata. Probatur conſequentia, quia ille qui eſt & fuit omninò immaculatus, omninò incorruptus & ſublimis, non dicitur propriè permanere & convenire cum ea, quæ fuit maculata & corrupta ſecundum animam per peccatum, atque ſic Dei inimica.

Octava ratio: major fuit potentia atque ſapientia verbi & Unigeniti Filii Dei in redimendo atque præſervando Matrem ejus, quàm fuerit potentia atque deceptio diaboli in deprimendo naturam humanam,

quæ

quæ fuit creata munda, & ſine aliqua macula peccati originalis. Iſta ratio ſic patet: nam per tentationem diaboli natura, quæ fuit munda, erat damnata, ergò multò magis per potentiam atque ſapientiam Verbi Divini, natura humana in Virgine fuit ſublevata atque redempta perfectiſſimo modo redemptionis, præſervando naturam humanam in ea, nè deturparetur peccati originalis maculâ.

Confirmatur. Cauſa, mediante quâ contrahitur peccatum originale, in nobis eſt, quia ſumus ex lumbis Adæ, & quia Dominus imputat nobis peccatum primorum parentum, ſed Verbum Divinum eligens ſibi Matrem ab æterno, non imponit illi hoc peccatum. Probatur, quia non elegit illam in Conceptione inimicam, ſed potiùs amicam & omni pulchritudine plenam. Nam in Canticis Canticorum de ea aptèſic legitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te ulla.*

Quòd Virgo glorioſiſsima omni ſanctitate fuit repleta, atque in Conceptione ſancta, per rationes directè loquentes de Virgine MARIA.

DEſcendendo ad ea quæ ſunt ſpecialia magis, poſtquam determinavimus in ſupradictis articulis per rationes ſumptas ex parte Chriſti Domini, Virginem in peccatò originali non fuiſſe conceptam. In præſenti verò articulo hoc idem intendimus demonſtrare per rationes ſumptas ex parte Virginis MARIÆ. Et antequàm deducam rationem primam, præſuppono duo. Tres ſunt gradus ſanctificationis. Primus in conceptione, quando videlicèt anima intellectiva unitur corpori organico phyſico. Iſto gradu ſanctificationis fuit ſanctificatus Chriſtus Dominus. Secundus gradus ſanctificationis eſt poſt conceptionem, in utero tamen Matris. Iſto gradu ſanctificationis fuit ſanctificatus Joannes Baptiſta Eccleſiâ affirmante juxta Iſaiam Prophetam dicentem: *De ventre matris meæ vocavit me Dominus, &c.* Tertius gradus ſanctificationis eſt extra uterum matris. Et iſto gradu ſanctificationis fuerunt ſanctificati multi, ſicut Apoſtoli & alii Apoſtolici viri, qui tali gradu fuerunt ſanctificati poſt adventum Spiritûs Sancti. Omnes ergò gradus ſanctificationis reducuntur ad iſtos tres, & qui habet primum gradum in gratia confirmatur, & habet ſecundum gradum & tertium, & non èconverſo. Similiter qui habet ſecundum

cundum gradum habet & tertium & non èconverſo. Exemplum primi, Chriſtus habuit primum gradum ſanctificationis, quia in conceptione fuit ſanctus, habuit & ſecundum gradum, quia in utero Virginis MARIÆ poſt conceptionem fuit ſanctus. Habuit quoque tertium gradum, quia etiam extra uterum Matris Virginis ſemper ſanctus permanſit. Exemplum ſecundi, Joannes Baptiſta habuit ſecundum gradum & etiam extra uterum matris fuit ſanctus, & tamen non habuit primum gradum ſanctificationis. Exemplum tertii ut fuerunt Apoſtoli & diſcipuli Domini, qui fuerunt ſanctificati extra uterum exiſtentes & tamen non habuerunt primum neque ſecundum gradum ſanctificationis præſuppoſitum Primi duo gradus ſanctificationis fiunt in utero matris, hoc ſic patet, quia conceptio eſt quando creatur anima intellectiva, & quando illa unitur corpori ſuo organico: talis autem unio fit in utero matris. Similiter ſecundus gradus ſanctificationis eſt & fit in utero matris, Eccleſiâ ſic dicente atque canente: *De ventre matris meæ vocavit, &c.* Iſtis ſic præſuppoſitis formatur ratio talis: glorioſiſſima Virgo MARIA omni ſanctitate in utero matris ſuæ fuit repleta, ut de mundiſſima matre, mundiſſimus naſceretur Filius, ergò & ipſa in Conceptione fuit benedicta, ſancta & non maledicta, amica & non inimica, quemadmodum fuerunt cæteræ mulieres. Antecedens eſt ſumptum ex verbis B. Auguſtini in Ser. de nat. Dom. ſic dicentis: Quemadmodum in antecedente per nos dictum fuit, conſequentia verò probatur, quia ex oppoſito conſequentis infertur formaliter oppoſitum antecedentis, quia ſi in conceptione Virgo fuit maledicta & iræ filia, atque Deo inimica, ergò non fuit omni ſanctitate in utero matris repleta, quia per te Adverſarium non fuit repleta ſanctitate quæ in conceptione dari poteſt. Confirmatur iſta ratio, quia ſecundum Auguſtinum ratio, propter quam MARIA fuit omni ſanctitate in utero matris repleta, eſt, ut de mundiſſima Matre mundiſſimus naſceretur Filius. Modò dato oppoſito videlicèt, quod Virgo non fuiſſet ſanctificata in Conceptione, ipſa ſic non fuiſſet mundiſſima quantùm ad animam immò macula peccati originalis fuiſſet deturpata, & conſequenter Chriſtus non fuiſſet natus mundiſſimus de Matre mundiſſima. Confirmatur ſecundò, quia ratio ſecunda, per quam Auguſtinus voluit, quòd Virgo MARIA ſit omni ſanctitate in utero matris repleta, quia ſicut verbum Dei Filius in cœlo habuit Patrem immortalem & æternum, ſic in terris habuit Matrem omni corruptione carentem. Modò ſi Virgo noſtra in peccato originali fuiſſet concepta, in conceptione ſua fuiſſet

ſet filia iræ, tunc ſimilitudo Auguſtini de patre æterno, reſpectu verbi Filii ſui, & de matre temporali quæ eſt glorioſiſſima Virgo nulla eſſet aut inconveniens, quia Virgo non ſimpliciter caruiſſet omni corruptione: quia per peccatum originale fuiſſet in anima corrupta, & ſic Chriſtus non habuiſſet eam qualitatem, quam potuiſſet habere inter Matrem ſuam & ſe: quemadmodùm habuit æqualitatem in cœlo ſecundum Patrem æternum. Hoc autem expreſsè eſt contra Auguſtinum dicentem: *In cœlo qualis eſt Pater talis eſt & Filius, ſic & in terra, qualis eſt Mater talis ſecundum carnem eſt & Filius.* Ex quibus verbis apparet, quod ſicut verbum Dei Filius in cœlo habuit Patrem omninò illi æqualem, ſic & in terra Chriſtus idem verbum atque Dei Filius ſecundum humanitatem habuit Matrem ſecundum carnem omni corruptione tàm animæ quàm corporis ſimpliciter carentem.

Secunda ratio ſumitur ex plenetudine gratiæ quæ fuit in MARIA, quando illi per Angelum dictum eſt: *Ave gratiâ plena.* Quandocumque datur plenitudo gratiæ à Domino alicui creaturæ puræ, quantùm eſt ex parte Dei qui dat talem plenitudinem gratiæ, Deus illam creaturam non permittit incurrere defectum qui in poteſtate ſua non eſt: ſed ex defectu ſuorum parentum procedentem, ſed ſic eſt quòd glorioſiſſimæ Virgini fuit data plenitudo gratiæ à Domino, ergò quantùm fuit ex parte Dei, qui dedit illi talem plenitudinem gratiæ, Deus non permiſit Virginem glorioſiſſimam incurrere maculam peccati originalis, quæ macula in poteſtate voluntatis Virginis non fuit, ſed ex defectu primorum parentum procedens. Antecedens pro majori probatur, quia qui dat gratiæ plenitudinem non dimittit incurrere illam creaturam in aliquam maculam, quæ non ſit in poteſtate voluntatis ſuæ, aliter non daretur gratiæ plenitudo, quia plenitudo gratiæ nullum præſupponit ſivè ſonat defectum, nam qui totum dat, nihil excludit. Huic difficili argumento quidam dicunt atq; reſpondent quòd plenitudo gratiæ alicui creaturæ dari, poteſt intelligi dupliciter. Aut quia talis plenitudo detur illi creaturæ ſecundum omnem modum poſſibilem, tàm ex parte Dei, quàm etiam ex parte ejus cui datur talis plenitudo: aut quòd plenitudo non detur ſecundum omnem modum poſſibilem illi, ſed ſecundum convenientem, ita quòd iſta plenitudo gratiæ ſit ſecundum ſpeciem, & non ſecundum ambitum totius generis gratiæ. Primo modo Chriſtus ſolus in quantum creatura habuit plenitudinem gratiæ ſecundum omnem modum poſſibilem tàm ex parte Dei quàm etiam ex parte humanitatis Chriſti, quæ divinitati

fuit conjuncta. Secundo modo Sancti habuerunt gratiam, & in hoc diversificati sunt à MARIA Virgine, quia ipsa Mater Dei inter omnes Sanctos & Sanctas habuit perfectissimum gratiæ gradum. Et ideò ad formam argumenti distinguitur major, quia si illa intelligitur de primo modo plenitudinis gratiæ: conceditur major, sed negatur minor. Si verò intelligitur major de secundo modo plenitudinis gratiæ, negatur major & conceditur minor. Hæc responsio non est ad propositum, quoniam hoc in loco loquitur de gratia quæ datur aut dari potest alicui creaturæ, quæ ex sui natura prona est incurrere defectum, qui non est in potestate ejus, sed ex defectu suorum parentum procedens. Et secundum hoc quærebamus. Utrùm MARIÆ, quantùm ad redemptionem passivam, fuerit data plenitudo gratiæ vel non. Vel utrùm fuit redempta perfectimo redemptionis modo, & an habuerit gratiam quâ fuerit præservata, &c. Et si sic tunc, habetur intentum: sin autem non fuit præservata, igitur quantum ad redemptionem passivam non habuit plenitudinem totius gratiæ: immò sic fuit in ea gratia per partes. Hoc autem est contra Beatum Hieronymum dicentem: *Cæteris Sanctis per partes datur gratia,* MARIÆ *verò se infundit totius gratiæ plenitudo.* Et ibi loquitur ipse de gratia quæ datur creaturæ ex indigentia: similiter & prædicta responsio est contra Augustinum dicentem: *Quod* MARIA *fuit omnibus gratiis fœcundata, ac omni sanctitate in utero matris repleta.* Et ideò quando ista responsio comparat gratiam Christi, ad gratiam quæ datur Virgini & aliis Sanctis: non est ad propositum quoniam comparat gratiam quæ datur in statu innocentiæ, & in statu originalis justitiæ, ad gratiam quâ indiget creatura humana post lapsum primorum parentum.

Ampliùs. Quemadmodum Christus in statu originalis justitiæ fuit perfectissimus: sic Virgo in statu gratiæ fuit perfectissima, & in quantum creatura pura habuit omnem gradum gratiæ possibilem in tantum quòd Beatus Hieronymus affirmet, *quod totius gratiæ, quæ in Christo est, in* MARIA *venit plenitudo.* Ac etiam ut Augustinus dicat, *quod fuerit omnibus gratiis fœcundata.*

Tertia ratio sumitur ex illis verbis Gabrielis: *Dominus tecum.* Si Virgo nostra fuit in peccato originali concepta, igitur in conceptione fuit sub potestate diaboli constituta. Probatur consequentia, quia si fuit in peccato originali concepta: igitur fuit filia iræ, & si filia iræ: igitur à Deo derelicta ac fuit Deo inimica, & consequenter sub potestate diaboli constituta. Hoc autem judicio nostro est ita absurdum dicere quòd nulli

verò

vero catholico hoc consonare debet aut valet. Præsertim cum Mahometh qui fuit Paganus in Alchorano suo dicat: *Non est in filiis hominum quem non tetigerit Sathan, excepto Christo cum Sancta* Maria. Et ideò si Maria fuit plena gratiâ Dominus semper fuit secum & nunquam deseruit illam, quæ ab æterno Mater Jesu Christi ordinata est, antequàm quicquam fieret à principio.

Quarta ratio sumitur ex illis verbis: *Benedicta tu inter mulieres*, & arguitur sic: Maria fuit benedicta inter omnes mulieres & supra omnes, ergò in Conceptione fuit benedicta & sancta, & non maledicta. Antecedens patet & consequentia probatur: quia ex oppositò consequentis, infertur formaliter oppositum antecedentis. Et si dicatur, quòd benedictio Mariæ fuit, ut ipsa sola inter omnes mulieres esset digna Mater Dei & hominis, & non quod in Conceptione fuerit sancta ac benedicta: hoc non videtur valere: quoniam si benedictio Mariæ fuit sufficiens ad faciendam eam dignam Matrem Dei, ut in ea verbum increatum fieret caro, multò magis fuit sufficiens ad faciendam ipsam in Conceptione sanctam: quoniam hoc antecedit ad illud, ut ipsa posteà modo convenientissimo posset dici Mater Salvatoris benedicta. Et ideò de ea cantat Ecclesia: *Quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Et ideò Beatus Hieronymus ad Paulam & Eustochium dicit: *Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio* Mariæ. Quod profectò non esset si Virgo in Conceptione fuisset maledicta, & in peccato originali concepta.

Quinta ratio sumitur ex verbis Hieronymi ad Paulam & Eustochium dicentis: *Et si Sanctis Patribus & Prophetis gratia data fuisse creditur, non tamen eatenùs plena: in* Maria *verò totius gratiæ, quæ in Christo est, venit plenitudo*: undè formatur talis ratio. Quandocumque totius plenitudo gratiæ, quæ in Christo est, alicui creaturæ datur: illa creatura in conceptione est sancta & non maledicta. Ista ratio patet, quia oppositum prædicati infert oppositum subjecti: sed Mariæ totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo est, data est secundum Hieronymum, ergò Maria in Conceptione fuit sancta & non maledicta. Et si dicatur, quòd Hieronymus loquitur de gratia quam invenit Maria apud Dominum, ut esset Mater Dei, quando illi dictum est per Angelum: *Invenisti gratiam apud Deum*; ista responsio est directè contra Hieronymum, quia Hieron. dicit super istis verbis: *Ave gratiâ plena, & verè dicitur plena, quia cæteris Sanctis per partes datur gratia:* Mariæ *verò se infundit totius gratiæ plenitudo.* Et ideò patet error

illorum qui crediderunt quòd MARIA per ſalutationem Angeli efficeretur plena gratiâ. Hoc ſalvâ pace eorum non eſt verum, quia Angelus invenit eam jam g-atiâ plenam. De qua plenitudine gratiæ loquuntur Hieronymus & cæteri Sancti Doctores.

Sexta ratio ſumitur ex verbis ipſius Job, qui ſecundum Beatum Gregorium 2. moralium, intuens incarnationem Domini dixit: *Quis poteſt facere mundum*, ſcilicèt individuum, *de immundo conceptum ſemine: nonnè tu qui ſolus es*, ſcilicèt Omnipotens. Job ergò intuens Incarnationem Domini quærit quòd ſi eſſent unita duo ſpermata infecta in matrice mulieris, quia illa appellatur conceptio prima ſecundum ſemina, utrùm videlicèt Deus non obſtante immunditiâ ſeminum, poſſit poſteà quando corpus erit organizatum, ut ſit aptum ad ſuſcipiendum animam intellectivam, quando fiet conceptio ſecundum quam anima unitur ſuo corpori, in tali conceptione valeat educere illud individuum mundum & non infectum, & reſpondet Job dicens: *Nonnè tu qui ſolus es*, ſcilicèt Omnipotens, & certum eſt quod ſic. Et ideò quæro de quo individuo locutus eſt, aut enim de Chriſto, aut de Virgine MARIA, aut de aliquo altero individuo. Non ultimum membrum, quia Job intuens Incarnationem Domini, non ſolùm intuebatur quòd verbum increatum debebat fieri caro, ſed etiam in quo individuo. Neque eſt dandum primum membrum, quia Chriſtus non fuit individuum eductum de immundo ſemine. Relinquitur ergò ſecundum membrum quod eſt veriſſimum, quod Beatus Job intuens Incarnationem Domini, quæ debebat fieri in Virgine MARIA, quærebat ſi non obſtante immunditiâ ſeminum parentum Deus poterat educere Virginem MARIAM mundam, ac ſine peccato originali conceptam, & affirmat quòd ſolus Deus qui eſt Omnipotens, poteſt hoc facere ut patet intelligenti.

Septima ratio: quantò aliqua creatura poſt Adæ delictum, fuit ad majorem gradum dignitatis & gratiæ ſublimata, tantò fuit perfectiùs redempta, hoc de ſe patet: ſed glorioſiſſima Virgo in quantum creatura pura, fuit ad maximum gradum dignitatis & gratiæ ſublimata, quia fuit & eſt Mater Dei & hominis & exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Igitur perfectiſſimo modo redemptionis redempta eſt. Perfectiſſimus autem modus redemptionis eſt ſextus à nobis & ab aliis præclariſſimis Doctoribus aſſignatus.

Octava ratio eſt: conceptio glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, præceſſit in mente divina cujuſcumque alterius creaturæ puræ conceptionem,

ut

ut patet per illud Sapientis dictum: *Dominus poſſedit me, &c.* quod fuit à nobis expoſitum in exordio quęſtionis hujus. Igitur per peccatum primorum parentum Conceptio Virginis maculari non potuit. Probatur conſequentia per Auguſtinum decimoquarto de Civitate Dei capitulo ſecundo dicentem: *Homo enim peccato ſuo divinum non potuit perturbare conſilium, quaſi quod Deus ſtatuerat illum mutare compulerit.* Sapientis dictum ac probationem nolumus hîc replicare, quia ſufficienter fuerunt deducta in exordio noſtro. Ex quibus ſapientiæ verbis poteſt deduci, quòd ſivè Adam peccaſſet ſivè non, Maria Virgo Jesu Chriſti Mater fuiſſet, & in ea Verbum caro factum eſſet. De qua materia ſi tempus nobis dabitur ad plenum loquemur & eam approbabimus.

Nona ratio: nulla puritas ſub cœlo major poteſt intelligi, quàm puritas & munditia glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, igitur Virgo in peccato originali non fuit concepta. Conſequentia patet, quia oppoſitum conſequentis infert formaliter oppoſitum antecedentis, quia dato oppoſito conſequentis, poſſet intelligi puritas quæ eſt in ſtatu innocentiæ. Antecedens autem patet per Anſelmum in libro Cur Deus homo, dicentem: *Decet Virginem eâ puritate nitere, quâ ſub cœlo nulla major valet intelligi.*

Decima ratio eſt: non ſuſtinet nomen Matris & Filii, quòd Mater ſit primò inimica, deindè amica, quia *qui maledixerit Patri aut Matri morte morietur*: ſed Virgo Maria fuit ab æterno electa Mater à Verbo Divino, ergò non fuit electa inimica, immò amica. Undè & dicitur in Canticis Canticorum: *Surge amica mea & nulla macula eſt in te*; quòd utique non eſſet, ſi in peccato concepta fuiſſet.

Undecima ratio: Virgo Maria fuit *electa ut ſol, & pulchra ut luna*, ergò in ipſa non fuit aliqua macula. Probatur conſequentia, quia oppoſitum conſequentis infert formaliter oppoſitum antecedentis. Antecedens autem probatur per Eccleſiam Sanctam Matrem noſtram dicentem: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Et in Pſalmo legitur: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: in ſole*, id eſt in Beata Virgine, *poſuit, &c. Et ipſe*, ſcilicèt Chriſtus, *tamquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.*

Duodecima ratio: Virgo Maria fuit exaltata ſuper choros Angelorum Eccleſiâ dicente: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix, ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna*, ergò non fuit in peccato originali concepta. Probatur conſequentia, quia ſtatus peccati quantumcumque mundatus:

tus: non habet exaltari ſuper ſtatum innocentiæ. Et ſi dicatur, quòd Virgo fuit exaltata ſuper choros Angelorum ideò, quia fuit Mater JESU Chriſti.

Contrà hæc dignitas MARIÆ, quòd fuerit Mater Dei & hominis non habet pervertere ordinem regni cœleſtis, immò potiùs augere. Igitur ſi fuit exaltata: exaltata propriè erat ſecundum ſtatum innocentiæ, & non ſecundum ſtatum peccati mundatum.

Decimatertia ratio: illud individuum, quod eſt omni laude dignum nullâ ignominiâ eſt afficiendum, iſta ratio patet: ſed glorioſiſſima Virgo MARIA eſt omni laude digniſſima, ergò nullâ ignominiâ eſt afficienda. Minor probatur per Eccleſiam dicentem: *Fœlix es namque Sacra Virgo* MARIA *& omni laude digniſſima, &c.*

Decimaquarta ratio: Eccleſia ſacroſancta agit feſtum Conceptionis & non Sanctificationis neque in utero neque extra, ergò Virgo non fuit in peccato originali concepta. Antecedens probatur, dicitur enim in Officio Conceptionis. *Sicut nativitas mediante divinâ revelatione fuit reperta, ita & Conceptio venerandæ Dei Genitricis, perpetuæ Virginis* MARIÆ, *per multa ſignorum experimenta in Anglia & in Francia, cæteriſque orbis climatibus celebranda olim eſt declarata, &c.* Ubi narratur hiſtoria de celebranda Virginis Conceptione. Quod ſi Adverſarii talem negant hiſtoriam & dicant eam eſſe falſam, dicant & ipſi nobis, cur Eccleſia permittit talia falſa affirmari, &c. Et per conſequens qui damnant talem hiſtoriam, damnant etiam Eccleſiam.

Ultima ratio & validiſſima, in qua oſtenditur quòd Virgo MARIA non fuit in peccato concepta, quia poſt peccatum primorum parentum dictum eſt à Domino Adæ: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo.* Et Evæ: *In dolore paries filios tuos, &c.* à qua pœna nulla fœmina fuit liberata niſi Virgo MARIA, quod ſignum evidentiſſimum eſt, quòd ipſa non fuit in peccato concepta: & ſic facio finem hujus articuli, prætermittendo multa quæ ſunt ſatis levia, quæ à cæteris adducuntur Doctoribus ad laudem Virginis MARIÆ.

Modus per quem Virgo Beata peccato originali fuit liberata.

POſtquam rationibus veriſſimis à nobis demonſtratum eſt glorioſiſſimam Virginem à macula peccati originalis non fuiſſe deturpatam, immò in Conceptione fuiſſe ſanctam, in præſenti articulo declarare intendimus modum, quo Virgo glorioſiſſima fuit præſervata atque ſanctificata. Dicamus ergò, quòd poſtquàm fuit formatum corpus virgineum phyſicum in ventre Matris glorioſiſſimæ Virginis, virtute Spiritûs Sancti illud ſacratiſſimum corpus ante infuſionem animæ intellectivæ fuit mundatum atque purificatum ut eſſet vas aptiſſimum ad recipiendam animam illam ſanctiſſimam. Fuit & poſteà creata anima intellectiva glorioſiſſimæ Virginis plena Dei gratiâ atque ſanctitate, unitaque corpori ſuo glorioſiſſima Virgo ſancta & immaculatè concepta erat, Eccleſiâ dicente: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Et ideò in Canticis canitur: *Surge amica mea columba mea.* Et Auguſtinus Fidei noſtræ lumen in Sermone de Nativitate Domini, ſic inquit: MARIA *Mater Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fœcundata, omnibus virtutibus ornata, omni ſanctitate in utero matris repleta.* Quod utique verbum admirabile eſt & glorioſum, quia ſi fuit omni ſanctitate in utero matris repleta, igitur in Conceptione fuit ſancta, & ideò Virgo glorioſiſſima fuit *benedicta inter omnes mulieres* nemine exceptâ: *Et quicquid maledictionis fuit in Eva*, ſecundum Hieronymum: *Totum abſtulit benedictio* MARIÆ. *Nam gratia per partes cæteris Sanctis data eſt,* MARIÆ *verò ſe infudit totius gratiæ plenitudo. Et quamvis cæteris Sanctis gratia data fuiſſe creditur, tamen non eatenùs plena: in* MARIA *verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, venit plenitudo.* Et iterùm ſecundum eundem: *Quod natura non habuit, uſus neſcivit, ignoravit ratio: mens humana non capit, pavet cœlum, ſtupet terra de tanta plenitudine gratiæ* MARIÆ *à Domino collata.* Et ideò ſecundum Anſelmum: *Decuit Virginem tantâ puritate nitere quâ ſub cœlo nulla major nequit intelligi.* Et ideò *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu verò* MARIA *ſupergreſſa es univerſas, tu quæ ſola exaltata es ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.* Et ideò ô glorioſiſſima Virgo benedixiſti cantando: *Magnificat anima mea Dominum*; quia non eſt

anima alicujus creaturæ puræ, à principio mundi uſque ad finem ejus, quæ magis teneatur magnificare Dominum & Creatorem noſtrum quàm anima tua benedicta, & indè *exultavit ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo.* Et ratio quoque hujus fuit, quia Dominus qui potens eſt & omnipotens, fecit tibi magna admiranda, quia in eo fuit potentia, in eo fuit ſapientia, in eo fuit amor erga te. Tu ſola fuiſti quæ Domino placuiſti in matris tuæ utero, ac in tuo utero benedicto *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis.*

Cur Virgo MARIA non fuit liberata à pœnis peccati originalis, ſi fuit liberata à tali peccato.

ORdo doctrinæ poſtulat videre, Virgo MARIA non cur fuit præſervata, nè incurreret pœnas peccati originalis, ſi fuit præſervata à peccato originali. Quidam dixerunt Virginem à morte temporali, quæ eſt pœna peccati originalis, non fuiſſe præſervatam, ad majorem cumulum meritorum Virginis, quia ut dicit Auguſtinus 13. de Civitate Dei cap. ultimo: *Quid enim precioſius quàm mors, per quam fit ut etiam omnia dilicta deleantur & merita cumulatiùs augeantur.* Eccleſiâ dicente: *Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Virgo ergò ob hanc cauſam mortua eſt. Hæc opinio nobis placere non poteſt.

Primò ideò, quia auctoritas Auguſtini eſt de directo in contrarium, quia mors non eſt Virgini ad delenda ejus delicta, cùm non habuerit unquam ulla.

Secundò ideò, quia demerita augentur ex bonis operibus, & demerita ex malis.

Ampliùs. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Quartò, quia Virgo fuit aucta meritis ob ejus humilitatem, ipsâ dicente: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim, &c.* Nos verò formaliter huic quæſtioni reſpondentes ex dictis Auguſtini, qui 13. de Civitate Dei cap. 4. quærit, qua de cauſa omnes nos non fuimus liberati à morte temporali, ſi per paſſionem Domini fuimus liberati à criminis nexu & ab ipſo originali peccato. Cui dubitationi reſpondit Auguſtinus dicens: *Ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis à corpore quamvis ablato criminis nexu, quoniam ſi regenerationis Sacramentum non haberet, continuè ſequeretur immortalitas, & ſic ipſa Fides evacuaretur.* Vult ergò

gò Auguſtinus, quòd cùm ipſa Fides ſit conſtituta ex 12. articulis, inter quos unus articulus eſt regenerationis atque reſurrectionis Sacramentum, ſi homines non morerentur, Fides evacuaretur & deſtrueretur ſecundum ultimum articulum. His viſis patere poteſt, quare Virgo noſtra non fuit à morte temporali liberata, quamvis fuerit à peccato originali liberata ac præſervata. Non habemus pro inconvenienti addere tertiam reſponſionem magis ſpecialiter de glorioſiſſima Virgine loquente, quamvis ea reſponſio generalis, quæ data fuit ſecundum Auguſtinum, ſit optima. Dicamus ergò Virginem glorioſiſſimam non fuiſſe liberatam à morte temporali, quamvis fuerit liberata & præſervata à peccato. Et hoc eſt magna differentia inter ipſam Virginem, & inter alios qui incurrerunt originale peccatum, quia Deus glorioſiùs voluit exercere in Virgine miſericordiam, & ipſam juſtitiam. Nam miſericordia non expellit juſtitiam, neque èconverſo. Nam dicit præſuppoſita *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Exercuit ergò Dominus in Virgine miſericordiam tantùm, quantùm Virgo fuit capax ad illam recipiendam. Nam ipſa ex Dei miſericordia fuit præſervata, nè incurreret peccatum originale, immò anima ejus glorioſiſſima fuit creata plena gratiâ, quæ æquivalet, quantùm ad acceptionem, originali juſtitiæ. Exercuit quoque Dominus in Virgine juſtitiam, quia licèt non dimiſerit eam incurrere peccatum originale, tamen quia ipſa Virgo fuit de deſcendentibus ab Adam, ex communi coëuntium ſemine noluit liberare eam à pœnis peccati originalis & à morte temporali, ut etiam ſic Virgo non eſſet majori privilegio ornata Chriſto Redemptore noſtro, qui nullo modo peccavit, & tamen pro ſalute humani generis ad mortem ductus & oblatus eſt & hoc, quia voluit, paſſuſque eſt pro peccatis noſtris: nam *verè ipſe languores noſtros tulit.* Hanc itaque reſponſionem putamus veriſſimam & optimè digeſtam, ſi quis tamen meliorem habet, in medium illam proferat & adducat.

In quibus differt conceptio Chriſti à Conceptione Virginis MARIÆ.

SI volumus rectè conſiderare ea, quæ in ſuperioribus articulis à nobis determinata fuêre, intelligimus nos non tamen Virginem glo-

rioſiſſimam MARIAM excoluiſſe, ut eam æqualem Chriſto Redemptori noſtro in conceptione eſſe velimus. Et ut hæc intentio noſtra meliùs explicetur, decrevimus in præſenti articulo declarare differentiam inter conceptionem Chriſti Domini, atque inter Conceptionem Virginis exiſtentem. Et ut hoc meliùs intelligatur quod determinare decrevimus eſt primo intelligendum quot videlicet fuêre gradus conceptionis, ut ex iſtis appareat intentum.

Primus enim gradus conceptionis fuit eorum, qui à Creatore noſtro fuerunt creati, atque in originali juſtitia concepti. Iſti fuerunt primi parentes noſtri, qui in originali juſtitia concepti, per tranſgreſſionem legis à Domino illis datæ amiſerunt originalem juſtitiam.

Secundus gradus fuit illius, qui in originali juſtitia conceptus eſt per aſſumptionem humanitatis in Deum. Iſte fuit gradus conceptionis Chriſti, *quando verbum caro factum eſt*, qui Chriſtus fuit perfectus Deus, atque perfectus homo atque Redemptor noſter.

Tertius gradus conceptionis fuit illius creaturæ, quæ non in originali juſtitia concepta eſt, propter peccatum primorum parentum, ſed fuit concepta in gratia, & gratia quantùm ad acceptionem æquivalet originali juſtitiæ. Iſto gradu conceptionis fuit concepta ſola glorioſiſſima Virgo poſt lapſum Adæ, quia ſola illa meruit redimi perfectiſſimo redemptionis modo.

Quartus gradus conceptionis fuit eorum qui in peccato originali concepti ſunt. Iſti ſunt & fuerunt omnes illi, qui fuerunt poſt Adæ delictum concepti. Ab iſto tamen peccato, quidam fuerunt liberati in ventre matris, ut fuerunt Joannes Baptiſta & Hieremias. Alii verò extra uterum, utque intelligenti terminos: ex quibus patet differentia inter Conceptionem Virginis & inter conceptionem Chriſti Domini. Primò ſic: nam Chriſtus fuit conceptus in originali juſtitia, per aſſumptionem humanitatis in Deum, rectus ſecundum voluntatem & ſecundum omnes ſenſus. Neque inter rationem & ſenſuum naturam fuit aliqua rebellio. Virgo in gratia fuit concepta & non in originali juſtitia, & hoc per perfectum redemptionis modum. Secundò, Chriſtus in conceptione non indiguit redemptione paſſivâ, neque habuit naturam pronam ad recipiendam maculam peccati originalis. Virgo autem in Conceptione indiguit gratiâ Dei, nè laberetur & incurreret maculam peccati originalis: nam ejus natura erat prona & habilis ad recipiendam talem maculam. Item, Chriſtus fuit conceptus de Spiritu Sancto in utero Virginis. MARIA autem

autem non fuit concepta de Spiritu Sancto, ſed ex communi coëuntium ſemine. Item, anima Chriſti in primo inſtanti conceptionis ejus fuit unita Verbo Divino: B. verò anima Virginis, quamvis fuerit ſancta, tamen in primo inſtanti ſuæ Conceptionis non fuit beata, ergò eſt magna differentia inter conceptionem Chriſti, & inter Conceptionem Virginis MARIÆ ut patet intelligenti.

Reſponſiones argumentorum primi articuli partis affirmativæ.

NIhil aliud nobis denique reſtat niſi ſolvere argumenta ante oppoſitum quæſtionis adducta. Et primò ad argumenta primi articuli partis affirmativæ quæſtionis præſentis. Ad primum argumentum duplici modo reſpondere poſſumus. Primus modus eſt tenere, quòd Virgo non peccavit in radice, nec contraxit peccatum originale. Et ut intelligatur quid ſit peccare in Adam tamquam in radice: dico quòd nihil aliud eſt, quàm imputatio à Domino facta deſcendentibus ex lumbis Adæ, ex qua imputatione, nullâ præveniente Dei gratiâ, homines in conceptione contrahunt originale peccatum. Secundum ergò iſtum primum modum dico, quòd Deus ex ſua infinita miſericordia non imputavit peccatum primorum parentum Matri ſuæ glorioſiſſimæ, neque permiſit eam incurrere tale peccatum. Ad argumentum nego antecedens illius conſequentiæ, & ad auctoritatem Pauli dico, quòd Paulus in illa auctoritate locutus eſt de communi lege: modò per gratiam poteſt aliqua creatura, ex libera voluntate Dei excipi à tali lege. Undè & lex non tollit gratiam, neque gratia in uno corrumpit legem in aliis. Et ideò ſtat quod de lege communi omnes in Adam debebant peccare, & tamen aliqua creatura ex ſingulari privilegio fuerit excepta.

Ad deductionem primi inconvenientis, dico ad auctoritatem Evangelii concedendo eam eſſe veram, ſed dico quòd hi, qui ſunt in potentia proxima ad incurrendum ægritudinem, poſſunt dici ægri, & non minùs eſt opùs medico in illis, quàm in his qui jam ceciderunt in ægritudinibus, quia ſi bonus medicus cognoſceret cauſas propinquas ægritudinis alicujus & antequàm incurreret, illi daret opem, hoc maximè laudandum eſſet. Cùm ergò Deus ſit optimus medicus animarum noſtra-

rum, ſic voluit mederi Virgini MARIÆ, ita ut non ſolùm noluerit eam incurrere ægritudinem peccati originalis, verùm etiam noluit eam incurrere diſpoſitionem præcedentem tale peccatum. Diſpoſitio autem præcedens talem ægritudinem erat imputatio peccati originalis & primorum parentum, & ideò nego conſequentiam, Virgo non peccavit in in Adam, neque contraxit peccatum, ergò non indiguit redemptione. Antecedens autem illud eſſet ſufficiens ad inferendum conſequens, ſi hoc fuiſſet ex natura Virginis, ſed hoc non fuit, ſed ex ſumma miſericordia Dei, & ideò redemptio ſua fuit nobiliſſima. Ad confirmationem nego antecedens, ſed benè dico quòd indigentia præſupponit naturam, quæ ſi non præveniretur Dei gratiâ incurreret defectum. Ad ſecundam confirmationem dico, quòd ſi Adæ peccatum non regnaſſet in omnes, neque natura, quæ non incurrit illud, fuiſſet prona ad recipiendum illud, eò quòd Chriſti juſtitia non regnaſſet in omnes juſtificationes. Modò in Virgine fuit excellentiſſima Dei miſericordia & juſtificatio, quia id quod debebat incurrere defectum ex peccato, Dominus noluit illam incurrere, & iſte fuit perfectiſſimus modus redemptionis.

Ad deductionem ſecundi inconvenientis dico, quòd ſi fuiſſet aliqua creatura pura, quæ ex ſui natura non peccaſſet in Adam, quòd ab illa non fuiſſet remota originalis juſtitia, modò Virgo noſtra quamvis non peccavit in Adam, neque contraxit peccatum, hoc tamen non fuit ex ejus natura, ſed ex Dei gratia atque miſericordia. Ad confirmationem dico, quòd qui nullo modo peccat neque contrahit peccatum originale ex ſui natura, ab illo non removetur originalis juſtitia, quæ ab aliis per peccatum removetur, ſed non eſt ſic in Virgine ut viſum fuit. Si verò ſecundum alium modum vellemus reſpondere, poſſumus dicere, quod Virgo peccavit in Adam, juxta illud Pauli: *Omnes in Adam peccaverunt*, & ſic tantùm concedo antecedens primæ conſequentiæ, & nego ipſam conſequentiam.

Ad deductionem primi inconvenientis, niſi conſequentia valeret, dico, quòd mors data eſt Virgini ex ſumma Dei juſtitia, quia quamvis liberavit eam à peccato, noluit tamen eam liberare à pœnis peccati, ut plenè viſum fuit in 15. articulo quæſtionis, ſcilicèt quare Virgo non fuit liberata à pœnis peccati. Ad argumentum dico, quod illi fuit data mors ex imputatione peccati, & quando dicitur quòd peccatum in radice non contractum non poſſit aliquem defectum dico, quòd quamvis non ponat,

nat, tamen facit quòd si natura ex se dimissa esset, maneret defectus, & maximè defectus primorum parentum.

Ad secundum inconveniens, nego quidem ipsum, sed concedo, quòd ultimus finis hominis est frui Deo, & videre ipsum facie ad faciem sicuti est, & ad probationem concedo quòd post Adæ peccatum omnes indiguimus gloriâ Dei: & nego, quòd omnes erant apti ad damnationem, immò dico, quòd aptitudo ad fœlicitatem inest ita homini, quòd stante ejus naturâ, super hoc habet talem aptitudinem: est tamen verum quòd talis aptitudo non poterat educi de potentia ad actum nisi mediante gratiâ Domini nostri JESU Christi. Et cùm dicitur, Virgo indiguit gloriâ Dei & ejus gratiâ concedo. Et cùm quæritur ex qua causa, dico ex peccato primorum parentum, quia si non fuisset præventa per Dei gratiam, incurrisset peccatum originale.

Ad tertium inconveniens nego illud, & dico quod fuit explicata causa, quare Virgo mortua fuit, in quinto videlicèt articulo, ut plenè ibidem visum est.

Ad quartum inconveniens dico negando illud & concedo quod de possibili ratione concludit, quia sicut unum individuum fuit præservatum, sic omnia præservari potuerunt, sed dico quod suppositâ lege communi non præveniente gratiâ speciali, concluditur quod omnes per concubitum viri & mulieris ab Adam descendentes, habueruntque originem ab eo, in peccato fuisse conceptos, sed dico, quod præveniente gratiâ, illa ratio non concludit necessariò. Et sic quoque sunt intelligendæ rationes Augustini contra hæreticos, qui nolebant aliquem parvulum contrahere peccatum originale. Et cùm dicitur, si esset aliqua ratio necessaria, sua opposita esset impossibilis, dico, quòd stante lege communi, non præveniente gratiâ, illa ratio est necessaria ex suppositione legis, præveniente autem gratiâ, illa ratio non concludit. Et ut meliùs intelligatur tunc absolutè non est ita necessaria, quod qui descendunt ex lumbis Adam, de necessitate contrahant peccatum, quia si dicis de potentia absoluta, tunc Deus si vellet, posset omnes præservare, sed hoc accipitur necessarium pro convenienti, quia secundum legem communem omnes contrahunt hoc peccatum, tamen per gratiam aliqua creatura excipitur.

Ad quintum inconveniens dico, quòd si Virgo fuisset mortua ante passionem Domini, quòd ipsa anima non iviſſet ad lymbum: immò stetisset associata cum Angelis & Sanctis, & expectasset resurrectionem Filii

sui

ſui quod ordo univerſi ſic requirebat, quòd nemo ante Chriſtum fuiſſet beatus & ad paradiſum iviſſet. Neq; iſta expectatio fuiſſet ei moleſta, neq; ei fuiſſet impedimentum, quia ordo regni cœleſtis ſic requirebat, quòd Chriſtus primus eſſet in paradiſo, deindè cæteri in ſuo ordine. Et Virgo non habuiſſet deſiderium inordinatum contra ordinem regni cœleſtis. Et rationem dico, quod Virgo fuit producta propter finem ultimum, cùm tamen ordine tali, nè præcederet Chriſtum Redemptorem noſtrum ut patet intelligenti.

Sextum dico quòd non habeo pro inconvenienti, id quod dicitur eſſe inconveniens, quia ſecundum Job: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonnè tu qui ſolus es.* Nam ſecundum Auguſtinum: MARIA *fuit omni ſanctitate in utero matris repleta.* Et ideò dico, quòd Auguſtinus in libro de Fide ad Petrum loquitur de lege communi nullâ interveniente ſpeciali gratiâ, modò in Virgine ſpecialiter gratia interventa eſt, quia ſecundum eundem Auguſtinum in Sermone de nativitate Domini: MARIA *fuit omnibus gratiis fœcundata*: & ideò in peccato non fuit concepta.

Reſponſiones argumentorum ſecundi articuli partis affirmativæ.

AD argumenta ſecundi articuli. Ad primum concedo conſequens & conſequentiam. Et cùm dicitur, accipio animam Virginis in illo priori, tunc in tali anima eſt carentia originalis juſtitiæ debitæ, negatur quòd in illo priori competat illi, neque gratia neque carentia originalis juſtitiæ quemadmodum homo prioritate naturæ præcedit riſibilitatem, & tamen non dicimus hominem in tali priori habere carentiam riſibilitatis, undè anima in illo priori quidditativè eſt tantùm anima neque eſt in gratia neque privata gratiâ, quia hæc quidditativè illi non conveniunt. Undè iſto modo ſi ratio illa concluderet, poſſet demonſtrari Chriſtum in peccato originali fuiſſe conceptum, quia anima Chriſti prioritate naturæ præcedit originalem juſtitiam, tunc in illo priori, cùm non habeat originalem juſtitiam, eſſet in peccato originali conceptus, immò poſſet probari per iſtam tuam rationem, quòd omnia priora priùs habuiſſent carentiam & privationem ſuorum poſteriorum quàm eſſent ipſa poſteriora: hæc autem ſunt abſurda ergò, &c.

Ad

Ad ſecundum argumentum dico, quòd Virgo indiguit gloriâ Dei, quando erat in ſuis cauſis proximè eam producentibus ut præveniretur à gratia Domini. Et dato quòd inſtans indigentiæ ſit diſtinctum ab inſtanti gratiæ, loquendo de inſtanti naturæ, in inſtanti indigentiæ non habuiſſet peccatum, quia iſta indigentia eſt illa, quæ præcedit defectum & non illa, quæ ſequitur defectum, quemadmodum cæcus qui graditur per viam in qua eſt fovea antequàm cadat auxiliatur per videntem, & tamen indiguit tali auxilio, & utique non dicimus quòd ipſe in foveam ceciderit.

Ad tertium argumentum dico negando minorem, ſcilicèt quod Deus tali honore non vult venerari, & ad auctoritatem Hieronymi dico quod ipſemet explicat de quibus mulieribus loquatur: Illæ autem mulieres fuerunt Raab meretrix, Berſabeæ uxor Uriæ mater Salomonis, & Ruth Moabitis. Iſtæ ſunt quæ aſſumuntur in Genealogia Chriſti Domini, & fuerunt peccatrices, tamen Virgo de qua immediatè Chriſtus aſſumptus eſt, in peccato concepta non eſt ut ſatis patet.

Ad quartum nego minorem, quia Virgo magis debetur Chriſto, eo quòd Chriſtus non dimiſerit eam incurrere peccatum, quàm quòd dimiſit eam incurriſſe, & poſteà eam mundaſſet, quia ſtatus innocentiæ, melior eſt quocumque ſtatu peccati quantumcumque ſit mundatus.

Ad quintum nego conſequentiam, quia ſecundum Beatum Job Deus poteſt educere individuum mundum de immundo conceptum ſemine. Et ad auctoritatem Evangelii, dico, quod mala arbor nullo alio interveniente malos fructus facit, ſed interveniente gratia Domini, mala arbor bonos fructus facere poteſt, quia Deus naturarum Auctor. Et ad Auguſtinum dico quod ipſe locutus eſt de lege communi nullâ interveniente gratiâ, ſed ſecundum eundem Auguſtinum in Sermone de nativitate Domini: MARIA *fuit omnibus gratiis fœcundata & omni ſanctitate in utero repleta ut de mundiſſima Matre mundiſſimus naſceretur Filius.*

Ad ſextum argumentum nego minorem, quia alio modo poſt Baptiſmum haberemus peccatum originale, quòd in nobis eſt ſenſuum rebellio, hoc autem eſt inconveniens, ergò illud ex quo ſequitur.

Reſpoſiones argumentorum tertii articuli partis affirmativæ.

AD argumenta tertii articuli. Ad primum dico ad minorem, quòd ſolus Chriſtus ex ſui natura fuit conceptus in originali juſtitia ſine peccato, & hoc ſolùm ei convenit, ſed ex hoc non tollitur quin Virgo per Dei gratiam fuit præſervata à peccato. Et ad auctoritates Auguſtini dicitur, quòd ſolus Chriſtus ex ſui natura fuit ſine peccato & in originali juſtitia conceptus.

Ad ſecundum dico ad auctoritates, quod ſolus Chriſtus poſt Adæ delictum in originali juſtitia ex ſui natura ſine peccato conceptus eſt, de mulieribus nulla inventa eſt, quæ ex ſui natura in originali juſtitia concepta eſt & ſine peccato, cùm quo tamen ſtat, quod non interveniente ejus naturâ, ſed Dei gratiâ, quòd Virgo fuerit præſervata, nè peccatum incurreret originale, quia Virgo ipſa fuit omnibus gratiis fœcundata, &c.

Ad tertium concedo, quòd munditia Virginis fuit citra munditiam Chriſti, & nego minorem, ſcilicèt quòd ſi Virgo non fuiſſet in peccato originali concepta, fuiſſet æqualis munditiæ cum Chriſto. Nam acceptis duabus albedinibus, quarum una ſit intenſa ut unum, & alia ut 4. non dicimus quod ex eo, quòd illa ſit ut quatuor, quòd ideò ſit macula & non ſit pura albedo & quòd niſi poneremus eam maculatam, ipſam eſſe æqualem cum albedine ut octo: certum autem eſt quod non, ſic verò eſt de Virgine reſpectu Chriſti Domini.

Ad quartum argumentum dico, quòd fundamentum illud eſt veriſſimum, & cùm dicitur, quòd ſit falſum nego, & cùm dicitur, quòd iſto modo poſſet probari, quòd Chriſtus non fuiſſet mortuus pro ſalute generis humani, nego, & cùm dicitur potuit non mori, concedo, & cùm dicitur ſicut potuit ita decuit, nego, & cùm iterùm dicitur omne quod eſt Deo poſſibile illi convenit, dico quòd hoc verum eſt de potentia ordinata, ſed de abſoluta negatur.

Ad quintum & ultimum dico, quòd illud fundamentum eſt veriſſimum, dico etiam quamvis Deus potuiſſet conferre majora Virgini, tamen illa non conveniebant illi in hac vita, ut eſt beatitudo & immortalitas, ut patet intelligenti terminos.

Reſponſio

Responsio ad auctoritates quarti articuli partis affirmativæ.

AD auctoritates quarti articuli dico, quòd omnes procedunt de lege communi. Secundum enim legem omnes debebamus incurrere peccatum, sed non tollunt quòd Virgo Dei Mater electa non fuerit per gratiam præservata, quia secundum Augustinum: *Virgo ipsa fuit omnibus gratiis fœcundata, omni sanctitate in utero matris repleta.*

Responsio ad auctoritates quinti articuli partis affirmativæ.

AD auctoritates ultimi articuli, ad auctoritatem Beati Bernardi, nego eam, quia cum Augustino teneo qui voluit, quòd *Virgo in utero matris fuit omni sanctitate repleta.* Et teneo cum Beato Job, qui voluit quod *Deus posset educere mundum*, individuum, *de immundo conceptum semine*, ergo in conceptione potuit sanctificari. Et cum Hieronymo sum qui voluit, *quod totius gratiæ quæ in Christo fuit, in* MARIA *venit plenitudo.* Ad Anselmum, nego ipsum, quia si est verum quod ipse affirmat, quòd scilicèt *deceat Virginem tantâ puritate nitere quâ sub cœlo illa major nequit intelligi*, non est verum, quod ipsa fuerit in peccato concepta, quia possemus intelligere ipsam in Conceptione fuisse sanctam, quòd est major puritas atque munditia, quàm quòd fuerit in peccato concepta & posteà mundata, & sic sit finis hujus quæstionis ad laudem & gloriam glorioſissimæ Virginis MARIÆ.

FINIS.

Sequitur Bulla de Conceptione Virginis MARIÆ.

SIxtus Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei Genitrix gloriosa sedibus prælata sidereis quasi stella matutina prærutilans devotæ considerationis indagine perscrutamur & pectoris arcana revolvimus, quòd ipsa utpotè via misericordiæ, Mater gratiæ & pietatis, Amica humani generis, Consolatrix pro salute fidelium qui delictorum onere prægravantur, sedula oratrix & pervigil ad Regem quem genuit intercedit. Dignum quin potiùs debitum reputamus universos Christi fideles ut Omnipotenti Deo pro cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem ab æterno respicienspro reconciliandaſuo Auctori humana natura lapsu primi hominis æternæ morti obnoxa eam sui Vnigeniti habitaculum Sancti Spiritûs præparatione instituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret: & Immaculata Virgo post partum nihilominùs remaneret de ipsius Immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia missas & alia divina Officia dixerint & illis interfint indulgentiis & peccatorum remissionibus invitare, ut exindè fiant ejusdem Virginis meritis & intercessione divinæ gratiæ aptiores. Hâc igitur consideratione inducti ejusdem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: auctoritate Apostolicâ ac in perpetuum valiturâ constitutione statuimus & ordinamus, quòd omnes & singuli Christi fideles utriusq; sexûs qui missam & Officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriosæ juxta piam, devetam & laudabilem ordinationem dilecti filij Magistri Leonardi de Nogarol, Clerici Veronensis, Notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanavit missæ & Officij hujusmodi institutionem in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis MARIÆ, *& per octavas ejus devotè celebraverint & dixerint aut illis horis Canonicis interfuerint quoties id fecerint eamdem prorsùs Indulgentiam & peccatorum remissionem, exindè consequentur, quam juxta fœlicis recordationis Vrbani IV. in Concilio Vienensi approbatæ ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones consequuntur illi, qui Missam, Officium & horas Canonicas in festo corporis & sanguinis Domini nostri* JESU *Christi à primis Vesperis & per illius Octavas juxta Romanæ Ecclesiæ institutionem celebrant, dicunt, aut missæ Officio & horis hujusmodi intersunt præsentibus, perpetuis, futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, tertij Kalendas Martij Pontificatûs nostri anno sexto, &c.*

SERMO

SERMO
DE IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE,
AUCTORE ANONYMO.

Licèt Sermo iſte fuerit impreſſus Argentinæ, cum Tractatu antecedenti Dominici Bollani, per Joannem Grunigher an. 1504. in 4. exiſtimo non eſſe prędicti Dominici Bollani, ſed cujuſdam alterius, ſcilicèt Joannis Eymerici, qui in Concilio Baſileënſi fuit Promotor ac Defenſor Myſterii Conceptionis, de quo Turrecremata in ſuo libro de Conceptione ad Patres Concilii latam facit mentionem: ſed cujuſcumque ſit, quia antiquus & eruditus, hîc typis cum cæteris mandare decrevi.

Incipit Sermo de Conceptione Beatiſſimæ MARIÆ Virginis.

MAtris inſignis præconia, ſedulo debet cum ſtudio quilibet non improbus filius ſpeculari, ut præconiorum prœminentiâ commonitus, Matrem ſincero charitatis cultu veneretur. Materno ſiquidem agnito dignitatis faſtigio, facilè inducitur proles, ut reverentiæ & honoris impendat obſequia. Intendite ſi non ſapientiſſimus hominum Salomon, ſuæ matris contuens inſignia, ad ſe properanti honorificè

norificè assurrexit, jubens sibi thronum ad dextras præparari. Et nos nunquid velut generatio prava & infideles filii, hanc sapientiæ legem inertes transibimus? An potiùs ut filii charissimi alacres ad matrem nostram sursùm oculos attollamus: *Sapientiam* (scriptum est) *atque doctrinam stulti despiciunt.* Beatus qui in sapientia morabitur, prædicatur. Sed quæ inquis est mater nostra, in quam oculos defigere, cujus prærogativas contemplari exhortaris? Mater nostra est Eva, Mater nostra est MARIA. Illa carnalis: illa spiritualis. Illa omnes genuit in mundum, illa in cœlum. Illa omnes depravavit, illa omnes salvavit. Undè & illa Mater est miseriæ, illa mater misericordiæ. Illius deploratur inobedientia, hujus quæso inspiciatur præ rogativa, quâ supremus omnium artifex, insueto ordine & mirifico, ipsam præcunctis mortalibus insignivit, in ejus fœlicis Conceptionis exordio, quàm in præsentiarum hymnis & laudibus Sancta Mater Ecclesia, festivè & celebriter solemnizat. De qua & nobis modò parumper locuturis dicendi præbet initium, verbum quod inter missarum solemnia extat recitatum in lectione epistolari, illud videlicèt: *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Sed quid dignum speculari mente cæcatis, quidvè magnificum ore depromere possumus de illa utique præclarissima & ineffabili, quæ prodivit ex ore Altissimi? Quid dicam pauper ingenio, cum ingenio acerrimus Augustinus de te, ô Virgo Beata, cùm quicquid dixero minus sit quàm tua dignitas mereatur. Ore charissimi ad extra proferemus, quæ intùs mente lustramus, dicente Aristotele: Ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ in anima passionum, notæ. Sed quomodo fœditate peccatorum labefacti mente feremur in altum, ut speculemur istius purissimæ insignia quæ ullorum criminum sordes nescivit, sed ex ore Altissimi prodivit? Potestis vos forsitan Patres dignissimi quæ sursùm habetis corda ad Dominum qui cum Moyse divinam introistis caliginem, qui in cœlis cum Paulo conversatione ambulatis, præcelsa hujus Virginis præconia penetrare? Sed qui ut pedibus terræ hæreo, terrena & mente sapio, efferre quid potero de cœlesti? Sed solatur me quàmplurimùm: quoniam posse quod natura denegat, divina misericordia subministrat, per illius profectò Virginis manus & mysterium, quæ hodiè primò luxit mundo. Precemur per ejus merita illustrari ab illo omni magistro & Doctore ex cujus inclita ipsa prodivit ore. Non tardabit MARIA ad clamorem filiorum preces fundere, quia Mater est misericordiæ. Non differet Altissimus ad Virginis jam Beatæ preces opem ferre & præsidium, qui & ejus cœlesti munere: effendi

sancti-

ſanctificavit initium. Dicamus voce ſubmiſsâ, ſed mente devotâ. *Ave gratiâ plena, &c.* Regius Propheta David, perſonam induens humani generis, attendens vincula omnium, propaginem mortis conſiderans, originem iniquitatis advertit, dixitque: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea.* Quid eſt quærit Auguſtinus, quòd ſe dicit in iniquitatibus conceptum? Nunquid de adulterio natus erat David? De Jeſſe viro juſto, & de conjuge ejus natus erat: dicit ſe in iniquitatibus conceptum, quia ex Adam trahitur iniquitas. Diffinita eſt ſententia Apoſtoli: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit: in quo omnes peccaverunt.* Conſiderate, ait Beatus Auguſtinus inde verbis Apoſtoli, quid eſt pertranſiit? hoc eſt pertranſiit, quia indè eſt parvulus reus, peccatum nondùm fecit, ſed traxit. Etenim illud peccatum non in fonte manſit, ſed pertranſiit, non in illum vel in illum, ſed in omnes genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus prævaricator. Peccatum namque ſuum non ſolùm ipſum, ſed omne infecit genus humanum quoniam ex ipſo damnationem & culpam, ſcilicet ſuſcepimus. Sed contrà hoc murmurat Pelagius, nolens ex traduce innaſci peccatum, quo parvulus ſordideretur, quòd undâ Baptiſmatis abluatur. Undè quærit malum in parvulo? undè reperitur? Non peccat parvulus, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas ergò rimas inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum? Sed abſoluta eſt quæſtio dudum per Apoſtolum: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum: per peccatum mors.* Et iterùm: *Per unius hominis inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt multi*; ſed obſiſtit Pelagius primæ tranſgreſſionis peccatum, non propagatione in alios, ſed imitatione tranſiſſe. Imitantur ſiquidem Adam quotquot per inobedientiam Dei mandatum tranſgrediuntur. Replicat Auguſtinus inde Baptiſmo parvulorum. Si Apoſtolus commemorari voluiſſet peccatum, quod imitatione non propagatione, venit in mundum, principem ejus non Adam, ſed diabolum diceret, de quo in ſapientiæ libro legitur: *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Nunc verò volens & peccatum & mortem ab uno tranſiſſe in mundum propagatione & origine eum poſuit principem à quo propagatio humani generis ſumpſit exordium. Hic princeps eſt Adam, qui ut Ambroſius ait, ſe vendidit prior, ac per hoc tota eius poſteritas ſubjecta eſt peccato, nè filiorum quàm parentum, potior eſſet conditio. Magnum id originis malum quo factus eſt homo perverſor

ordinis

ordinis, juſtitiam exterminans, prudentiam reprimens, temperantiam parvipendens, inimicus Dei, ſervus diaboli, exul paradiſo, promiſſus civis inferni, qui languet naturâ, pax perditur, caro inficitur, anima inquinatur & totus homo infirmatur. Inficitur caro ut rationis judicio adverſetur, inquinatur anima, ut carnis ſequatur deſideria, infirmatur homo, ut mortis vinculis perſtringatur, ut & non quod vult bonum ſed quod odit malum operetur. Hæc mala conſiderans Apoſtolus, in perſona totius generis humani exclamat. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore morte hujus.* Vidit ſe miſerum ait Origenes intra quem tot leges invicem repugnabant, tot prælia commoventur, pugnat caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, lex quæ eſt in membris, repugnat legi mentis: non ſic conditus erat homo, ſumma erat in carne ſanitas in anima tota tranquillitas omnia ſubjecta habuit, nihil contradictionis invenit, omnis motus corporeus, omnis ſenſus, omnis appetitus, omnis affectus, omnis cogitatus, ad ejus nutum regebatur quamdiù hoc volebat quòd Deus juſſerat, quamdiù ſuperiori ſe ſubjecit tam diù inferiorum obedientiam ſenſit. In tanta facilitate rerum, & fœlicitate humanâ abſit, ait Auguſtinus: ut ſuſpicemur prolem non potuiſſe fieri abſque libidinis morbo, ſed eo voluntatis nutu mota fuiſſent membra illa quo cætera, & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, in tranquillitate animæ & corporis, nullâ corruptione integritatis, infuſus fuiſſet gremio maritus uxoris. Sed cùm ſervitutis reverentiam, ſuo Creatori exhibere contempſit, inferiorum perdidit famulatum, tunc ſenſit in carne, quod nolebat in mente, ſuccidit tunc folia ficulnea & fecit ſupra ſuccinctoria, quod texit ibi ſenſit. Tunc ait Auguſtinus primùm nata eſt hæc lex cùm tranſgreſſa eſt prima lex, ex qua venit rebellio inter carnem & ſpiritum, & peccatum venit in mundum ſine quo nemo naſcitur, qui ex viro & muliere procreatur, quia enim ait Auguſtinus in de fide ad Petrum, non eſt ſine libidine parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne naſcentium non poteſt ſine peccato eſſe conceptus. Et Innocentius in Tractatu de miſeria conditionis humanæ. Quis neſciat etiam concubitum conjugalem nunquam omninò committi ſine pruritu carnis ſine fervore libidinis, ſine fœtore luxuriæ. Undè & ſemina concepta fœdantur, maculantur & viciantur, ex quibus anima tandem infuſa contrahit labem peccati, maculam culpæ, ſordem iniquitatis, ſicut ex vaſe corrupto, humor infuſus vitiatur: O gravis neceſſitas: infœlix conditio. Antequàm peccamus peccato conſtringimur:

Quia

Quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & in omnes pertranſiit. Huic ſententia Apoſtolicæ, plerique Doctorum à Deo fixæ immobiliterque adhæſerunt, ut & Virginem Beatiſſimam MARIAM Angelorum Dominam & Reginam, peccatum illud originis indubitatâ ſententiâ aſſeruerint contraxiſſe. Adducentes, in roburquòd toti naturæ fieret injuria; ſi ſuſpenderetur naturæ curſus, impediretur propagationis modus, quoad perſonam quæ naturæ legibus venit regulanda. Honori quoque divino dicunt detrahi, ſi non ſolius verbi incarnati conceptio, ab omni labe peccati fuerit munda, ab ignominioſa lege peccati privilegiata contra Sanctorum Patrum atteſtationes, qui ſolum Chriſtum excipiunt noſtrum Salvatorem ubi de originali peccato faciunt mentionem, undè Auguſtinus tractans illud Joannis: *Ecce Agnus Dei*, qui ſolus inquit, peccata mundi auferri potuit, hic ſolus ſine peccato venit. Et Leo Papa in Sermone de nativitate Domini: Solus inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione homo factus eſt. Ambroſius quoque in ſuo Exameron: ſolus ait Chriſtus ſine peccato, ſolus ſine vanitate. Rursùs ſi Virgo MARIA, aiunt, non contraxit originalem maculam redemptione non indiguit: jam Chriſtus ad ſalvandum omnes in carnem non deſcendit, jam non fuit omnium Redemptor, non omnium à morte peccati & gehennæ Liberator: contra illud Auguſtini ſuper Geneſ. Cavendum nè ponatur anima præter animam Chriſti cui liberandæ à peccato non ſit Chriſtiana gratia conferenda. Et in libro de perfectione juſtitiæ: Quiſquis fuiſſe vel eſſe in hac vita hominem aliquem putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, cui neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum, divinæ Scripturæ eſt contrarius. Taliſque impiâ contentione aſſerit, abſque mediatore quemquam poſſe ſalvari cùm tamen ipſe per ſe Salvator dixerit: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus.* Et in Epiſtola ad Optatum, referens verba cujuſdam Antiſtitis. Niſi prius ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt niſi qui per peccatum ante fuit captivus, ſicut ſcriptum eſt: *Si Filius vos liberavit, verè liberi eritis;* per ipſum enim renaſcimur, per ipſum mundo crucifigimur, ipſius morte, mortis ab Adam introductæ chyrographum rumpimus, quo nullus omninò natorum antequàm per Baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius, ſed patres mei advertite. Si Virgo benedicta fuit originali peccato maculata, tunc priùs fuit Deo odioſa quàm grata, exoſa quàm dilecta, rea culpæ quàm gratiæ, ignorans quàm ſapiens, infecta malitiâ

quàm bonitate refecta, turpis quàm pulchra, fœtore horribilis quàm odore ſuavis, maledicta quàm benedicta, digna vituperio quàm libera, ancilla quàm Domina, ſubdita quàm regina, dœmonum vernacula quàm Angelorum principiſſa, proles diaboli quàm filia Dei, quòd ſi ſic eſt ut quid tam longe antequàm conciperetur in utero, tam egregiis & inſignibus à Prophetis prænunciata eſt oraculis tam mirificis & myſticis deſignata figuris variè & tam multipliciè in Scripturis laudata præconiis. Multorum hinc profectò pietas horret & devotio, MARIAM, quam tam humiliter Angelus ſalutavit, quam tam reverenter Dei Filius honoravit, quam tam Deificè Spiritus Sanctus obumbravit, quam tam mirificè Pater æternus præ mille millibus elegit & præordinavit, ut eſſet propitiatorium ſæculi verbi ſui æterni, Filii Unigeniti Mater præſtantiſſima & ſingulare reclinatorium unquam fuiſſe ſub iſtius Apoſtatici ſpiritûs Adverſarii Chriſti, ſalutis noſtræ hoſtis ſæviſſimi ſervitute, & ab illo nequam deceptore quandoque poſſeſſa, cujus caput, ut in capite Canonis ſcriptum eſt, erat contritura. Profectò autem ſi peccatum originis MARIÆ mentem maculaſſet, jam non ſolùm hoſtis ille calcaneo ejus poſuiſſet inſidias, ſed verticem ejus tetigiſſet. Cum his pro honore virgineo, quem adverſa & contraria aſſertio obfuſcare nititur, & repetimus thema, quaſi ab ipſamet Virgine dignìſſima dilapſum, pro ſingulari ſanctitatis primordialis ſuæ conceptionis oſtenſione, pro quoque declaranda ejus immunitate ab omni labe & macula originali dicens: *Ego ex ore Deus Altiſſimi prodivi*, verùm cùm Altiſſimus ſit ſuper omnes in ſæcula benedictus, & nullis illa ſimpliciſſima ſubſtantia membris ſit diſtincta corporeis, erit forſitàn qui nullatenùs id recipiat, ut Virgo inſignis de ore ejus prodierit. Et à me ſibi manus & pedes flagitat demonſtrari, ſicque probari quòd de ore ejus prodire eam definio. Sed videat ſivè pedes habet Deus, quorum terra ſcabellum eſt, ſed & manum habet, quam aperiens implet omne animal benedictione. Et brachium habet quo potenter proſternit ſuperbos & exaltat humiles. Cum his & os habet, quo docet hominem ſcientiam. Omnia, inquam, hæc habet Deus per ſimilitudinem, non per proprietatem. Non eſt os Altiſſimi, de quo præſens differit oratio os carneum, quòd ex dentibus, linguâ, labiis conſtat & mandibulo, quod ex tali ore procedit contentio & proditio eſt, jurgium eſt, maledictio eſt, blaſphemia eſt, ſeditio eſt, dolus eſt, ſimulatio eſt. Non eſt hoc organum via quâ Virgo prodire dicatur: eſt autem os Altiſſimi Propheta, os Altiſſimi eſt Sacerdos. Audi de Propheta in Cantico Zachariæ, ſic namque cecinit:

Sicut

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus. De Sacerdote lege in Jeremia, quid dicat Altissimus: *Si*, inquit, *separaveris pretiosum à vili quasi os meum eris.* Ex his agnoscite patres, si non processit Virgo ex ore Altissimi. Processit siquidem ex semine Prophetali, processit ex semine sacerdotali, de Nathan Propheta, de Aaron Sacerdote, sed ab his Virgo non accepit, quòd originale crimen non contraxit. Altiùs igitur quid accipite, quo Virgo piè creditur præservata ab originalis peccati macula. Os Altissimi Filius est, & verbum Patris æterni, non quidem per naturam, sed per similitudinem & methaphoram. Attendite oris veri officium, & statim occurrit per os rectè intelligi, verbum Patris, & Dei Filium. Os corporis sivè carneum, est vocis & loquelæ organum. Et cùm Dominus olim ut Apostolus ait: *Multipharie locutus sit per Prophetas, novissimè nobis locutus est in filio, per quem fecit & sæcula*, qui post hoc, sicuti Baruch testatur, *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Per os corporis, Archana panduntur cordis: *Et filius abscondita à sæculis, quæ patre audivit, nobis*, ut Joannes tradit Evangelista, *manifestavit.* Ampliùs. Per os fœdus pacis & amicitiæ jura firmamus. Et per Filium ait Apostolus: *Cùm essemus inimici, Deo Patri sumus reconciliati, qui tribuit pacem*, dicit Isaias, *His qui longè sunt, & his qui propè, & fecit utraq; unum.* Quoniam *non Judæorum, sed & gentium Deus est*, scribitur in Epistola ad Romanos. Ex hoc ore Altissimi, Filio scilicèt, verbo Dei Patris æterno prodivit MARIA Mater & Virgo: verbum illud ars est Omnipotentis, & juxta Apostolum: *Virtus est & sapientia Patris.* Ars est & virtus quâ facta sunt omnia sapientia, quâ reparata sunt universa. Ex arte & virtute Altissimi prodivit Virgo nulli approbriosæ legi subjecta. Ex sapientia Altissimi prodivit tota pulchra & immaculata. Num subjici debuit alicui ignominiosè legi MARIA, sub cujus pedibus tota erat Christo militans Ecclesia: *Signum magnum*, ait Joannes in Apocalypsi, *apparuit in cœlo, mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus.* Luna dicit Bernard. in Scripturis significat defectum corruptionis, stultitiam mentis, Ecclesiam hujus temporis. Modis his omnibus fuit luna sub MARIÆ pedibus. An quid majus est Ecclesia, an MARIA? Mater, ait Petrus Damiani, MARIA, Mater & Ecclesia, MARIA Mater Christi, Ecclesia Mater Christianorum, de MARIA carnem susceptit, Ecclesiam de lateris sui carne produxit. Ex illa prodiit secundum carnem natus, illam protulit carne jam mortuus, ex illa voluit nasci, pro illa dignatus est mori. Et de Ecclesia dicit Beatus Augustinus in Epistola ad Bonifacium, quotidie, inquit,

orat Ecclesia : *Dimitte nobis debita nostra.* De MARIA autem dicit in de gratia & natura: Cùm de peccatis agitur, de MARIA nullam prorsùs volo fieri mentionem, sed & MARIA sub pedibus habet Ecclesiam triumphantem. Persuade, immò & compellit, ait Bernardus in quodam Sermone, nos tua celsitudo credere, ut in regno filii tui, Beatissima Virgo MARIA imperiosè principieris, quòd per Angelorum mysteria, tuis sæpè devotis subvenias. Si enim Angelus Angelum mittit, confidenter credere debet Christiana devotio, quòd Imperatrix Angelorum, tantò magis habeat Angelos mittere ad obsequium, *quantò differentius nomen præ illis hæreditavit*, si Josuë Dux Israël jussit solem stare, quomodo non omnia sidera ad nutum gloriosæ Imperatricis discurrunt. Si Cherubin & Seraphin de fonte bibentes, inferioribus Angelis quædam Archana revelant, quantò magis Beatissima Virgo, de occultis filii sui amplexibus degustata mysteria Angelis copiosius effundet. Et Gerardus martyr & Episcopus in suis omeliis; Apostolorum, inquit, splendidissimus ordo, ineffabili laude MARIAM extollit; martyrum exercitus omni cum honore supplicat tantæ Dominæ; Confessorum multitudo innumerabilis, continuum sibi personat Canticum; Virginum candidissima concio jugem choream ad suam celebrat gloriam. Videtis quomodo sub MARIA [est omnis terrena & cœlestis creatura, quod & expressius docet Anselmus in de Conceptione Virginali: Nihil tibi ô Domina æquale, nihil comparabile. Omne' quidem aut supra te est, aut subtus te est, super te est solus Deus, & infra te est omne quod Deus non est. Alludit & huic Bernardus in quodam Sermone : Attende, inquit, Seraphin & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbimus quicquid majus est minùs Virgine, solumque opificem opus illud supergredi. Adhuc sublimius patres oculos attollite eminentiores MARIÆ dignitates & excellentias considerate, MARIA JESU Christo Domino adeo est vicina, ut cum ipso cuncta invenerit perdita, cum ipso influxerit cœlestium donorum carismata, & cum ipso ut loqui licet, reparaverit universa. Audi quid dicat Beatus Maximius Episcopus ; Hæc est, inquit, Domina Regum, decus mulierum, gemma Virginum, refugium peccatorum, omniumque reparatio credentium ; quicquid boni mundus habet ab illa habet, ex qua salutis nostræ manat initium. Hæc est quæ sola meruit Mater & Sponsa Christi vocari, hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Consonat inclitus Anselmus ubi suprà, loquens ad Beatam Virginem : Tu, ait, ante omnem creaturam

in

in mente Dei præordinata fuisti, ut omnium fœminarnm castissima, Deum ipsum verum hominem, ex tua carne procreares, ut omnibus post ipsum filium tuum, Regina cœlorum effecta, glorioſa regnares, ut perdito mundo reparationis aditum, & vitæ perennis gaudium præparares per te ad æternam gloriam, quicumque sumus perventuri perveniemus; per te est si quid boni possumus, sumus seu habemus; tu post Deum summa & singularis consolatio nostra, tu fœlix & beata gloriatio nostra, tu ad regna cœlorum ductrix & subvectio nostra. Item: Omne bonum, ad quod homo conditus erat, perdidit in Adam; hoc excellentius multò recuperavit per MARIAM. Per plenitudinem gratiæ tuæ, ô Virgo Beata & quæ in inferno erant se gaudent liberata, & quæ supra mundum se lætantur restaurata. O fœmina mirabiliter singularis & singulariter mirabilis, per quam elementa relevantur, infirma remediantur, homines salvantur, cœli reintegrantur. Et rectè quidem secundùm Bernardum mellifluum, cum Christo ad reparationis opus concurrit Virgo Beata, ut sicut vir unus & mulier una nobis nocuere, si per virum unum & mulierem unam rediret salus cum fenore gratiarum. Sic clementissimus & prudentissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed refecit, ut novum Adam formaret ex veteri, & Evam transfunderet in MARIAM. Et quidem sufficere poterat Christus, quoniam ex nunc omnis ex eo sufficientia, sed nobis bonum non erat hominem esse solum, congruum fuit magis, ut nostræ reparationi sexus adesset uterque, cujus corruptioni defuit neuter. Ob hoc Patres: plurimæ denominationes Christo velut propriè, appropriantur & MARIÆ, ut sicut Christus dicitur Rex Regum, MARIA dicitur Regina Reginarum. Christus dicitur Dominus terræ & cœli, MARIA Domina mundi, Christus Auctor gratiæ & gloriæ, MARIA Mater gratiæ & misericordiæ, Christus Interpellator noster & Advocatus, MARIA Patrona & Advocata, Christus Pater rerum creatarum, MARIA Mater rerum reparatarum, Christus Pater constitutionis omnium, MARIA Mater reparationis singulorum, Christus Medicus ægrotantium & infirmorum, MARIA Parens salutis & salvandorum. Ut sicut *de plenitudine Christi*, ut Evangelista tradit, *omnes accepimus*, ita non est, ait Bernardus, qui se abscondat à calore ejus. Decentissimum igitur erat & oportunum, ut tanta Domina & Regina tam digna Genitrix & Mater præstantissima, nulli foret peccato obnoxia, nulli inquinamento culpæ deturpata. Peccatum siquidem erat, quòd homines à Deo separabat, & id ut Filius Dei evacuaret, & lapsum hominem re-

vocaret, homo fieri voluit, & talis homo, ut nihil in eo aliquatenùs concordaret ei, undè homo à Deo discordabat, quia igitur ait Anselmus, ita fieri oportebat, Matrem de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat. Aliter enim quo pacto, illi summæ puritati tanta conjunctione uniretur homo, ut quæ Dei sunt, indifferenter essent hominis & hominis Dei. Docet & illud Augustinus in Sermone ad Fratres Eremitas: Quia genus, inquit, humanum à corruptione liberandum erat, ideò precium redemptionis incorruptum esse debuerat. Propterea Maria Mater est electa, & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omni sanctitate & virtute in utero matris repleta, ut de mundissima Matre, mundissimus nasceretur Filius, & Filius sicut in in cœlo habet Patrem æternum & immortalem, sic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis est Pater, talis est & Filius secundum Deitatem. In terra qualis est Mater talis est Filius secundum carnem. In cœlo cum Patre immensus, in terra cum Matre immaculatus. Profectò non decuit, ait Richardus de Sancto Victore, ut caro illa Virginis, peccato se aliquando obnoxiam cognoverit; nam Dei sapientia indiguum esse credimus, ut quam ad lumen gentium prædestinavit, tenebris pravitatis sineret involvi. Erit. nè ingratus propriæ Matri qui Patri & Matri honorem præcepit exhiberi? Et si quis forsitan dixerit, Virginem labe peccati fuisse involutam usque ad Christi annuntiationem, ac sic fide quâ Angelo credidit sit emundata, juxta quod dicitur: *Fide purificans corda*: advertat, quia antequam consensit, jam ab Angelo est salutata, ut divinâ gratiâ plena. Et altior dicit Anselmus, consideratio mentem meam ab ista sententia divellit, dum ipsam Matrem Domini super omnia esse perpendo, & sublimiori gratiâ quàm Apostolos & quicquid extra Deum creatum est, irradiatam aspicio: si igitur primordia creationis illius, alio intuitu quàm aliorum de propagine Adæ prodeuntium considero, precor nemo vultum suum subsannando avertat, nemo suo sensu permotus animositate suâ ductus contra Dei Genitricem id dicere tentet, nisi fidei Christianæ adversarium forè agnoscat. Et quomodo precor non fuit hæc Virgo dignissima libera ab omni maledicto peccati originalis quæ ab omnibus Christi fidelibus exempta creditur ab omni improperio peccati actualis, immò & minimi dilicti venialis? Minùs revera malum est loqui verbum ociosum aut jocosum mendacium, quàm contrahere originale peccatum. Filium iræ facit originalis culpa, peccatum veniale stat cum Dei amicitia.

Illi

Illi debetur damnatio, illi modica vapulatio. Illi debetur visionis divinæ perpetua carentia, illi punitio pro brevi temporis morula. Numquid misericors Dominus confusibili opprobrio Matrem induit, qui eam minimo delicto involvi non permisit. Angelis peccantibus quosdam à peccato servavit, & fœminam Matrem suam futuram, à peccatis exortem servare non voluit. In æternitate consilii sui, dicit Anselmus, fixum statuit eam dominatricem & Reginam fore Angelo, & nunc inferiorem gratiam Angelis nactam, in consortium esse conceptam credamus hominum peccatorum. Existimet hoc qui vult, argumentis suis probet qui vult, his dictis adversetur qui vult, ego donec Deus ostendat aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici, quàm dico, quàm scripsi, non muto, nec hoc in loco per transeundum puto, quòd aliis transeursis maledictionis legibus Aurelius Augustinus multis rationibus persuadere nititur Beatam Virginem eximiè præservatam ab illo communi maledicto legis: terra es, & in terram reverteris, docens incinerationem corporis, excellentiæ MARIÆ & maternali ejus dignitati plurimum derogari, inquiens sic: Cùm caro Christi portio sit MARIÆ, quæ expers est, corruptionis cujuslibet reliquum corpus Virginis, escam esse vermium, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Adinstar hujus inclitus dixit Anselmus: Cùm eminentiam gratiæ Dei in te ô Virgo considero, sicut te non intra omnia, sèd supra omnia quæ facta sunt inæstimabili modo contueor: ita te non lege naturæ aliorum in tua conceptione devictam esse opinor, sed singulari & humano intellectui impenetrabili divinitatis virtute & operatione ab omni peccati adjunctione liberrimam. Dicamus igitur & nos pietate commoniti, quòd sicut Virginis caro in ejus occasu, egressu & morte est ab Incinerationis lege præservata, ita ejus nobilissima anima in ipsius ortu & origine à lege communis propaginis est exempta, & sicut caro non fuit esca vermium, sic nec anima ancilla fuit dœmonum. Quod si quis ampliùs urget, satagens adhuc MARIÆ Conceptionem originali maculâ sordidare, respondeamus, quod respondit in jam tacta materia Augustinus: Si quis, inquit, eligit refragari cùm nolit dicere Christum id non posse, proferat quare id non conveniat velle, ac per hoc non esse. Et si veraciter de his consilium Dei nosse monstraverit, incipiam ei credere, de quibus aliter non præsumpsi sentire, hoc est Patres optimi primum, quòd conabar deducere, quòd MARIA ex ore & virtute Altissimi prodivit, nulli opprobrioſæ legi subjecta. Post quod ostendere libet, quòd ex sapientia Altissimi

mi prodivit tota pulchra & immaculata. Aſtruere id videtur inprimis eximius Propheta Iſaias, dum à longè proſpiciens hujus Virginis ortum mirificum, ipſum per myſterium prodeuntis virgæ deſcripſit, dicens: *Egreditur Virga de radice Ieſſe, &c.* Ubi dicit Beatus Maximus Epiſcopus: Auctor mortis eſt diabolus, per cujus invidiam mors intravit in orbem terrarum, omne genus humanum in primo parente veneno nequitiæ ſuæ potavit, & quaſi arborem in radice, antequàm plebs propaginis prodiret, vitiavit. Indè eſt quòd radix vitiata quotidie frondet, frondeſque ejus indeſinenter per mortem marceſcunt. Divina autem operante providentiâ ex radice vitiata, ſine vitio prodiit virga, quæ intelligitur Beatiſſima Virgo MARIA, de qua Propheta loquitur: *Egredietur Virga de radice Ieſſe.* Sæpè namque, contingit, ut aurum fulgens reperiatur in luto & expungente ſpina, pulchrè rubens oriatur roſa. Ita, Patres canit de Virgine Sancta Mater Eccleſia, ſicut ſpina roſam genuit Judæa MARIAM. Oritur autem roſa de ſpina ſine ſpina, & MARIA de tortuoſa radice ſine culpa. Attendite verbum, egredietur Virga iſta, MARIA orta eſt de radice Judæorum, ſed tamen eſt ſupergreſſa radicis naturam, radix namque ad ima, Virga ad alta tendit, radix terreno pulvere involvitur, Virga ſereno aëre ambitur, radix in terra proficit, Virga cœli rore & ſolis calore creſcit, radix habet tortuoſitatem, Virga rectitudinem. Egreſſa eſt igitur Virga de radice Jeſſe, dum MARIA non ut radix contraxit, obliquitatem culpæ, ſed prodivit in eſſe, in rectitudinem innocentiæ: dum non ut radix terrenæ corruptionis contagio eſt maculata, ſed cœleſti munere prodivit venuſtata. Hoc & innuere videtur Gloſſa auctoritatis inductæ. Sicut Virga, inquit, egreditur de ſtipite ſine nodo & frutice, ſic MARIA proceſſit ſine crimine. Pulchram pro his ſimilitudinem inducit Anſelmus de origine caſtaneæ: Caſtaneæ, inquit, nucem attende, cùm de ſui generis arbore prodit naſcitura involutum illius totum hiſpidum & denſiſſimis aculeis undequaq; ſeptum appareret, intus caſtanea concipitur, primò quidem per modum lactei liquoris, nihil hiſpidum, nihil aſperum, nihil aliquibus aculeis noxium in ſe habens aut circa ſe aliqualiter ſentiens, illic in ſumma lenitate nutritur, fovetur & alitur, ac in ſui ſpeciem formatur & habitudinem. Jam adulta rupto involuto, ab omnium ſpinarum punctione & onere liberrima à ſpinis egreditur. Attende ſi Deus caſtaneæ confert, ut intra ſpinas remota alatur, concipiatur & formetur, non poterat dare Virgini, ut inter ſpinas peccatorum conciperetur, ab ipſis tamen ſpinarum acu-

aculeis exors redderetur? Potuit planè, & si voluit, fecit, & cum de te sic voluisse credo ô Beatissima fœminarum. Suffragatur nostro proposito illa scripturæ auctoritas, quæ in Numerorum libro scribitur: *Orietur stella ex Iacob, & Virga consurget ex Israël.* Assimilatur hîc Virgo Maria stellæ, assimilatur & Virgæ. Stellæ, quia semper erat in cœlo mente Virgæ, quia in terra habitabat corpore. Stellæ, quia radios suos direxit in mundum: Virgæ, quia fructum protulit hominum. Stellæ, quia emisit radium, in quo lux est divinitatis. Virgæ, quia fructum edidit in quo est caro terrestris. Stellæ, propter rutilantem ejus claritatem: Virgæ, propter vitæ & morum venustatem, & quo ad nos compassionis flexibilitatem. Maria igitur Beata, si in Conceptionis suæ exordio, fuit immunditiâ originalis criminis maculata, si tenebris peccati & caligine obscurata, si terrenæ corruptioni & fœditati immersa, si obliquitate injustitiæ circumflexa, quomodo in ortu sui fuit clara, in egressu sui recta, quomodo in origine lucida, ut congruè de ipsa intelligatur pro singulari quadam excellentia: orietur stella ex Jacob, & Virga consurget ex Israël? etenim stella dum oritur nitet: Virga cùm nascitur nodo caret. Ineptè igitur dictum erit de Virgine orietur stella, si orta est tenebrosa. Absonè consurget Virga, si vitio est recurvata. Sistamus hîc ab ulteriori Scripturarum prosecutione: quoniam contraria assertio, præventricem peccatorum peccatoribus æquans, Imperatricem cœlorum potestati subdens inferorum, nullâ irrefragabili auctoritate fulcitur, nullâ evidenti ratione probatur, nullâ pietate Fidei suadetur, nullâ verisimilitudine vallatur, & nullâ miraculi operatione inducitur, nullo sermone, nullâ ratiocinatione ampliatur & dilatatur; immò tantò ampliùs deprimitur, tantò ampliùs confunditur, quantò ampliùs cognoscitur, quantò plus prodit in lucem. Repetitis vicibus descendit vanæ argumentantium pluvia, venerunt in aviis eloquentiæ flumina, flaverunt hæreticorum venti adversus Conceptionem Virginis, ut illibatam supra omnium mortalium propagines extollentes, nec tamen sic poterat tam pia de Conceptione credulitas Christinanorum illa & devotio, repugnantium calcibus conculcari. Scripsit Bernardus mellifluus, lacte virgineo educatus Epistolam contra quorundam fidelium ritum, qui festivis laudibus Conceptionem Virginis celebrarunt, sed quoniam dictæ conceptionis celebritas, fundata erat supra firmam petram, ad tanti & tam devoti patris exhortationem non poterat aboleri. Confiteamur igitur quòd tanto sit digna præconio, quam Rex Regum universorum

Dominus per tanta tempora voluit honorari. Confiteamur, inquam, quòd Conceptio intemeratæ Virg. ſingulariſſimè fuerit & peculiariter à Deo dicata, quia MARIAM ſibi domum ædificavit Sapientia increata, quæ fuit ſine opaco perſpicua, quia orta eſt ut ſtella, quia fuit ſine curvitate rectâ, quia egreſſa eſt ut Virga ab omni maledictione extranea, quia manſit ſupra omnes mulieres, benedicta, quia fuit munda ab omni ſordis contagione, quia adjuvit eam Deus manè diluculo, quia fuit glorioſa, quia ab initio viarum Domini à Domino eſt poſſeſſa, quia fuit laude digniſſima, quia prodivit tota pulchra & immaculata, quia fuit fructuoſa, quia proceſſit diaboli caput contritura, quia fuit integerrima ſine vitio, quia *domum Domini decet ſanctitudo*, quia fuit redolens divinis cariſmatibus, quia *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*, quia fuit mirabilis & prodigioſa, quia proceſſit mulier amicta Sole, ſub cujus pedibus luna, quia fuit privilegiata ſupra obproprioſas leges, quia beatam ipſam dixerunt omnes generationes. Undè & à nobis ſingulariſſimè eſt veneranda, quia *fecit ei Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum Nomen ejus.* Nec tamen ſic ſatis extolli, nec ſatis coli poteſt à nobis laudibus hæc inſignis & inſueta conceptio, in qua erupit de terra fons limpidiſſimus, puteus aquarum viventium de fontibus Iſraël, in qua apparere cœpit nubes, ſuper quam erat Dominus ſecundum Iſaiæ vaticinium aſcenſurus, in qua arca teſtamenti myſtica manu ſummi artificis eſt fabricata, quæ non teſtamenti tabulas, ſed teſtamenti portatura erat hæredem, in qua ortus eſt Balſamus Aromatiſans, purus & immixtus, cœlos & abyſſos odoris fragrantiâ penetrans, in qua cedrus altiſſima ſemper virens virtutibus, plantata eſt in libano, in qua inviſa ſtructura eſt erecta, cujus fundamentum non in terris, ſed eſt in montibus ſanctis, in qua ex univerſis electa prodiit, cujus rex decorem concupivit, in qua mons ſupra terram cœpit eminere, de qua juxta Danielem lapis ſine manibus eſt preciſus, in qua arbor nobilis terræ eſt infixa in cujus ramo convaluit quod perierat in radice, in qua vellus Gedeonis in area noſtræ regionis cœlico rore eſt perfuſum, in qua oliva eſt orta ſpecioſa in campis. Ex qua oleum miſericordiæ in omnes profluxit, in qua conſitus eſt hortus & paradiſus deliciarum, in cujus medio crevit lignum vitæ, precium ſæculi, JESUS Chriſtus Dominus noſter. Et ut multa paucis concludam in hac eximia conceptione prodiit Virgo, in qua prophetiæ ſunt impletæ, ad quam figuræ & enigmata ſunt terminata, in qua reddita ſunt promiſſa, ſpes credentium eſt ſolida-

ta.

ta. A qua ſingulariter benedicta incepit ſingularis gratia virginitatis, virtus continentiæ & caſtitatis, Fidei Chriſtianæ veritatis, contemptus delicioſæ voluptatis, deſpectus omnis mundanæ fœlicitatis. Et iterùm. In ipſa incœpit plena mortificatio vitiorum, virtuoſa aſpiratio ad regna cœlorum, undè ſalus, undè vita floruit, undè nephas mundi, undè mors occubuit, undè vectes inferorum, ſathanæ jura, confracti. Ea propter hujus Virginis Conceptio, non immeritò creditur ſancta, ab omni fœditate ſegregata. Hinc exclamat Anſelmus in quadam Epiſtola ad Epiſcopos Anglicos. O quanta dies illa, quâ noſtræ reparatricis digna anima creatur & conſecratur, & ſanctiſſimo corpori unitur. Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem ejus Conceptionis. Erubeſcant, qui hunc colere nolunt, idcircò, quòd aliorum Sanctorum conceptiones, minimè colere conſuevit Eccleſia. Maxima autem ſimplicitas eſt, eam aliis Sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem humanam aſſumpſit, quam Deus ſupra omnes Angelos & Anchangelos collocavit. Illi à Spiritu Sancto conceſſum eſt, quæ dignior eſt & excellentior cunctis, ut celebretur dies ejus Conceptionis, ſupra cæteros Sanctos hoc debet habere per quam omnes Sancti ſanctificantur & beatificantur. Dicitur non nunquam Chriſtus Sanctus Sanctorum, & ipſa Sancta Sanctorum. Et poſt modicum: Quid dignius quàm Dominicæ Matris colere generationem & commemorare? Nam ejus Conceptio Chriſti generationis eſt linea. Quapropter Evangelium: *Liber generationis*, hâc die ſicut in natali Domini ad matitunas laudes bono more decantamus, & admiſſam legimus. Meritò igitur colitur & filii generatio, & Matris Conceptio; quoniam Conceptio & Nativitas Matris generatio eſt Filii. Celebremus igitur alacriter hodiè dignis officiis utramque ejus honorabilem Conceptionem, ſpiritualem videlicet & humanam, ut ipſius meritis & precibus, à ſæcularibus curis, & cunctis vitiis mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradiſi pervenire. Hæc ille. Supereſt ultimò auctoritatibus & rationibus ſuprà ad oppoſitam partem inductis reſpondere, ut jam perſuaſa veritas magis magiſque ſplendeſcat in lucem. Nunquam etenim adeò emicat & lucet veritas, niſi dum veritatis cauſæ aperiuntur, & ipſa ab adverſantium telis & repugnantium jaculis defenſatur: fuit in primis objectum contra noſtram quam poſuimus pietatis ſententiam, de Sancta Conceptione: Toti, inquiunt, naturæ fieri injuriam, ſi ejus curſus in Conceptione Virginis interrumpatur, & communis propagationis modus non ſervetur, qui talis eſt, ut primis parenti-

bus infectis, semina ipsorum inficiantur, & ex seminibus infectis generetur caro infecta, quæ & animæ rationali cùm primò ei infunditur maculam ingerit & fœdationem, sicut & in aliis sensibiliter fieri videmus, quòd anima propter vinculum cum carne à carne recipit sensibiles passiones sicut ex incisione dolorem, ex frenesi amentiam, ex paralisi regiminis impotentiam. Ut hæc objectio cum cæteris adductis è fundamentis solidis excludatur in primis attendamus, quòd ex tribus peccatum originale incurrit parvulus. Ex primorum scilicèt parentum demerito, ex divino, sed justissimo Dei decreto, ex semine utriusque parentis viriato. De primo dicit Apostolus in Epistola ad Romanos: *Per unius hominis delictum mortui sunt multi.* Et iterùm: *Per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* De secundo idem ibidem dicit Apostolus: *Sicut per unius justitiam.* Supple, processit sententia Dei: *In omnes homines in justificationem vitæ, ita per unius delictum processit sententia Dei in omnes in condemnationem.* Undè & Ambrosius in De verbis Apostoli, ut allegat Magister in secundo dicit, Corruptionem quæ per conditionem offensionis manet in corpore robor tenere divinæ sententiæ datæ in Adam, quam certè corruptionem Apostolus crebrò legem membrorum appellat. De tertio loquitur Job: *Quis*, inquit, *potest facere mundum, de immundo conceptum semine?* Quasi diceret, nemo id facere potest virtute naturæ creatæ. Undè & Propheta David hanc miseriam agnoscens exclamavit: *Ecce iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Propter quod Beatus Augustinus in de fide ad Petrum, maculosam omnium conceptionem non ascribit humanæ propagini, sed libidini, non naturæ fœcunditati, sed libidini, non naturæ fœcunditati, sed libidinis fœditati. Dicamus igitur ad propositum incipiendo ab hoc ultimo, quòd anima Beatæ Mariæ Virginis, non est infecta à carne concupiscibiliter seminata, & hoc eo, qui solus est, ipsam præservante, ut suprà latè deductum est. Et hoc fieri potuit altero trium modorum sequentium, aut alio saltem modo nobis incognito. Primò poterant semina Joachim & Annæ ab omni corruptione mundari, ut ex ipsis non nasceretur caro infecta & per consequens anima ex consortio ejus cum carne inficeretur aliqua macula. Poterit id facilè intelligi in exemplo: Si omnium artifex mundificaret parentum leprosorum semina à morbida & infectiva lepræ qualitate, carnemque ex his genitam ab omni purificaret contagione ante infusionem animæ rationalis, tunc proles non leprosa, sed munda nasceretur. Quis novit sensum Domini, an

conve-

convenientibus Joachim & Anna mundati fuerunt ab omni vitio naturæ & personæ. Alio modo id factum potest intelligi, ut qualitas morbida seminum, & vis infectiva in carne libidinosè genita fuerit ab omni causalitate suspensa, nè anima rationalis cum carne divinâ virtute inficeretur, tunc siquidem nullâ potuisset virtute illius infectivæ qualitatis in carne macula in anima gigni aut creari. Exemplum ad id ponamus. Calor in igne habet calefacere & corrumpere combustibile appositum, si tamen à Deo ejus virtus calefactiva ab omni actione & causalitate suspendatur combustibile à calore ignis non alterabitur, & in natura sua manebit incorruptum. Non enim potest secunda causa causare primâ non volente. Id factum legitur in Daniële de igne fornacis candentis, qui non læsit pueros projectos in fornacem. Nec Abacuc læsus fuit à ferocibus leonibus missus in lacum. Tertiò, potest id factum intelligi aliter, puta, quòd in infusione animæ rationalis in corpus, Dominus suâ virtute infinita, secluſa omni mora, infuderit animæ gratiam gratum facientem, contrariam omni criminali maculæ. Quo posito caro quamquam infecta, non intulisset animæ aliquam deformationis maculam, gratia tali à Deo conservata propter repugnantiam gratiæ ad maculam. Exemplum ad id ponamus. Ethiopes nigri, ut communiter generant prolem nigram. Si tamen instanti vel tempore quo virtute & actione naturæ haberet induci nigredo in prolem, virtus altior divina præveniret naturæ actionem inducendo albedinem, tunc non ethiops niger, sed albus nasceretur. Hic modus satis convenit proposito nostro. Et quis tam hebes, tam à ratione alienus, ut diceret in his injuriam naturæ irrogari. Deus Auctor naturæ est, supra naturam est, rectè natura quælibet obedit suo opifici. Legimus persæpè in sacris Litteris naturæ cursum sine ejus injuria ab Auctore naturæ tam in elementaribus quàm cœlestibus corporibus suaviter immutatum. Aperuit se terra solida ad imperium Dei, & deglutivit Dathan & Abiron. Aqua fluida quæ nec propriis terminis continetur, stetet ex lateribus duobus, quasi murus, filiis Israël per medium ejus siccum præbens iter. Quid dicemus de Sole, cujus est continuè moveri in in zodiaco, ab oriente in occidentem? Nunquid tempore Josuë stetit & tempore Ezechie retrocessit. Non igitur murmuremus, quin imò potiùs laudemus Dei clementiam, si in attestationem singularissimæ eminentiæ Virginis futuræ Matris Unigeniti Dei cursum naturæ parumper in sanctissima ejus Conceptione stare fecerit. Redeamus ad primũ, quo dicebamus parvulum incurrere originale peccatum ex primi parentis demerito. Dignum

num est & rationi consentaneum peccatum parentis primi ad Virginem non extendi. Quamquam enim ipsa fuerit naturalis filia Adæ, secundum consuetum naturæ cursum propagata: non tamen dici debet ejus peccato fuisse obnoxia. Habuit siquidem primitatem respectu Adæ, imò & respectu omnium filiorum Dei secundum esse spirituale & gratiæ. Undè non debuit recipere ab eo influxum cujuscumque maculæ, vitæ spirituali & gratiæ repugnantis. Primùm quidem in unoquoque genere non recipit formam à posteriori se suæ primitati repugnantem. Reverà contra naturalem intelligentiam est, ut sol obtenebretur ab aëre quem illuminat, luna exiccetur à terra quam facit humidem: aqua frigefaciat ignem, à quo in ipsam procedit calor. Maria igitur Mater gratiæ datæ primo parenti, immò & toti generi humano, quomodo maculabitur Adæ demerito? Fatemur quidem Adæ peccato tota ejus propago maculatur, sed soli Mariæ Virgini ejus peccatum non imputatur. Quomodo omnium artifex sineret eam maculari peccato alieno, quam in secreto concilii sui, statuit prorsùs servare immunem à peccato proprio criminali & veniali? In potestate principis est imputare filiis peccatum paternum, & quibusdam non imputare. Audi simile de Jeroboam, qui operatus est malum super omnes precedentes se. Legitur in libris Regum: *Qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli*, excepto filio ejus Abia, qui solus de Jeroboam infertur in sepulcrum, quia inventus est super eo sermo bonus à Domino Deo. Ad quem à sæculis inter filios Adam, sermo gratiosior dilapsus est, quam ad Mariam Virginem? *Ave*, inquit cœlestis nuntius, *gratiâ plena, Dominus tecum, &c.* quæ sequuntur. Non igitur prorsùs alienum, si non ei à principe imputatur paternum delictum. Absolvamus rursùs secundum quo diximus parvulum cõtrahere originale peccatum ex divino, sed justissimo Dei decreto. Fatemur & jure fatemur, æquitatem & justitiam decreti, sed dicimus ipsum ad beatam Virginem non extendi. In Conceptione quippè hujus Virginis Beatissimæ decretum est, modificatum est, suspensum est, contra ipsum dispensatum est, nè glorioſissima Virgo sub tali ignominioso clauderetur decreto. Facilè in ascensum hujus ducimur: si litteras sacras perspexerimus, quæ summum Legislatorem Deum, in legibus & decretis à se latis, simile quid fecisse crebrius attestantur. Suspendit legem circumcisionis à se latam tamquam duraturam in sempiternum, per annos quadraginta in deserto. Declaravit legem de observantia Sabbati, non violari per opera misericordiæ & pietatis, dum in sabbato Christus curavit

curavit infirmos, sanavit languidos. Modificavit legem, qua interdixit Apostolis ferre zonam, peram & calceamenta, dum concessit eis portare virgam & sandalia. Dispensavit cum populo Judæorum, contra præceptum de non concupiscendo rem alienam in spoliatione Ægyptiorum. Dispensavit contra legem Matrimonii, cum Sanctis Patriarchis, cùm indulsit eis pluribus uti uxoribus, ita in pluribus aliis. Assuerus rex decretum edidit pœnale, ut sivè vir sivè mulier interius atrium regis introiret non vocatus, morte plecteretur. Regina & Conjux Hester, regalibus induta vestimentis, introivit interius atrium non vocata. Et ait Rex decretum suum declarans ad Hester: *Non morieris: Non enim pro te, sed pro omnibus constituta est hæc lex.* Nihil profectò indecens nihil barbarum dicimus si Regem Regum Dominum Dominantium, legem & decretum de contrahendo originale peccatum, fateamur facto insueto & mirabili declarasse ad Reginam cœli, Dominam mundi, Virginem dico Mariam, sponsam & conjugem summi Regis non extendi. Nec id Sanctorum Patrum sententiis dissonat, dicentium solum Christum sine peccato conceptum, solum sine peccato venisse in mundum. Verum quidem est quòd solus Christus est sine peccato conceptus, ex modo & specie conceptionis, quæ immediatâ operatione virtutis Altissimi perfecta est, cui non poterat quæcumque macula sociari, cum quo stat quòd Conceptio Virginis poterat esse munda ex dono supervenientis gratiæ, & hoc hæc dictio solum non excludit. Simile in Deuteronomio legitur, quòd soli Deo est serviendum, & tamen dicit Apostolus Dominis fidelibus serviendum. Simile in locis plurimis Scripturæ Sacræ reperitur. Nec in hoc honor Dei minuitur, nec conceptionis Christi privilegio derogatur. Major siquidem laus, honor & gloria accrescit Deo ex ampliori nobiliorique dato beneficio. Et quod oro majus beneficium, innocentia aut delicti commissi venia? Instruimur ex parabola Lucæ de juvene prodigo & seniori filio, ecce revertenti filio prodigo post peccatum pro magno munere fit convivium de uno vitulo saginato, sed ad filium seniorem qui nunquam mandatum patris præterivit gratiosior vox dilapsa est. Dixit siquidem ei pater, *Fili omnia mea tua sunt.* Majus igitur beneficium est à peccato nè incurratur præservare quàm peccatum jam commissum indulgere. Plus fecit Christus Apostolis in gratia, nè in peccatum laberentur confirmando, quàm publicanis iteratis à peccatis vicibus justificando. Plus præstitit Mariæ suæ benedictæ, conferendo gratiam, nè peccatum committeret ullum, quàm Mariæ Magdalenæ, cui dimisit

peccata

peccata multa: *Quia dilexit multum.* Undè singularis gloria est in electis, de nunquam cecidisse. Præcipuum opus medici, ut dicit B. Augustinus in de doctrina Christiana, est in præservando. Non enim perfectus reputatur medicus, qui scit & potest curare ab infirmitatibus jam incursis, si nesciat præservare à futuris. Laudatur igitur plus & magis honoratur medicus ex conservatione sanitatis, quam ex curatione ægritudinis. Cur non similiter in proposito cumulatioris laudis & honoris ratio accrescit Deo ex præservatione Virginis ab originali culpa, quàm ex contractæ culpæ liberatione & indulgentia? Accrescit utique: nec ex hoc conceptionis Christi privilego derogatur. Non enim conceptionem Christi & Mariæ Virginis, simpliciter & ex integro patificamus. Christus namque conceptus est de Spiritu sancto: Mariæ ex viri & mulieris consortio. conceptio Christi non præcessit animationem tempore, Conceptio Mariæ longè prior fuit animatione. In Conceptione Christi datus est Spiri-Sanctus non ad mensuram: Maria determinati gradus, quamquam excellentem recepit gratiam. Et Christus cum gratia recepit gloriam: Maria cum gratia miseriam. Et pœnalitates quasdam corporis susceptit Christus voluntariè, Maria ex conditione & necessitate naturæ: & si quis introrsus inspexerit has duas Conceptiones limpidè videbit unius super aliam apertissimam excellentiam. Conceptio namque Virginis munda fuit non ex modo & conditione conceptionis, sed ex superveniente summi Dei gratia, quæ si desuper gratiosè non fuisset data, ut cæteræ conceptiones originali labe fuisset sordida. Conceptio verò Christi munda fuit, non dumtaxat ex præventione gratiæ, sed ex conceptionis modo & specie. Undè non indiguit gratiosa ab immunditia præservatione, etsi ex Dei placito non fuisset impertita gratia, non ob hoc fuisset maculosa: propter quod hæc propriè dici debet privilegiata. Privilegium quidem dicitur, quasi privatio legis, conceptio autem Christi, quia non fuit secundum cursum naturæ, non fuit comprehensa sub lege. Hinc non rectè dicitur à lege exempta, nec propriè ut prædicitur privilegiata. In nullo igitur derogamus privilegio conceptionis Christi, in hoc quod dicimus Beatam Virginem à contractione peccati originalis gratiosè præservari. Fuit consequenter objectum, si Maria Virgo inquiunt non contraxit originalem maculam, jam redemptione non indiguit, jam Christus ad salvandum omnes in carnem non descendit jam non omnium fuit Redemptor, non omnium à morte peccati & gehennæ Liberator contra Sanctorum Patrum attestationes. Sed pro intellectu

horum

horum prædictis adjicimus quod præservatio ex munere gratiæ, nè quis in peccatum prolabatur, continetur sub redemptionis effectu. Gratia enim quæ per Christum datur, ait Augustinus in De libero arbitrio, non solùm facit ad remissionem peccatorum, sed ut lex impleatur, ut natura liberetur, nè peccatum dominetur, scilicèt in futuro. Peccatum etenim jam admissum nobis dominatur, quia per ipsum peccati servi constituimur. Et ex Concilio Milevitano legitur, qui dixerit gratiam Dei, quâ justificamur ad solam remissionem peccatorum, quæ commissa sunt valere, & non etiam in adjutorium, ut non committantur, anathema sit. Cùm igitur gratia Christi Redemptoris, se extendat ad præservationem à peccatis futuris, nè committantur, quomodo etiam valere non poterit ad præservationem, nè originale peccatum incurratur. Correlarium ex his deducimus, quòd quantò quis ampliùs de Divina gratia participat, per quam præservatur à peccatis, tantò magis participat de redemptionis effectu, & quantò quis plus participat de redemptionis effectu, de tanto propinquior est Redemptori, ut in naturalibus dicimus, quòd qui plus participat, de caliditate propinquior est primo calido. Et in moralibus, qui plus participat de virtute propinquior est fœlicitati. Et in Politicis, qui plus participat de honore & dignitate, propinquior est Regi sivè Præsidenti. Virgo igitur Regina, quia in Divinis Charismatibus cunctos mortales præcellebat, pro quanto in ipsam se infudit gratiæ plenitudo, non à redemptione secluditur, sed quam maximè Redemptori intimatur. Redemptionis siquidem effectus major aut minor considerari habet ex superabundantia divinæ gratiæ, quæ ex liberalitate redemptionis conceditur ad præservationem à peccatis futuris. Manifestum enim est, quòd quantò quis ampliùs de divina gratia habet per quam peccatis præservatur, tantò magis participat redemptionis effectum, & quantò quis plus participat de redemptionis effectu, de tanto propinquius est redemptioni. Quòd siquidem plus participat de bonitate finis propinquius est fini. Uti in naturalibus dicimus, quod plus participat de calliditate propinquius est igni primo calido. Et in moralibus, qui plus participat de virtute propinquior est fœlicitati. Et in Politicis, qui plus participat de honore & dignitate, propinquior est Regi seu Præsidenti. Virgo igitur Beata, quia propinquior est Redemptori inter omnes creaturas plus participabit de redemptionis effectu. Est igitur nostræ intentionis dicere quod major aut minor redemp-

tionis effectus considerari habet ex abundantia divinæ gratiæ, quæ ex liberalitate redemptionis conceditur quam ex magnitudine seu multitudine peccatorum à quibus liberatur qui redemptus dicitur. Ex his Joannes Baptista, qui innocens fuisse asseritur, magis dicitur redemptus quàm princeps publicanorum Zachæus. Redemptus inquam non à peccato quod infuit, sed quod infuisset si gratiâ Redemptoris præventus non fuisset, undè sicut aliqui indiguerunt Redemptore Christo ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa magis indiguit redemptione præveniente peccatum, ut esset ab illo aliquando contrahendum. Dicitur igitur plus redemptus non qui plura mala commisit à quibus liberatur, sed qui plus de gratia Redemptoris participat, quæ à pluribus malis præservat. Sicut in naturalibus non dicitur aër lucidior, qui illuminatus magis fuit tenebrosus, sed qui de lumine participat ampliùs. Nec Doctor quis dicitur, qui primò magis ignarus, sed qui plus participat de sapientia. Nec excellentior quis dicitur, qui despectior aut abjectior fuit, sed qui potiori gradu fulget honoris. Nec in cœlo beatior dicitur, qui fuit priùs magis peccator, sed qui sublimiori dono gloriæ cæteros antecellit. Suffragatur exemplum suprapositum de medico, qui perfectior dicitur cùm præservat ab ægritudine quàm cùm curat ab infirmitate. Et quamquam non sit opùs benè habentibus medicus, ut sanentur ab ægritudine, opùs tamen habent medico, ut præserventur, nè incidant ægritudinem. Secundùm hunc modum dicit Beatus Bernardus super Cantic. Christus qui ante Incarnationem fuit Angelis redemtio, post Incarnationem factus est hominibus redemptio. Qui enim erexit hominem lapsum, dedit Angelo stanti, nè laberetur, sicut illum de captivitate eruens, sic hunc de captivitate defendens. Ex his sanè intellectis videri poterit quomodo nemo redditur liber, nisi qui priùs fuit servus, nemo redimitur, nisi qui fuit captivus. Sicut enim Dominus manumittens servum in utero reddit eum à servitute liberum, à servitute, inquam, cum qua fuisset natus, si à Domino non fuisset manumissus, si quis redimitur à captivitate non quâ tenetur vinculis, sed quam incurrisset, si gratia Redemptoris ei non succurrisset: *Eruisti me Domine*, inquit Propheta, *ab inferno inferiori.* Quomodò ereptus est ab inferno, in quo nulla est redemptio? Dixit se ab inferno erutum, quia intelligit se, nè descenderet præservatum. Iterùm dicit Propheta: *Ego in innocentia mea ingressus sum, redime me Domine*

& miserere mei. Ecce innocens petit redimi & misericordiam sibi exhiberi. Si malum ei adjacet, à quo petit redimi, jam non est innocens. Petit igitur redimi à malo quòd incurreret, si non eum misericordia Domini præservaret. Satis dictum est capere volentibus. Nec enim nostri propositi est prolixiori Sermone scholasticis pugnis insistere, nec compescere volentem prætervenire. Ostendimus utcumque possibilitatem præservandi Virginem ab originali macula fidelibus, ad magificandum Dei omnipotentiam, ordinem & modum præservationis ad declarandam ejus sapientiam. Ptæservationem diximus factam, ad laudandum Dei pietatem & clementiam. Fecimus ut potuimus, non ut voluimus.

Finit Sermo de Conceptione Beatissimæ MARIÆ *Virginis, in nobili Helvetiorum civitate Argentina chalchographatum per Ioannem Bryniger, 1504. Salvatoris Anno, in die Blasii.*

TRACTATUS AUCTORIS ANONYMI

DE CONCEPTIONE IMMACULATA Beatiſſimæ Virginis Genitricis MARIÆ. Repertus in Bibliotheca Fuquetiana manuſcriptus antiquis characteribus pulcherrimis.

Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. In præſenti Tractatu incrementum honoris Immaculatæ Dei Genitricis, quâdruplici Viâ intendo ipſam oſtendere fuiſſe in ſua Veneranda Conceptione, ab exordio ſaltem infuſionis animæ in corpore, ab originali macula præſervatam. Prima Via ſumitur ex figuris Scripturarum, quibus fuit præſignata. Secunda autem ex auctoritatibus Sanctorum, quibus fuit atteſtata. Tertia ex rationibus Doctorum, quibus fuit confirmata. Et quarta ex evidentia miraculorum, quibus fuit clarificata. Et ſecundùm quadripartitam Viarum iſtarum differentiam in quatuor Articulos præſentem dividam Tractatum. In primo agam de prima Via, in ſecundo de ſecunda, in tertio de tertia, & in quarto de quarta.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

QUantùm igitur ad primum Articulum ; prima Via ad oſtendendum Immaculatam Dei Genitricem in ſua Veneranda Conceptione fuiſſe ab originali macula præſervatam, ſumitur ex figuris Scripturarum, quibus fuit præſignata. Et quantùm ad iſtum Articulum ſciendũ eſt, quòd ſicut Virgineus & divinus Immac. Virginis partus multifariè multiſque modis invenitur in Scripturis figuratus : ſicut per Rubum Moyſi & Virgam Aaron, per Vellus Gedeonis, per Thronum Salomonis, per Portam Ezechiëlis ; ſic eam ab originali macula præſervatam, invenio quatuordecim figuris ſpecialibus ſingulariter figuratam. Figuratur primò in verbis illis Summæ Trinitatis, Geneſis 2. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Figuratur ſecundò per mulierem illam Gen. 3. quæ contritura erat caput ſerpentis. Tertiò, per mulierem amictam ſole, calcantem lunam ſub pedibus ſuis ; quartò per vitem, quintò, per palmam, ſextò per arcam fœderis, ſeptimò per cedrum, octavò per cypreſſum, nonò per myrrham, decimò per roſam, undecimò per lilium, duodecimò per auroram, tertiodecimò per diem, quartodecimò per maris ſtellam : quæ ſingulæ figuræ imperfectè & diminutè competunt ipſi Virgini, ſi concepta fuerit in peccato originali.

Figuratur igitur primitùs Immaculatæ Virginis ab originali præſervatio, in verbis illis Summæ Trinitatis, Gen. 2. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* In hoc enim Deus Adæ veteri Evam in adjutorium ſimile ſibi ad carnalem filiorum ſuorum generationem figurabatur quod dixit Deus Adæ novo, Immaculatam Virginem in adjutorium ſimile ſibi ad peremptorium veteris Adæ filiorum generationem. Propter quod ad hoc propoſitum dicebat devotus Bernardus in in Sermone de Aſſumptione, incipiente : *Signum magnum apparuit in cœlo : Et quidem,* inquit, *ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus, ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum ; congruum magis erat ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Et ut alio loco dicit : *Sicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita & ſine ipſa refectum ſit nihil. Et quomodo Eva data Adæ veteri in adjutorium, quò foret magis ſimilis ſibi, ipſa fuit os ex oſſibus ſuis, & caro de carne ſua ; ita & Immaculata Virgo data Adæ novo in adjutorium, quò foret magis ſimilis ſibi. Ipſa fuit os de oſſibus Virginis,*

nis, & caro de carne ſua. In figurationis autem Scripturæ, figuratum ſemper præſtantiùs eſt quàm figura. Ergò ſimilitudo inter Adam novum & immaculatam Virginem præſtantior eſſe debuit, quàm ſimilitudo inter Adam veterem, & Evam. Sed ſimilitudo inter Adam veterem & Evam tanta fuit, ut ſicut Adam vetus formatus eſt ſine peccato originali, ita & Eva, ergò ſicut novus Adam conceptus ſine peccato originali, ita & Immaculata Virgo ſine peccato originali concepta fuit; vel non fuit tanta ſimilitudo inter Adam novum & Immaculatam Virginem, quanta fuit inter Adam veterem & Evam: quod eſt figuræ Scripturæ contradicere.

Figuratur etiam ſecundò hæc Immaculatæ Virginis præſervatio, per mulierem illàm quæ contritura erat caput ſerpentis. Geneſis 3. dicebat Deus ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & illius; ipſa conteret caput tuum.* Quæ contritio hoc modo facta fuit in Conceptione Virginis. Serpens enim antiquus humano generi infeſtus, impugnando in ſingulos Adæ filios originalem culpam in primordio ſuæ Conceptionis, in hoc cenſebatur ſpiritualiter necare ipſos, & quaſi crudelibus faucibus ſtrangulare; quæ eſt cauſa, ſecundum devotum Bernardum libro de duodecim gradibus humilitatis, propter quam omnes naſcimur morituri: *Naſcimur omnes*, inquit, *morituri, quia prius morimur naſciturí; & tanquam abortivi, naſcimur mortui ſtrangulat.*

Sed dum Tortuoſus ille, ſicut ſolitus, cæteros aggreſſus eſt ſtrangulare Virginem, nihil paſſa eſt ab eo. Quinimò ipſa ex tunc gratiæ plenitudine præminuta & roborata, vires ejus illiſit, & potenti virtute triumphans in hoc contrivit caput ejus: quòd ſic contrito capite, in quo vigit principium motûs omnis & ſenſûs animalis, animal ipſum ſine viribus eſt; ſic ſerpente ſuo primo aggreſſu nihil potente in Virginem, ſed impaſſibilis virtute ſuperato, quàm contrito capite, vires nullas in ipſam habuit, & poteſtatem omnem quam in ipſam acceperat, in perpetuum amiſit. Sed ſi dixerimus originalem contraxiſſe culpam, conſequens eſt concedere, ipſam fuiſſe à ſerpente ſtrangulatam nec eſt ultra facilè intelligere quo pacto ſtrangulata ſtrangulantis caput conterere potuerit; neque quomodo ipſam pluſquam cæteri Adæ à ſerpente invicta perſtiterit: & privabitur Virgo inſigni illo triumpho, à Deo ſibi ab initio ſæculi ſingulariter reſervato.

Et huic figuræ de contritione Capitis ſerpentis, perſimilis eſt figura ſequens, in qua Immaculatæ Virginis ab originali præſervatio figura-

tur

tur per mulierem amictam sole, lunam calcantem sub pedibus suis, prout scribitur Apoc. 12. Lunam istam sub pedibus mulieris subsstratam, dicit devotus Bernardus in præallegato Sermone, Signum magnum apparuit in cœlo; figurare draconem illum magnum, Luciferum, qui ut luna semper variabilis & defectibilis, tanquam luna eclypsata lumen sapientiæ perdidit in decore suo. Nimirum ipse Draco est ille, exspectans devorare partum mulieris, & serpens antiquus insidians calcaneo ejus. Sed ex tunc, sanè prostratus & conculcatus, sub Immaculatæ Virginis jacuit pedibus, quando ipsa suâ Conceptione, ut suprà dictum est, contrivit caput ejus. Nec ab his ambabus figuris aliena est figura quarto loco posita, in qua Immaculata Virgo figuratur per vitem, Eccli. 24. ubi in ejus persona dicit Scriptura: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Vitis enim hanc virtutem habet, quod solo odore extinguit bufonem. Porrò idem est pœnitùs & Virginem in odore suæ Conceptionis extinxisse venenosum Bufonem, & contrivisse caput serpentis.

Congruit his quatuor figuris figura quinto loco posita, in qua Immaculata Virgo figuratur per palmam, sicut de ipsa scriptum est ibi suprà, Eccl. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma nunquam signum est victoriæ, & titulus triumphalis; qualis insignis tituli gestatio nulli de filiis Adæ magis quàm Immaculatæ Vigini competit, quæ sola ex ipsis Draconem suppeditare posuit, venenosum extinguere Bufonem, & conterere caput Serpentis.

Figuratur sextò Immaculatæ Virginis ab originali præservatio, per Arcam fœdoris. Quam figuram allegat Dominus Bonaventera super 3. Sentent. distinct. 3. à quibusdam dicentibus & benè dicentibus, corpus Immaculatæ Virginis designari per Arcam fœdoris, & animam ejus per urnam auream manna cœlesti repletam, quæ in Arcam introducta figurabat, Immaculatæ Virginis animam priùs saltem natura repletam fuisse gratiâ, quàm corpori infusam. Sed & hæc dignatio corporis per Arcam, aliâ factione figurat ejus ab originali immunitatem. Nam mandaverat Deus Moysi, Exod. 25. componere Arcam de lignis Sethim, & operire illam intùs & foris auro purissimo. Quæ gemina materia testatur immunitatem Virginis ab originali macula. Nam ligna Sethim de sua conditione imputribilia sunt; aurum etiam ex quo componebantur vasa Templi, purissimum. Ergò si Immaculata Virgo figurari debuerit per Arcam, oportet quòd ab omni impuritate & putredine

tredine aliena fuerit; quod esse non potest, nisi sine originali concepta fuerit.

Cui figuræ de lignis Sethim congruunt septimò & octavò figuræ sequentes, in quibus Immaculata Virgo comparatur Cedro & Cypresso. Propter quod de ipsa scribitur ubi priùs Eccl. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Syon.* Cedrus enim & Cypressus, quemadmodum & ligna Sethim, inter cæteras odoriferas arbores hanc sibi proprietatem vendicant, quòd sint imputribiles. Qualis imputribilitas, nè Virgini deesset, quò minùs ipsa Cedro, Cypresso atque lignis Sethim comparari deberet; *quod natum est ex ea sanctum*, suam dispositi accellerare resurrectionem, ne daret sanctum Matris funus videre corruptionem. Et hæc imputribilitas lignorum istorum, hâc ratione ostendit carentiam originalis maculæ fuisse in Conceptione Virginis. Nam ligna ista sunt hujus conditionis, quòd primò ista condita fuerint putrefactibilia, & postmodum per modum aliquem posteriùs additum facta fuerint imputribilia. Et ideò si Immaculata Virgo verè Cedrus & Cypressus fuerit, oportet quòd à primordio suæ Conceptionis, & non postmodum imputribilis facta fuerit. De imputribilitate loquor, per negationem actûs, non per negationem potentiæ. Nec majorem Matri attribuere volo, quàm Filius assumpsit. Cujus si Resurrectio accelerata non fuisset, tandem sanctissima ejus caro incinerata fuisset, nisi Deus novo miraculo ipsam præservasset. Principium autem putredinis huic imputribilitati oppositæ, est ipsum originale peccatum; per quod, ut ait Apostolus ad Roman. 5. mors intravit in mundum. Ergò si Virgo ad instar Cedri Cypressi, imputribilis creata fuerit, oportet quòd vel opposita simul fuerint in eodem, vel quòd originali caruerit.

Figurarur nonò intemerata Virgo per Myrrham electam; propter quod de ipsa dicit Scriptura ubi priùs, Eccl. 24. *Quasi Myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Myrrha namque hanc virtutem habet, quòd vermium putredinem nedum à se, sed ab aliis putrefactibilibus arcet. Qualis virtus mysticè fuit in Virgine, quæ vermium carnalis concupiscentiæ nunquam experta est in se pruriginem; sed & illorum petulantiam, ut ait devotus Bernardus, solâ vultûs venustate in aliis mortificabat. Et hæc mysteria virtus Myrrhæ, non minùs quàm imputribilitas Cedri & Cypressi, concludit, in Conceptione Virginis fuisse carentiam culpæ originalis. Nam si virtus Myrrhæ hoc habet, quòd ab infectione originalis

lis proprium defendat ſubjectum; & Immaculata Virgo putredine originalis culpæ infecta fuerit: quomodò Myrrhæ electæ comparari potuit? Conſtat igitur, quòd ſi Myrrhæ electæ comparari debuerit, quòd originalis putredine nunquam infecta fuerit.

Figuratur decimò Immaculata Virgo per Roſam; propter quod de ipſa ſcribitur ibi ſuprà, Eccl. 24. *Quaſi plantatio Roſæ in Iericho.* Et ad ejus ſingulare præconium cantat hodiè Sancta Mater Eccleſia:

Ad nutum Domini, noſtrum ditantis honorem.
Sicut ſpinâ roſam genuit, Judæa MARIAM.

Roſa namque hanc ingenuam conditionem habet, quòd cùm de ſentibus naſcatur ſpinoſis, nullum tamen ex ipſis contrahit aculeum. Spinæ verò in myſticis interpretationibus ſæpiùs deſignant peccatum. Sicut Geneſis in maledictione terræ, *in Opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas & tribulos germinabit.* Quòd myſticè exprimunt Sancti Doctores de terra carnis noſtræ; quæ originali peccato ſeminata, concupiſcentiarum nobis germinat ſpinas, & tribulos libidinum. Perfectiſſimè igitur Immaculata Virgo comparabitur Roſæ; quæ roſarum omnem ſuperans pulchritudinem, de parentibus originali peccato infectis tamquam Roſa de ſentibus nata, & inter ſpinas & tribulos libidinum concepta, nullum ex ipſis parentibus contraxit originalis aculeum, Propter quod ad hujus confirmationem, iterùm de Virgine canit Sancta Mater Eccleſia in Officio Aſſumptionis: *Et ſicut dies verni circumdabant eam flores Roſarum.* Sed dumtaxat flores Roſarum; cur ita? Quia certè rami Roſarum ſpinoſi ſunt & hiſpidi, Flores verò Roſarum lenes pœnitùs, pœnitùſqus à ſpinis expertes. Et indè Sancta Mater Eccleſia, ut ſub hoc typo profiteretur Immaculatam Virginem in ſua Conceptione de parentibus originali peccato infectis tamquam purum Roſæ Florem, de ramis ſpinoſis nullam contraxiſſe peccati ſpinam, ſupreſſo ramorum nomine, de ſolis Floribus facit mentionem: *Et ſicut dies verni*, inquit, *circumdabant eam Flores Roſarum.* Et tunc Immaculata Virgo erit *tanquam plantatio Roſæ in Iericho*, ad modum Roſæ quinque formata & ornata pampinis ſpecioſiſſimis; in quarum ſpecioſitate nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Prima pampina eſt, quòd fuit ſine originali peccato concepta; ſecunda, quòd fuit ſine corruptione fœcunda: tertia, quòd ſine gravamine gravida; quarta, quòd ſine dolore Puerpera: quinta, quòd nedum purum hominem, ſed verum Deum pariter & verum hominem ſine detrimento Virginita-

tis ineffabiliter eſt enixa. Sed ſi ipſam contraxiſſe originalem maculam dixerimus, primam ſuarum pampinarum ſibi detrahimus, & ſpeciem ejus deſcendere facimus à Roſa in violam; atque derogamus Scripturæ, quæ Reginam Virginum Roſæ ceuſuit comparandam.

Figuratur undecimò Immaculata Virgo per lilium inter ſpinas; propter quod dicebat Sponſus de ipſa, ſpecioſus forma præ filiis hominum, Cant. 3. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Lilium namque eſt flos candidiſſimus, nullam in ſe habens permixtam maculam. Porrò ſpinæ, ut præmiſi, cùm concupiſcentiarum & libidinum deſignant aculeos in noſtra carne ex originalis peccati ſequela derelictos, candidum igitur lilium inter ſpinas pungentes exortum, ſed minimè laceratum, innocentem figurat Immaculatæ Virginis animam, in ſua Conceptione corpori inter ſpinas & tribulos propagato unitam; ſed ſingulari privilegio à punctura originalis peccati illæſam ſervatam.

Figuratur duodecimò Immaculata Virgo per Auroram conſurgentem; propter quod pulchritudidem ejus admirantes ſodales Sponſi, exclamabant Cant. 6. *Quæ eſt iſta quæ procedit ſicut Aurora conſurgens?* Aurora namque ſecundùm ſuam eſſentiam ſplendor eſt à ſolis radiis emanans, priùſquam ſupra noſtrum oriatur hemiſphærium. Et habet Aurora duas iſtas conditiones. Prima eſt; quòd quàm citò oriri cœperit, continuè conſurgit, & conſurgendo continuè creſcit atque dilatatur ſplendor ejus. Secunda: quòd ſicut nunquam exivit ab occaſu, ſic nunquam vertit in occaſum; ſed oriente ſole mox à radiis ejus excipitur, & transformatur in diem, nec eſt ampliùs Aurora. Et ideò Auroræ conditioni repugnat occaſus. Nam ſicut ex plenitudine lucis proceſſit, ſic in lucem continuè proficiens, tandem in plenitudinem lucis diffinitur. Et iſtæ duæ conditiones de directo opponuntur conceptis in peccato originali, ut Auroræ conſurgenti comparari non poſſint. Primò namque concepti in peccato originali, poſtquàm orti ſunt à Deo per creationem, non continuè conſurgunt ſicut Aurora, neque continuè creſcit in ipſis lumen naturæ. Secundò, mox ut orti ſunt, ruunt in occaſum originalis culpæ, ubi obfuſcatur in ipſis lumen naturæ, & obex opponitur lumini gratiæ. Propter quæ, Auroræ conditiones nullo modo poſſunt eis competere. Et ideò ſi Immaculata Virgo originalem maculam contraxerit; clariſſimum eſt quòd Auroræ conſurgenti comparari non poterit. Sed quòd Spiritus Sanctus voluerit ipſam nomine Auroræ nominare, in hoc datur intelligi: quòd Venerandam Virginis duxerit clarificare

rificare Conceptionem, & oſtendere ſplendidam ejus animam tamquam Auroram lucidam in ortu ſuo à Deo per creationem fuiſſe mox in lumine gratiæ, & ſplendore Sanctorum creatam; nec exindè in occaſum originalis culpæ corruiſſe, ſed ab inſtanti infuſionis ejus in corpus, de concreata gratia in gratiam alteram, & de virtute in virtutem, ſicut Aurora ſolet de ſplendore in ſplendorem, continuè conſcendiſſe: donec ſecundùm devoti Bernardi ſententiam ampliùs declarandam, ipſa Immaculata Virgo in Conceptione Unigeniti ſui, qui verus eſt Sol juſtitiæ, à radiis divinitatis ejus perampliùs illuminata & in bono confirmata, ſicut Aurora in ortu ſolis, converſa eſt in diem (Quod dictum eſt ſecundùm imaginationem devoti Bernardi) vel ſi magis libet, & magis congruum eſt, donec in ejus Aſſumptione ipſa à vehementia claritatis abſorpta, transformata eſt in diem longè clariorem & perfectiorem.

Figuratur tertiodecimò Immaculata Virgo per Diem; propter quod, ut dicere promiſeram, devotus Bernardus in quodam Sermone, hoc modo exponit verſum iſtum Pſalmi 18. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam; Dies diei*, inquit, *hoc eſt, Angelus Virgini, quæ facta fuit Dies in conceptione Filij ſui, Eructat verbum, id eſt, annuntiat arcanum conceptionis Filij Dei; qui verbum eſt, quod in principio apud Deum. Et nox nocti, hoc eſt, Serpens mulieri indicat ſcientiam, ſupple, boni & mali; quam Serpens mulieri promiſerat, ſi ſuæ fallaci aſſentiret ſuggeſtioni.* Si igitur ſecundùm devotum Bernardum Immaculata Virgo Dies eſt; ſequitur quòd ab Aurora incepit: inceptio Autem Virginis non poteſt eſſe, niſi ſua Conceptio. Quòd ſi ſua Conceptio Aurora fuerit, jam oſtenſum eſt quòd oportet quòd originali caruerit. Porrò Aurora iſta quando in Annuntiatione Angelica mutata eſt in Diem, tunc Dies Diem ſalutavit, & eructavit ei Verbum, quod per ſuam Sapientiam perpetratam reparavit malitiam, quando nox nocti indicat ſcientiam.

Figuratur quartodecimò Immaculata Virgo per maris Stellam; quæ figura competit Virgini & ex ſui nominis interpretatione. Interpretatur enim MARIA, Maris Stella. Sed incidit quæſtio quare Spiritus ſanctus magis voluerit Virginem nominare nomine Stellæ Maris, quàm nomine manè ſurgentis Luciferi; cùm maris Stella non multùm magna corpore appareat, nec multùm clara in lumine: èconverſò verò nulla eſt in cœlo ſtella, quæ Lucifero matutino videatur aut quantitate præſtantior, aut fulgore ſplendidior; foretque rectior comparatio, in

qua Pulcherrima Virginum comparatur pulcherrimo ſyderum? Reſponſio. Reverà matutinus Lucifer plurimas proprietates pulcherrimas habet, & prærogativis Virginis congruentiſſimas. Primùm enim matutinus Lucifer nuntiat ſolis ortum mundo. Propter quam proprietatem ſecundùm Doctores Sanctos, figurat præcurſorem Salvatoris Joannem Baptiſtam; qui tamquam alter matutinus Lucificer, Salvatoris adventum, qui verus eſt Sol juſtitiæ, nuntiavit mundo, & adventum demonſtravit digito. Inſuper matutinus Lucifer planeta eſt clariſſimus, benevolus ſoli propinquiſſimo, inter ipſum ſolem & orbem terræ medius. Quæ conditiones nulli Sanctorum magis propriè conveniunt quàm Immaculatæ Virgini: quæ utique poſt Filium eſt omnium Sanctorum clariſſima, nobis peccatoribus benevolentiſſima, ſoli Chriſto qui ex ipſa ortus eſt & naturâ & gloriâ propinquiſſima, inter ipſum & nos miſeros iræ filios mediatrix opportuniſſima. Sed tam præclaris conditionibus admixtam habet hanc imperfectionem, quòd patitur occaſum. Occaſus autem propter carentiam lucis quæ figurat gratiam, ſæpiùs deſignat peccatum. Quapropter ad tollendam omnem prorsùs occaſionem, nè quis vel leviter in futurum ſuſpicari poſſet, Immaculatam Virginem aliquando fuiſſe imperfectam; noluit Spiritus ſanctus ipſam quoquomodo manè ſurgenti Lucifero fore comparandam. Præelegit potiùs ad hoc myſterium dedicare ſtellam maris, quæ ſine imperfectione admixta, duabus iſtis inſignibus pollet prærogativis. Prima, quòd nunquam paſſa eſt occaſum, ſed eſt ab occaſu diſtantiſſima. Secunda, quòd ſupra cæteras cœli ſtellas altiùs elevata eſt, & inter omnes ſupremo cardini propinquiſſima. Quarum duarum egregiarum conditionum prima competit Conceptioni Immaculatæ Virginis, & ſecunda ſuæ Aſſumptioni. Ut ſit hæc nominis MARIÆ interpretatio ipſi Virgini taliter nominata A & O, principium ſcilicet ipſius complectens & conſummationem. Competit enim primò Conceptioni Virginis, quæ eſt ejus principium; & ſicut maris ſtella nunquam paſſa eſt occaſum, ſic eſt ab occaſu diſtantiſſima. Sic nec Immaculata Virgo unquam paſſa eſt peccatum, ſed eſt ab omni peccato alieniſſima. Competit ſecundò Aſſumptioni Virginis, quæ eſt ejus conſummatio. Et ſicut Stella maris ſupra cætera ſtellas altiùs elevata eſt, & eſt inter omnes ſupremo cardini propinquiſſima: ſic Immaculata Virgo in ſua Aſſumptione ſuper choros Angelorum exaltata eſt, & tamquam propinquiſſima ſupremo cardini, cùm ſedet in throno Filii, à dextris eius collataca. Sed ſi ipſam originalem

culpam

culpam contraxisse dixerimus, primam prærogativarum stellæ maris integrè sibi diminuemus; atque hanc irrogamus Virgini injuriam, quòd ipsam nomine Mariæ indignam reddimus.

Et hæc pauca de figuris Scripturarum, quæ ad istum Articulum dixisse sufficiat; ad verificandum de Immaculata Virgine verbum in principio dictum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

ARTICULUS SECUNDUS.

QUantùm ad secundum Articulum; secunda Via, ad ostendendum, Immaculatam Dei Genitricem fuisse ab originali macula præservatam, sumitur ex auctoritatibus Sanctorum, quibus fuit attestata. Et quantùm ad istum Articulum, pauca ex pluribus in medium afferam.

Inprimis Beatus Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus, vir tantæ sanctitatis, & Immaculatæ Virgini acceptus, ut ipsa crebriùs sibi in hac mortali vita aparuerit, & ipsum albâ Pontificali cœlitùs allatâ ornaverit, sedens quoque juxta Altare Virginei sui & glorioši corporis sessione consecrata, ipsum installaverit: quibus nulli mortalium post ipsum licuit impunè uti. Ita Virgini devotus & amabilis Ildephonsus in libro quem scripsit contra disputantes de Virginitate & Parturitione ipsius Virginis, inserit verba quæ sequuntur: *Constat*, inquit, Mariam *ab ipso originali peccato fuisse immunem; per quam non solùm primæ matris soluta est maledictio, &c. Nullus igitur post quam nata, delictis subjacuit, neque originale peccatum in utero sanctificata contraxit.*

Secundò, Beatus Ambrosius in Sermone de Gabaonitis loquens de ipsa Virgine, sic ait: *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.*

Tertiò Beatus Augustinus, libro de Natura & Gratia: *Excepta*, inquit, *solâ Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, volo habere quæstionem. Scimus enim quòd plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruerit, quem constat nullam habuisse peccatum. Hac, inquam, Virgine exceptâ, si omnes Sancti Sanctæque, dum hîc viverent, interrogati fuissent, utrùm sine peccato fuissent, Omnes unâ voce clamassent: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Quartò, idem Augustinus libro de quinque hæresibus, capitulo 10.

loquens in persona Filii Virginis, *Quam despicis, Manichæe*, inquit, *Mater mea est, & manu fabricata est meâ. Si potuit inquinari Mater mea cum ipsam facerem, potui & ego inquinari cùm ex ea nascerer.* Sed consequens est inconveniens, ergò & antecedens.

Quintò, Venerabilis Anselmus, de Conceptu Virginali, cap. 18. *Decuit*, inquit, *ut conceptio illius hominis ex matre fieret purissima tantâ puritate, quâ sub Deo major nequit intelligi. Cui Deus Pater Vnigenitum suum, quem de corde suo genuit æqualem sibi, ita dare disponebat, ut esset naturaliter unus idemque Dei Patris & Virginis Filius: & quam substantialiter Filius ipse Matrem sibi facere eligebat; & de quâ Spiritus sanctus operaturus erat, ut ex ipsa conciperetur & nasceretur ille de quo ipse procedebat.*

Sextò, idem Anselmus, libro de Exordio humanæ salutis, *Si quid*, inquit, *originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud propagantium, non propagatæ prolis fuit.* Et iterùm: *Si Deus castaneæ confert ut inter spinas à spinis remota, concipiatur, alatur & formetur; non potuit hæc facere Filius Matri suæ?* Et sequitur: *Planè potuit & voluit, quòd si voluit fecit.*

Septimò, idem libro de Conceptione Virginis, *Si Ieremias*, inquit, *quòd Gentibus erat Propheta futurus, in vulva sanctificatus, & Ioannes in spiritu & virtute Eliæ Dominum præcessurus, ad hæc in utero matris Spiritu sancto est repletus; quis dicere audeat, singulare totius sæculi propitiatorium, & unici Filij Dei reclinatorium mox in primordio suæ Conceptionis Spiritûs sancti, gratiâ fuisse destitutum?*

Octavò, idem ad Coëpiscopos Angliæ, *Non puto*, inquit, *verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit festum suæ Conceptionis.*

Nonò, Richardus de Sancto Victore, in Sermone, *Nondùm erant abyssi*; *Non decuit*, inquit, *ut caro* MARIÆ *qualicumque foret obnoxia culpæ. Nam Dei Sapientiæ indignum credimus, ut quam ad lumen Gentium prædestinavit, pravitatis tenebris sineret involvi. Nec erit ingratus propriæ Matri, qui patri matrique honorem præcepit exhibere.*

Decimò, devotus Bernardus in Sermone de Nativitate Virginis, incipiente, *De gaudijs ad gaudia*, super verbo, *Ex aromatibus myrrhæ & thuris*; *Caro*, *inquit*, *Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.*

Undecimò, Hieronymus in Sermone de Assumptione, incipiente, *Cogitis me, ô Paula & Eustochium!* super verbo, *Ave gratiâ plena: Cæteris per partes præstatur gratia*, MARIÆ *verò tota se infudit gratiæ plenitudo quæ fuit in Christo, licèt aliter & aliter.* Sed in Christo fuit gratia immunitatis ab originali macula, ergò illa fuit in MARIA, quamvis aliter & aliter; in

Christo

Christo scilicèt inseperabiliter, in MARIA verò seperabiliter, vel non fuit in ea plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo.

Duodecimò, idem Hieronymus: *Nullum tamen dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ non posset redargui de peccato, cùm fuisset ad improperium Filij.*

Tertiodecimò, idem ad Eustochium: *Qui quidem potest fari linguâ, cariùs dicat Virginem ab originali esse immunem; nihil dicet supra laudes Virginis.*

Quartodecimò, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in quodam Tractatu, quintodecimo capitulo, quem fecit contra Nestorium asserentem, quòd tempore gratiæ, maledictio culpæ non defuit, sed in Christo & Virgine fuit, sic ait de ipsa Virgine, *Post Filium*, inquit, *temerarium est ponere in* MARIA *Virgine maculam aliquam aut peccatum.*

Quintodecimò, Sanctus Thomas super 1. Sentent. dist. 17. argum. 4. in solut. 4. arg. & expressiùs adhuc dist. 20. argum. in solut. 3. argum. utrobique ad dictum Anselmi: *Decuit ut Virgo, quam Deus Pater Vnigenito suo præparaverat in Matrem, tantâ puritate niteret, &c. Puritas*, inquit, *intenditur per recessum à contrario. Et ita potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis; puta, si nullâ peccati contagione inquinatum sit.* Et sequitur: *Et talis*, inquit, *fuit puritas* MARIÆ, *quæ ab originali & actuali immunis fuit.*

Sextodecimò, ut etiam Immaculata Virgo bonum habeat testimonium ab his qui foris sunt, ut refert Nicolaus de Lyra in responsione contra Judæum; dicit Emnoria in libro Alboquam, qui est autenticus apud Saracenos, quòd audivit Nuntium Dei dicentem: *Nullus de filijs Adam nascitur, quem non tangat Sathan; & ideò plorat vociferans ex ejus tactu, præter* MARIAM *& Filium ejus.* Per Nuntium autem Dei, intelligit Mahometum. Tactus quo tangit Sathan filios Adæ, non est aliud quàm peccatum originale. Quod si sacrilegus & impius Apostata Mahometus hanc reverentiam exhibet Virgini, ut ipsam eximat ab illa generali filiorum Adam maledictione; quid dicent Angeli Sancti, quid dicet Immaculata Virgo de nobis Christianis, si ipsam hujusmodi notaverimus opprobrio? Formidari certè habemus ab ira Columbæ; nè tandem exasperata improperet nobis. Qui Mahometus insurget contra nos in judicio, & condemnabit nos; quia illo credente, nos credere noluerimus.

Et hæc pauca de auctoritatibus Sanctorum, quantùm ad istum Articulum,

ticulum, præmisisse sufficiat, ad verificandum de Immaculata Virgine verbum prædictum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

ARTICULUS TERTIUS.

QUantùm ad tertium Articulum; tertia Via ad ostendendum Immaculatam Dei Genitricem fuisse ab originali macula præservatam, sumitur ex rationibus Doctorum, quibus fuit confirmata. Et quantùm ad istum Articulum, ex tanta rationum congerie, quinque dumtaxat delegi in medium.

Prima sumitur ex verbo priùs dicto: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; quod de Virgine ostendo non verificari, si fuerit maculata originali. Ait enim Thomas Welleys supra Psalterium, exponendo verbum istud: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ex deformitate actûs culpabilis, inquit, duplex oritur macula. Una quæ est in re, & est substractio gratiæ; alia quæ est magis in ratione, secundùm quam anima dicitur in peccato fuisse. Prima (dicit iste Doctor) omninò tollitur in collatione gratiæ, secunda verò tolli nequit, sed tamen ne indecentem reddat animam, tegitur. Verbi gratiâ, sicut in peccato latrocinii; Ex deformitate enim hujusmodi actûs, duplex oritur macula. Una est quæ est in re, scilicet ipsum crimen existens in latrone qui latrocinium commisit; alia quæ est magis in ratione, scilicèt infamia, quæ ex criminis turpitudine oritur in mentibus hominum. Prima macula, scilicèt crimen benè aboletur per remissionem Principis; secunda verò, scilicèt infamia, non potest sic aboleri, quin semper remaneat in memoria hominum: tegitur tamen quodammodo in hoc, quod Princeps inhibet, nè hujusmodi infamia ultrà actori criminis improperetur. Tunc dicit ipse Doctor; quod propter primam maculam ait Psalmista: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*; propter secundam verò ait, *Et quorum tecta sunt peccata.*

Ad propositum ergò; si Immaculata Virgo semel fuit peccato originali infecta, ex hujusmodi infectione duplex orta fuit macula. Prima, quæ erat in re, tota deleta est per infusionem gratiæ; secunda tamen quæ est in ratione secundùm istum Doctorem tolli nequivit, sed tamen nè indecentem redderet Virginis animam, tecta fuit. Sicut verbi gratiâ, videmus in carbone extensè accenso. Carbo enim cùm accenditur,

ditur, nigredo ejus non tollitur, ſed tegitur; nam ſi extinguatur, ad priſtinam nigredinem revertitur. Sic macula iſta manens in ratione, ſecundùm iſtum Doctorem non tollitur in collatione gratiæ, ſed tantùm tegitur ſicut nigredo in accenſo carbone; quia maculâ ſic manente in ratione, nec deletâ, ſed tectâ: quomodo ille, in cujus oculis omnia munda & aperta ſunt quique videt ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, poterit dicere de Virgine: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Et confirmatur iſta ratio ex illo dicto Beati Hieronymi ad Euſtochium: *Audenter*, inquit, *loquor: Cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare tamen non poteſt Virginem poſt ruinam.* Ob hanc enim ruinam talis Virgo perpetuò privabitur Aureolâ Virginum, neque ſequi poterit Agnum, quòcumque ierit, ſed neque cantare canticum illorum centum quadraginta quatuor millium qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Sed ſi Immaculata Virgo infecta fuerit originali peccato, ex hujuſmodi infectione quodammodo deflorata fuit in ipſa Virginitas animæ ſuæ. Quod ſic oſtendo. Nam in Sacramento Baptiſmi, inter Chriſtum & animas noſtras ſpirituale quoddam contrahitur conjugium, & in illo lavacro Chriſtus ipſe ſibi deſponſat animas noſtras, ſubarrans illas annulo Fidei infuſæ. Sed proh dolor! cùm deſponſantur, vigines non ſunt; nam à natura jam corruptæ fuerunt & defloratæ per peccatum originale. Si ergò Immaculata Virgo originale contraxerit, ſequitur quòd Virginitas animæ ejus, ſicut virginitas animarum cæterorum Filiorum Adæ, corrupta & deflorata fuerit. Quam defloration em ſivè corruptionem æquè modicùm poterit ſuſcitare Deus, ſicut Virginem poſt ruinam. Ejuſmodi defloratione ſeu corruptione non ſuſcitatâ in Virgine; quomodo poterit de ipſa dicere Sponſus ejus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te?*

Scio tamen (nec inficior) quòd cantum iſtum de cæteris Virginibus & ſanctis mulieribus cantare ſoleat Sancta Mater Eccleſia. Sed quòd ipſe tantò ſingulariori modo de Virgine cantandus ſit, quantò præ cæteris Virginibus & Sanctis mulieribus præcellentius nomen hæreditavit; oſtendit Filius ejus, Cant. 6. ubi poſtquam in perſona veteris Salomonis præmiſit: *Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*; confeſtim ſubjunxit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* In qua ſanè figura unicæ columbæ & perfectæ, ſingularem præeminentiam Immaculatæ Virginis ſuæ ſupra cæteras Virgines & Sanctas

mulieres voluit oſtendere. Cæteræ namque Virgines & Sanctæ mulieres per differentiam meritorum, dignitates ſortiuntur vel reginarum vel concubinarum: ſed Immaculata Virgo prærogativâ ſingulari ſuper univerſas culmen iſtud obtinet, quòd ipſa ſola unica veri Salomonis columba eſt, & perfecta ejus. In hoc autem ſuper univerſas unica veri Salomonis columba & perfecta: quòd cæteræ omnes, quamvis modò coram Sponſo ſuo ornatæ, totæ pulchræ, & ſine macula ſint in cœlo, non tamen ſic ſemper totæ pulchræ & ſine macula fuerunt vel in præſenti ſæculo, vel in matris utero; omnes quippè declinaverunt, omnes ruinam paſſæ ſunt, omnes corruptæ & abominabiles factæ ſunt: ſola Immac. Virgo eſt, quæ omni loco, omni tempore, omni maculâ caruerit. Sola eſt, quæ & in ſua Conceptione in utero, & in ſua converſatione in ſæculo, & in ſua Aſſumptione in cœlo, ſemper tota pulchra fuerit. Et hæc eſt illa pars ejus optima; quæ non tantùm non auferetur ab ea, ſed & in qua nemo de filiis hominum participabit cum ea. Hæc eſt illa pars, propter quam videntes filiæ Syon, Beatiſſimam prædicaverunt, & reginæ atque concubinæ laudaverunt eam, dicentes: Omnes quidem peccavimus, omnes maculatæ ſumus; tu ſola unica Sponſi columba es, & perfecta ejus: omnes profitemur de te, quòd Tota pulchra es, & ſemper fuiſti, & macula non eſt nec fuit in te.

Secunda ratio ſumitur ex eo, quòd Immaculata Virgo conſecuta eſt quòd ſit Mediatrix inter nos & Filium ſuum, ſicut Filius ſuus inter nos & Deum. Et arguitur ſic. Sicut Immaculata Virgo conſtituta eſt Mediatrix inter nos & Filium ſuum, ſic decuit ut juſtificationem quamdam haberet mediam inter juſtitiam Filii, & juſtificationem noſtram; quæ eſſet ſcilicet inferior juſtitiâ Filii, & ſuperior juſtificatione noſtrâ. Sed juſtitia Filii ſui, eſt mera innocentia, inexiſtens ei per naturam; juſtificatio verò noſtra, eſt non imputatio peccatorum, quæ ineſt nobis per indulgentiam ſeu remiſſionem. Juſtificatio verò media inter iſtas duas juſtificationes, eſt innocentia per gratiam; quæ inferior eſt juſtitiâ Filii, in quantùm non ineſt per naturam, ſed per voluntariam indulgentiam, & ſuperior eſt juſtificatione noſtrâ, in quantùm non eſt tantùm non imputatio peccatorum, ſed immunitas à peccato per gratiam, quam habuit Immaculata Virgo. Talis autem innocentia ſivè immunitas repugnat illis qui peccatum originale contraxerunt. Ergò ſi Immaculata Virgo hujuſmodi immunitatem habuit, ſequitur quòd originale non contraxit.

Tertia

Tertia ratio ſumitur ex eo quòd Immaculata Virgo prædeſtinata erat fore Mater Dei. Et arguitur ſic. Deus mandavit in Lege, Exodi 20. honorare patrem & matrem; & Salvator, Matth. 6. proteſtatus eſt ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere: ergò ſequitur, quòd Immaculatæ Virgini omnem honorem in ſua Conceptione exhibuit, quem exhibere potuit futuræ Matri. Non patitur autem honor Filii, permittere futuram matrem ſuſtinere pœnas inferni, ſi prohibere poſſit; ſed ſecundùm Doctores, majus malum eſt permanere per inſtans in peccato mortali, quàm ſuſtinere per longa tempora pœnas inferni: ergò ſi non ſit honor filii, permittere matrem ſuſtinere pœnas inferni, adhuc minùs erit ejus honor, permittere ipſam infici culpâ originali.

Quarta ratio ſumitur ex prærogativa ſanctificationis, quâ ſupra cæteros ſanctificatos ſanctificari debuit. Et arguitur ſic. Secundùm vocationem ſanctificatorum penſanda eſt magnitudo ſanctificationum; ſed ſecundùm Anſelmum, ideò Jeremias ſanctificatus eſt, quia Gentibus erat Propheta futurus: & Joannes Baptiſta, quia in ſpiritu & virtute Eliæ, Salvatorem erat præceſſurus; Immaculata verò Virgo ideò ſanctificata eſt, quia Salvatorem nedum prophetatura erat, aut præceſſura erat, ſed de ſua propria carne conceptura & paritura: ergò ſanctificatione tantò præ cæteris excellentius nomen hæreditavit, quantò ſcilicèt plus eſt eſſe Matrem quàm Prophetam ſivè Præcurſorem Salvatoris. Sed ſanctificatio Præcurſoris Salvatoris, tanta fuit quæ excluderet omne actuale peccatum: ergò ſanctificatio Matris Salvatoris major fuit ſanctificatione excludente omne peccatum actuale; ſed ſanctificatione excludente peccatum actuale nulla eſt major quàm illa quæ excludit omne actuale & originale: ergò Mater Salvatoris ſanctificari debuit ſanctificatione excludente originale & actuale.

Quinta ratio ſumitur ex Doctore Subt. ſuper 3. Sent. d. 3. Non eſt dubium, inquit, quin Deus Immaculatam Virginem ab originali macula præſervare potuerit. Non eſt dubium etiam, quin ipſam hujuſmodi contrahere maculam permittere potuerit. Quod autem iſtorum factum ſit, novit ipſe qui eam creavit. Ubi autem non derogaret excellentiæ Filii Virginis, aut veritati Scripturæ; nunquid laudabilius & magis pium eſt, attribuere Virgini quod excellentius eſt quàm illud ſibi detrahere? Atq; ubi per ignorantiam facti contingeret errare in alteram partem; nunquid minùs eſt periculoſum errare extollendo Virginem, quàm deprimendo.

Et iſta ratio eſt demonſtrativa, in iſta materia, ſi poſſit oſtendi quòd

hujuſmodi præſervatio Virginis non derogat nec excellentiæ Filii, nec veritati Scripturæ; idipſum autem diffuſiùs oſtendendo, quòd horæ præſentis pateretur anguſtia in quadam quæſtiuncula, in qua cætera de materia Venerandæ Conceptionis Virginis, quæ hîc omiſſa ſunt, ſuppleo; & rationibus atque auctoritatibus in contrarium fieri conſuetis reſpondeo ex dictis Doctorum authenticorum. Quam idcircò in quaternum redegi, ut tua licentia, ſi ſit opus, ſacroſancta ſynodus vel hîc in medio propaletur in generali Congregatione, vel ſaltem videnda exhibeatur in ſimul congregatis ſacræ Theologiæ profeſſoribus & Magiſtris in præſenti Concilio, Dei gratiâ, abundè multiplicatis, ad dandam ipſis, qui ſapientes ſunt, occaſionem abundantiùs ſapiendi, & in præſenti materia ampliùs cogitandi, atque ad exaltationem Conceptionis Immaculatæ Virginis, concluſiones aliquas eliciendi, proponendas in ſacris diſputationibus. Et quod ille Spiritu ſancto dictante deliberaverit, ſolito more concludatur in Congregatione, & demum ad perpetuam memoriam in Seſſione publica decretetur. Quid ſcis, Synode Sacroſancta, ſi forſan Filius Virginis uſque ad tempora iſta noviſſima Canonizationem Conceptionis ſuæ Matris diſtulerit, ut tibi ſingularem iſtum reſervaret honorem? Memento quomodo in electione Cœleſtini IV. non eſt priùs ad concordiam deventum, donec ſacrum Collegium voviſſet Virgini Canonizationem Octavarum ſuæ Nativitatis. Sic & nunc, ſi munus ei obtuleris ſuæ Conceptionis canonizandæ ſimul & declarandæ immunitatis ejus ab originali; Filius ejus forſan aperiret tibi ſenſum, & inſpirabit congruum aliquem modum reformationis Eccleſiæ; in quo perquirendo jam tribus annis, & durante, modicum (nè dicam, nihil) profeciſti. Grande eſt quod moliris opus reformationis Eccleſiaſticæ, & majus quàm electio Cœleſtini Papæ, quamobrem majori hîc tibi, quam illic fuit, opùs eſt Virginis auxilio. Multa alia ante te Concilia ſaxum hoc volvere tentaverunt, & non prævaluerunt. Tu quoque tribus annis & octo menſibus ad hoc magnis conatibus inſudaſti, nec adhuc principium operis inveniſti; imò quantò plus fatagis, tantò minùs agere videris. Experire igitur quod mones, & auxiliatricem tibi acquiſieris Virginem; quam non dubium eſt Filium exaudire pro ſua reverentia.

Inſuper ſi ad Canonizationem Nativitatis Virginis unicum ſufficit miraculum; quid te remorabitur canonizare Conceptionem, quam tamque multa tamque evidentia (ut ſtatim referam) prædicant miracula, & per

& per Doctores authenticos & fide dignissimos recitata? Denique cùm ista Canonizatio plurimùm cederet ad honorem Virginis, & controversia pendens in ista materia, inibi meliùs quàm in Generali Concilio terminari possit, atque Concilium ipsum Generale actu congregatum sit, & ad tres fines principaliter congregatum: quorum primus, potissimus, & qui magis de propinquo ad honorem Dei pertinet, est extirpatio errorum; urget te temporis, loci & cæterarum circumstantiarum opportunitas, ut materiam illam nedum non negligas, sed cæteris finibus, paci scilicet Fidelium, & reformationi morum, propter quod congregata es, anteponas: & facto ostendas devotionem quam geris ad Virginem. Quæ quanta fuerit, patebit, in exhibitione operis.

Postpositis igitur saltem profanis mortalium causis, quæ te plus debibito occupant, incipe ante omnia discutere causam Virginis. Pone modum inveteratis dissensionibus, impone finem altercationibus; claude ora loquentium iniqua. Decerne quid à cætero in hac materia sit credendendum; nè sit ulteriùs ultrà Immaculata Virgo vel à sibi debito suspendatur honore, vel indebitè extollatur super se. Sed rectitudine pensatâ veritatis & justitiæ, reddas quæ sunt Virginis Virgini, & quæ sunt Dei Deo. Quod si feceris, nullum dubium quin gratum Filio Virginis impenderis obsequium. Nam, ut ait Hieronymus, ad gloriam Filii pertinet, quidquid dignè Matri impensum fuerit, & solemniter exhibitum. Matrem quoque in reformatione quam flagitas, auxiliatricem paraveris; atque nomini tuo memoriale percelebre, stabile & permanens in generatione & generationem. Ad quod peragendum feliciter, tuam & inspiret,, & incitet excitetque mentem, qui Virginis ipsius fœcundavit ventrem. Amen.

Et hæc de rationibus Doctorum, quantùm ad præsentem Articulum dixisse sufficiat, ad concludendum de Immaculata Virgine verbum sæpè dictum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

ARTICULUS QUARTUS.

QUantùm ad quartum Articulum; quarta Viâ ad ostendendum, Immaculatam Virginem fuisse ab originali præservatam, sumitur ab evidentia miraculorum, quibus fuit clarificata. Et quantùm ad istum Articulum; Venerabilis Anselmus, Cantuariensis Archiëpiscopus, in

Epiſtola quam de celebratione Conceptionis Immaculatæ Virginis ſcripſit cum Decreto ad Epiſcopos Angliæ, recitat in hac materia tria miracula contigiſſe.

Primum de Helſino Abbate Remenſis Cœnobii; qui cùm in mediis Oceani fluctibus veniſſet, Angelo ab eo expoſcenti annuatim celebrare, celebrandamque prædicare, Conceptionem Immaculatæ Virginis ſedatâ ſubitò, quâ periclitabatur, tempeſtate ſalvus cum univerſa comitiva reverſus eſt in patriam.

Secundum refert de Joanne Ordine Levitâ, Regis Ungariæ germano. Quem poſtquem Immaculata Virgo de nuptiis ad cœlibatum revocaſſet, admonuit annuatim celebrare, celebandamque prædicare ſuam Venerandam Conceptionem. Quam ille poſt modicum Aquilegienſis Patriarcha effectus, per univerſam ſuam Diœceſim perpetuis temporibus celebrare inſtituit.

Tertium refert de Richardo de Pago-gallico Canonico & Preſbytero, quem ad perpetratum adulterium divinâ ultione tetris Secanæ gurgitibus ſubmerſum, Immaculata Virgo poſt triduum redivivum reduxit; ſibique in memoriam accepti beneficii ſuam annuatim celebrare, celebandamque prædicare Venerandam Conceptionem injunxit.

Quartum refert fama publica per univerſam Angliam, de Magiſtro Alexandro, Doctore Oxonienſis Univerſitatis. Qui cum unâ vice celebritatem Conceptionis Immaculatæ Virginis publicâ diſputatione prophanare decreviſſet; nocte præcedente doloribus intolerabilibus correpto vexatio dedit intellectum ſuam temeritatem recognoſcendi, & ad honorem Virginis poſtulandi Cantica Canticorum, ſimul & condendi Sermonem incipientem, *Fiat lux*, in quo ſuum errorem retractavit,

Quintum referunt Magiſtri, Henricus de Haſſia in ſuo Tractatu de macula Bernardi, & Joannes Vitalis in ſuo Defenſorio Virginis; qualiter anno Domini 1390. quidam Lector Ordinis Prædicatorum, nomine Paulus, cum in Eccleſia Crocovienſi prædicaret contra Conceptionem Virginis, in medio Sermone cecidit ante Altare, indeque obmuteſcens domum delatus, indilatè diem clauſit extremum.

Sextum refert idem Vitalis, de Magiſtro Gerardo de Piſtarus, Ordinis Fratrum Minorum. Cui Miſſam ſuam celebranti immediatè poſtquam contra Conceptionem Virginis prædicaverat, ſublatis ex Altari

Sacra-

Sacramentalibus ſpeciebus, Immaculata Virgo ipſum increpans apparuit; tandem pœnitenti correctoque ſublatas ſpecies irerùm reſtituit. Ille verò finitâ Miſſa ambonem aſcendens, mira quæ ſibi contigerant, aſtanti populo enarravit.

Septimum refert idem Vitalis contigiſſe in Eccleſia civitatis Ydomi, de quodam Fratre Prædicatore, Viennenſi natione. Qui cùm contra opinionem iſtam ſuſtinere decreviſſet in diſputatione publica ſub Magiſtro Odone Camponenſi Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Carmelo, cùm poſitionem ſuam incipere vellet, ſubitò cæcus & amens effectus, octavò die in illis perſeverans incommodis, ex hac luce deceſſit.

Octavum refert idem contigiſſe in quadam Villa Lemovicenſi, de quodam Religioſo in hac opinione adeò pertinaci, ut nunquam prædicaret, quin Immaculatam Virginem originali maculâ maculatam eſſe aſſereret. Tandem unâ die inter Miſſarum ſolemnia intactis cœteris Fratribus, lupus erumpens de ſylva, ipſum palam ſtrangulavit.

Nonum & noviſſimum ego ipſe ſicut ex fide digniſſimis accepi, refero de bonæ memoriæ Domino Elia de le Strangus, noſtræ Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopo ultimo defuncto; quem multi de præſentibus hîc Patribus cognoverunt & viderunt in Conſtantienſi Concilio. Reverendus iſte Pater cùm in Univerſitate Toloſana, in die celebritatis Conceptionis Virginis, contra Conceptionem prædicare decreviſſet, & aſcenderet ambonem, ſolito more orationem funderet ante Altare ad Viginem; ibi rationes omnes & media, quas contra Conceptionem Virginis conceperat, ſubitò de ſua memoria evanuerunt, oppoſitis in eadem fixè permanentibus. Coactuſque eſt, nè confuſionem ſuſtineret, oppoſitum ſui propoſiti prædicare. Et caſum iſtum, ut ſibi contigerat, ad exaltationem Conceptionis Immaculatæ Virginis, quamdiù vixit, & privatim & publicè, frequentiùs enarravit. Superſtiteſque ſunt adhuc in patria plures, qui iſta ex ejus ore ſæpiùs audiverunt.

Quòd ſi adhuc plura miracula requiramus (ut ait Beatus Auguſtinus ad Paganos, 3. de Civit. Dei.) Hoc unum, inquit, ſit nobis grande miraculum, quòd totus mundus credit. Jam, Dei gratiâ, per univerſam Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hyberniam, Germaniam, Sclavoniam, Italiam, in conſpectu denique Romanorum Pontificum, & & in facie generalium Conciliorum (ſicut præſens dies teſtatur) Veneranda Conceptio Immaculatæ Virginis ſolemniter celebratur, & celebranda prædicatur; profitentibus in hoc Chriſti Fidelibus de Immaculata

culata Virgine verbum prædictum : *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et ut actuum 5. ait Sanctus Gamaliël : *Si est ex hominibus concilium hoc, aut opus, dissolvetur, si verò & Deo est, non poteritis dissolvere illud* ; promovente, protegente atque prosperante ipsum ad honorem suæ Matris, eodem Deo & Dei Filio JESU Christo Salvatore nostro : qui cum Patre, & Spiritu Sancto regnat unus Deus in sæcula benedictus. Amen. Amen. Amen.

FINIS.

Sequebatur hunc Sermonem sivè Tractatum, in manuscripto originali, devotissimum Officium antiquum Immaculatæ Conceptionis, versiculis omnibus & Antiphonis expressè referentibus Beatæ Virginis ab originali peccato præservationem; exceptis pauculis, quæ assumebantur de Officio Nativitatis ejusdem, solo Nativitatis vocabulo in vocem Conceptionis transmutato. Cujus Officii Invitatorium hoc erat: *Verbum Patris, Matrem præservans à labe peccati, venite adoremus. Venite exultemus Domino, &c.* Reliqua omittimus gratiâ brevitatis; cùm Cantica hæc sivè Hymnos summè devotos ejusdem Officii Lectori pio propinaverimus.

AD VESPERAS HYMNUS.

Benedicta Conceptio Matris misericordiæ,
Festivetur cum gaudio, adsit dies lætitiæ
Lætetur tota Regio serviens Regi gloriæ;
Non obstante objurgio detrahentis invidiæ.

Eru-

Erubescant insensati, qui respuunt celebrare
Quo fuerunt copulati vir cum sua muliere.
Pessimè sunt avisati sic volentes deviare.
Conceptio laudabilis ab Angelo nuntiata
MARIÆ tam fertilis, in Conceptu præservata;
Undè & Venerabilis Ecclesia est illustrata,
Et ipsius miraculis & laudibus honorata.
Ave Regina cœlorum, inter omnes mitissima,
Ave decus Angelorum, inter omnes pulcherrima,
Simul & Archangelorum omni laude dignissima,
Sine labe vitiorum concepta es mundissima.
Tuum corpus & viscera, quæ Dominum portaverunt,
Virginalia ubera, quæ ipsummet lactaverunt;
Beata sunt & opera tua: & qui crediderunt
Quòd sine labe concepta post & antè remanserunt.
Salve Mater Salvatoris, quæ es Soror insignita;
Salve tu quæ Deum paris, Angelorum spes & vita:
Salve Virgo singularis, vera sacra margarita,
Salve quæ es Stella maris, & sine labe concepta.
Matris Dei Conceptio est nostræ redemptionis
Potissima exemptio, atque reparationis.
Non mirum si ineptio cujusque contagionis,
Affuit in principio ipsius creationis. Amen.

AD LAUDES HYMNUS.

Novum surgat in gaudium vox, mens, sensus, cor, ratio;
Plebi datur humilium, Dei Matris Conceptio.
Jam grata lux producitur, nutu superni Numinis.
A qua mox umbra pellitur primi labes originis;
Arbor vitæ fructifera, cujus flos, fructus, folium,
Nova det, fugat vetera, pellat Matris ludibrium.

Fons erumpens quadrifidus, riget, fœcundet horrida,
Gratis dulcis paradiſus corpus, cor, reddat florida.
Fructus Sacratæ Virginis JESU, dulcedo gratiæ,
In noſtræ vitæ terminis nos redde luci gloriæ. Amen.

Virgo mundi lux & vita, pretioſa margarita:
Mater Regis glorioſa; per quam capita
probroſa conteruntur dæmonis;
Salve ſemper Sancta Parens, omni prorsùs labe carens
Quia Chriſtum conceptura, eras atque paritura;
Salve ſpes Fidelium.

TRACTA-

TRACTATUS
JOANNIS PALZII,
ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,
Et ab ipso primò typis mandatus pro Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ,

Secundò, à DD. Hermanno de Hassia, Archiepiscopo Colonienſi,

Ac denique tertiò, à Nicolao de Aqualonga excusus in 16. & repertus in S. Jacobo Leodii cum statutis trium Universitatum, scilicèt Parisiensis, Colonienſis & Moguntinæ factis in favorem Immaculatæ Conceptionis.

De Conceptione vel electionè æternali Beatæ Virginis.

EST autem duplex conceptio, una æternalis, quâ ab æterno concepta est in mente divina. Altera temporalis, quâ in inchoatione temporis gratiæ, in utero Sanctæ Annæ, post excellentissimam præparationem materiæ, anima ejus dignissima, creata fuit & corpori unita. Prima ergò pars erit de concep-

ne æternali. Secunda verò de temporali, de quibus ſigillatim tractabitur.

De prima parte, quæ dicitur conceptio æternalis, eſt notandum, quòd conceptio æternalis non eſt aliud quàm æterna ejus electio juxta illud Proverbiorum 8. capite: *Ab æterno ordinata ſum.* Quamvis autem quælibet res à Deo producta vel producenda, ab æterno habuerit eſſe ideale in mente divina, juxta illud Boëtii libro 3. de conſolatione Philoſophiæ. Tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo, mundum mente gerens, pulchrorum pulcherrimus ipſe. Sicut enim carpentarius domum, quam intendit ædificare, priùs concipit enim in mente per quamdam ideam, id eſt, ſimilitudinem: ſic Dominus Deus cuncta, quæ fecit, & facturus eſt ab æterno, præconcepit in mente ſua. Sed tamen illa ſimilitudo claudicat, quia illa ydea ſecundùm quam carpentarius vel alius artifex facit domum vel opus ſuum diſtinguitur ab artifice, & non eſt ipſemet artifex; ſed ydeæ, quas habent creaturæ in mente divina, non ſunt realiter diſtinctæ à Deo; immò realiter ſunt Deus, quia quicquid eſt in Deo eſt Deus propter ſui ſimplicitatem. Ut Magiſter in primo Sentent. diſtinctione octavâ. Illa autem ydea, quam quælibet res habent in mente divina, nihil aliud eſt, quàm quædam forma exemplaris, ſecundùm quam Deus producit res ad extra. Auguſtinus in libro 83. quæſtionum quæſtione quadrageſima ſexta. Quantò autem res ſecundùm ordinem naturæ vel gratiæ ſublimior erat futura, tanto ſublimius in Deo eſt ydeata. Cùm enim ſecundùm Auguſtinum libro, quo ſuprà quæſt. de ideis; aliâ ratione factus ſit homo, & aliâ ratione aſinus, non eſt dubium, quin ratio hominis nobilior ſit ratione aſini. Sed quia Beata Virgo ſecundùm ordinem gratiæ, quæ potior eſt quàm naturæ, inter omnes puras creaturas futura erat altiſſima, igitur & ydeam habuit ab æterno in mente divina ſpecioſiſſimam. Sed fortè diceres quomodò poteſt hoc eſſe, quod una ydea in mente divina ſit nobilior alia; cùm priùs dixiſti cum magiſtro, quòd quicquid eſt in Deo eſt Deus, ſi ſic, tunc una ydea non eſt nobilior alia, quia quælibet ydea in mente divina eſt Deus, & Deus non eſt nobilior ſeipſo. Reſpondeo per diſtinctionem quam dant Doctores circa diſtinctionem trigeſimam ſextam primi Sententiarum Domini Ægidii de Roma Doctoris noſtri, & aliorum, quod ydeæ habent duplicem comparationem. Uno modo comparantur ad Creatorem ſivè divinam eſſentiam, in qua ſubſiſtunt; & ſic nihil aliud ſunt quàm divina eſſentia, juxta illud Anſelmi. Creatura in divina eſſentia

tia non est aliud quàm creatrix essentia. Alio modo ydeæ comparantur ad creaturas quas repræsentant; & sic una ydea est nobilior aliâ, non quidem in essendo, sed in repræsentando, quia una nobiliorem creaturam repræsentat quàm alia. Et sic ydea Angeli vel hominis est perfectior quàm alíni. Et ydea Beatæ Virginis comparabiliter nobilior est omnibus ydeis omnium purarum creaturarum. Habuit ergò Beata Virgo MARIA ab æterno in mente divina ydeam speciosissimam, secundùm quam ab æterno electa & prælecta fuit in Matrem Filii Dei ex omni sexu fœmineo in salutem generis humani, hanc suam ydeam pulcherrimam ipsa intuetur nunc & in perpetuum in divina essentia, de qua singularissimas gratias agere in cœlis non cessat, cui ..... nos miserrimi terrigenæ assistere debemus in similibus gratiis agendis Sanctissimæ Trinitati pro ea; juxta formam infrascriptam, ut ipsa nobis gratiosè impetret electorum numero conjungi.

ORATIO BREVIS ET UTILIS

De æternali conceptione sivè electione Virginis gloriosæ, quâ impetrare potest, ut piâ fide creditur, electorum numero connumerari.

GAude electissima Dei Genitrix Virgo semper MARIA, quia admirabili concilio in abyssо Summæ trinitatis Deus te præordinavit & elegit in Matrem Filii sui, ex omni sexu fœmineo in salutem generis humani.

Adde ad prædictam oratiunculam tria Pater noster, & totidem Ave MARIA cum uno Symbolo ad honorem suprabenedictæ Trinitatis, in illo amore, in quo Beatam Virginem ab æterno elegit, & Ecclesiæ suæ sanctæ tanta bona per eam fecit; omnibus quoque peccatoribus spem dedit, & eris gratus Beatæ Virgini, & per eam Sanctissimæ Trinitati.

De temporali Conceptione Virginis gloriosæ.

SEcunda pars est de Conceptione Beatæ Virginis temporali, quando videlicèt anima ejus creata fuit, & corpori bene disposito unita. Circa istam Conceptionem tria veniunt contemplanda. Primum quid sit Conceptio. Secundum quare sit honoranda. Tertium qualiter sit honoranda. Primum igitur contemplandum circa istam secundam partem sivè secundum folium portæ primæ B. Virginis, est quid sit Conceptio. Circa quòd sciendum quod triplex est conceptio, scilicèt seminis hominis & flaminis. Conceptio seminis quid sit, non est opùs declarare, sed perutile est scire quot modis consideretur. Et dico, quòd duobus modis consideretur conceptio seminis. Uno modo quòad ejus originale principium: alio modo quòad ejus incrementum sivè organizationem. Considerando conceptionem seminis primò modo, tunc secundum communem cursum quilibet homo nasciturus priùs concipitur ex seminibus parentum suorum. Sic & Beata Virgo concepta fuit à duobus parentibus, sed longè sanctius quàm cæteri homines, quia cæteri homines concipiuntur à suis parentibus, operante carnali concupiscentiâ in ipsis propagantibus; quæ concupiscentia in propagatos derivatur, sed non omninò sic in Beata Virgine. Dato enim quòd in propagationibus eam fuerit aliqualiter comitata concupiscentia, juxta illud Augustin. in Epist. ad Dardanum: Nemo nascitur, nisi operante carnali, quæ traducta est à primo homine, concupiscentiâ. Non tamen oportet, quòd talis concupiscentia sit in propagata, juxta intentionem Joannis Gerson Cancellarii Parisiensis, sed in Sermone de Conceptione, ubi circa finem sic dicit: Non sequitur hoc, est propagatum secundùm legem concupiscentiæ, ergò in peccato originali: unde non sequitur formaliter, tres pueri sunt in camino ignis, ergò patiuntur ab igne; ergò non sequitur: propagatur ab igne concupiscentiæ, ergò patitur originale, licèt sequitur de lege communi. MARIA autem fuit concepta de lege privata Spiritûs sancti, quæ prima concepta fuit hodiè sancta in suis originalibus principiis secundùm Anselmum. Hæc ille. De ista Conceptione non intelligitur ista quæstio, quam disputant Doctores, videlicèt, utrùm Beata Virgo sit concepta in peccato originali vel non, quia ista materia propriè nondum potest esse peccatum originale, nisi materialiter, in quantùm

tùm eſt ibi quædam vis latentis concupiſcentiæ. Quòd quamvis concedatur in aliis hominibus, non tamen oportet quòd in Beata Virgine, ut dictum eſt. Alio modo conſideratur conceptio ſeminis quòad ejus incrementum ſivè organizationem: quòd ut intelligatur advertendum ſecundùm Philoſophum nono de animalibus quod quadraginta dies requiruntur ad completam organizationem fœtus maſculini, & octoginta ad formationem fœtus fœminei. Sed B. Auguſtinus ponit quadraginta quinque, qui notantur his verbis:

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini,
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Iſtam Conceptionem organizationis conſequitur qualitas vel infectio quædam morbida contracta à parentibus, quæ etiam impropriè quandoque benè dicitur peccatum originale juxta illud Pſalmiſtæ 50. *In peccatis mater mea me aluit* ſecundùm tranſlationem, quam exponit Beatus Auguſtinus; ubi illud, quod dicitur in peccatis, accipit pro qualitatibus morbidis corpus organizatum conſequentibus, quæ quidem morbidæ qualitates magis apparent poſt animæ infuſionem: ſicut in lapide calcis non apparet caliditas, niſi aqua infundatur, tunc apparet quid latuit in tali lapide. De Iſta Conceptione non intelligitur ſaltem principaliter iſta quæſtio, utrùm Beata Virgo ſit concepta in peccato originali, vel non. Quia quidam qui tenent præſervationem animæ ejus à peccato originali, ſicut Paulus de Venetiis, concedunt in carne ejus, ante infuſionem animæ fuiſſe morbidam infectionem; quæ quidem morbida infectio impropriè quandoque vocatur peccatum originale, non quòd peccatum originale formaliter non eſt quid poſitivum, ſed morbida infectio ſivè qualitates morbidæ ſunt verè quid poſitivum; igitur formaliter non ſunt peccatum originale; materialiter tamen gaudio dicuntur peccatum originale, quia conſequuntur ipſum. Nec hoc adhuc derogaret Beatæ Virgini Mariæ, ſi in carne ejus concederentur fuiſſe qualitates morbidæ ante animæ infuſionem, quia antequàm habuit vitam non potuit propriè habere peccatum. Sed tamen Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in Sermone præallegato dicit, quòd de intentione B. Auguſtini fuit in quodam Sermone de B. Virgine, quòd Beata Virgo habuerit in carne ſua iſtam morbidam infectionem. Dicit enim ſic Beatus Auguſtinus: Quis potuit in hujuſmodi anima vel carne locus eſſe vitiorum, quando ad cœli vicem continentis omnia, Domini Templum eſt effecta.

Hæc

Hæc est reverà illa domus Dei, de qua per Salomonem dicitur: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Namque virginalis hujus domus columnis fulcita est, quia veneranda hæc Mater Domini septem Spiritûs sancti donis dotata fuit, quam talem utique æterna Sapientia ædificavit, ut digna omninò esset, ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile precium salutis humanæ. Quid dignius hâc Virgine? Quis sanctiùs in humani generis seriè potuerit exoriri? Hæc Augustinus. Ex quibus verbis sequitur secundùm Gerson, quòd nunquam fuit in carne Mariæ locus vel radix vitiorum. Et sic nunquam fuit in carne ejus languor naturæ, vel lex membrorum, vel fomes peccati, & sic de aliis, quamvis si ista concederentur ibi fuisse ante animæ infusionem, per hoc non sequeretur quòd fuisset concepta in peccato originali, saltem verè & formaliter, ut satis declaratum est.

Secunda conceptio dicitur conceptio hominis, quando videlicèt homo concipitur, hoc fit quando organizatio fuerit completa, & anima creatur & infunditur, tunc verè dicitur homo conceptus, quæ quidam organizatio completur in masculo quadragesimo quinto die; in fœmella verò tempus duplicatur, ut dictum est, tunc Dominus Deus creat animam, & in creando infundit, teste Beato Augustino: Anima creando infunditur, & infundendo creatur. De ista conceptione principaliter intelligitur quæstio ista: utrùm Beata Virgo sit concepta in peccato originali vel non. In ista conceptione latet tota vis istius materiæ, ut patebit.

Tertia conceptio dicitur flaminis, quando videlicèt Spiritus sanctus concipitur in mente vel gratia ejus gratum faciens, quæ duæ, scilicèt Spiritus sanctus & gratia ejus secundùm legem communem, nunquam separantur, ut dicit Gregorius de Arimino disputatione 14. primi Sententiarum. Sed quandocumque aliquis recipit Spiritum sanctum, tunc recipit gratiam ejus, & èconverso.

Talis conceptio flaminis celebratur in Baptismate secundùm legem communem, & etiam in Sacramento Pœnitentiæ, vel etiam quandoque de privilegio speciali in utero materno, sicut accidit Jeremiæ, Sancto Joanni Baptistæ & Beatæ Virgini; sed sub differentia, quia Jeremias tardè, quia non diù ante nativitatem recepit Spiritum sanctum & gratiam ejus, per quam liberatus fuit à peccato originali juxta illud Jeremiæ primo: *Antequàm exires de vulva sanctificavi te*; quasi dicat, non longè ante exitum. Sed Sanctus Joannes Baptista citius recepit Spiritum

sanctum

ſanctum & gratiam ejus quàm Jeremias, quia ad minus tribus menſibus ante ejus nativitatem. Sed quia ſecundùm Damaſcenum, MARIA Virgo à nullo illuſtrium Sanctorum vincitur; & Jeremias & Joannes Baptiſta ex hoc fuerunt illuſtres Sancti, quia fuerunt ſanctificati antequàm nati per gratiam Spiritûs ſancti, quam receperunt in utero materno. Si MARIA Virgo non debet vinci ab eis in tali dignitate; oportet quòd citiùs receperit Spiritum ſanctum & gratiam ejus quàm aliquis Sanctorum: hoc omnes concedunt. Sed quàm citò receperit Spiritum ſanctum & gratiam ejus; an in conceptione hominis, vel poſt conceptionem hominis, ibi diſcordant Doctores: ibique latet tota vis. Et ſic quærere utrùm Beata Virgo ſit concepta in peccato originali, vel non, eſt tantùm quærere an conceptio flaminis in Beata Virgine fuerit celebrata pro eodem inſtanti, pro quo fuit celebrata in ea conceptio hominis vel non. Hoc eſt tantùm dicere, an Beata Virgo quantùm ad animam, ſit nuda creata abſque gratia, & ad immundum corpus fuſa, ſicut aliis hominibus ſolet accidere de communi lege, qui ex tali carentia gratiæ in peccato originali dicuntur concipi, vel an ſit cum gratia creata, & ad mundum corpus fuſa de ſingulari privilegio.

Quidam dicunt, cum quibus ego in perpetuum tenebo, quòd conceptio flaminis & hominis, quamvis ſint diſtinctæ conceptiones, fuerunt tamen ſimul & ſemel pro eodem inſtanti in Beata Virgine, id eſt, in eodem inſtanti, quo anima ejus fuit creata & corpori unita, etiam fuit Spiritu ſancto repleta, & per conſequens in conceptione hominis à peccato originali præſervata. Pro cujus intellectu clariori advertendum quod in tali conceptione hominis iſta tria fuerunt ſimul & ſemel facta pro eodem inſtanti vel parte inſtantis, ſi dividatur inſtans in partes, videlicèt creatio, infuſio & conſecratio. Hoc innuit Sanctus Anſelmus in Legenda de Conceptione Virginis glorioſæ, dicens: O quanta eſt dies illa, in qua noſtræ Reparatricis anima dignè creata & conſecrata eſt, ac ſanctiſſimo corpori unita eſt. Hæc ille.

Penſanda ſunt verba tanti Doctoris, in quibus conſecrationem poſtponit creationi, & præponit unioni, ad innuendum Beatiſſimam Virginem conſecratam ſeu ſanctificatam per præſervationem, quia ſi anima in creando infunditur, & infundendo creatur; tunc iſta duo fiunt ſimul & ſemel creatio & infuſio. Et quia Doctor ille inter iſta duo interponit conſecrationem, ſatis dat intelligere Beatiſſimæ MARIÆ Virginis animam ſimul & ſemel creatam, conſecratam & infuſam; & per conſe-

quens præſervatam. Et dato quòd iſta tria, ſcilicèt creatio, infuſio & conſecratio realiter inter ſe differant, quia creatio animæ poſſet eſſe abſq; infuſione vel unione ad corpus de potentia Dei abſoluta, & infuſio vel unio poſſet eſſe abſq; conſecratione, ſicut defactò eſt in omnibus hominibus de lege communi. Iſta tamen tria ſecundùm mitiorem opinionem fuerunt ſimul & ſemel in Conceptione B. Virginis, nec unum præceſſit aliud prioritate ſaltem temporis, licèt benè prioritate ordinis. Sicut ſol præcedit radios ſuos non prioritate temporis ſed ordinis, quia ad hoc quod iſta tria ſimul & ſemel fierent in Beata Virgine, non fuit repugnantia ex parte divinæ potentiæ, quæ hoc potuit, nec ex parte divinæ decentiæ, quâ hoc facere decuit, nec ex parte alterius repugnantiæ, quia iſta tria nullam habent inter ſe repugnantiam, nec contrariam, nec contradictoriam, nec privativam & relativam; ergò potuerunt ex ſingulari privilegio ſimul fieri in Beata Virgine; & per conſequens Beata Virgo fuit præſervata à peccato originali. Alii verò dicunt, quòd iſta tria, videlicèt creatio, infuſio, & conſecratio non fuerunt ſimul & ſemel facta in Conceptione Beatæ Virginis. Concedunt benè quòd creatio & infuſio animæ ejus ſimul fuerunt, ſicut in cæteris hominibus, ſed negant quòd conſecratio vel gratiæ receptio ſimul & ſemel fuerit cum prædictis duobus, ſaltem pro eodem inſtanti vel parte inſtantis; ſed dicunt, quòd priùs fuerant ibi creatio & infuſio etiam prioritate temporis, antequàm fuit ibi conſecratio ſeu gratiæ infuſio. Et ſic concedunt, quòd ad inſtans vel ſaltem ad partem inſtantis fuerit concepta in peccato originali, ſed ſtatim mundata per Spiritum ſanctum & gratiâ repleta. Et ſic volunt, quòd anima Beatæ Virginis fuerit nudè creata abſque gratia, & ad immundum corpus fuſa, & poſteà in utero matris citiùs ſanctificata & mundata in corpore & anima quàm aliquis Sanctorum; quia immediatè poſt primum inſtans, vel in aliqua parte primi inſtantis, ſi dividatur. Et potiſſima eorum cauſa eſt, ut eſſet redempta. Si enim non peccaſſet originaliter non fuiſſet redempta, ut ipſi dicunt. Sed nos dicimus, quòd quamvis fuerit redempta, non tamen ſequitur, quòd peccaverit originaliter, quia duplex eſt redemptio. Una per præſervationem, alia per mundationem. Primo modo ipſa fuit redempta, ſicut ſi eſſent duo filii habentes duas matres, & quælibet deberet tranſire pontem cum filio ſuo, & primus filius incautè duceret matrem ſuam ita quòd in tranſeundo caderet de ponte in lutum vel aquam, ſed nè ſubmergeretur in luto ipſe poſt eam deſcenderet in aquam vel lutum, & eam

extra-

extraheret atque mundaret, ille redemiſſet matrem ſuam à morte. Alter verò fortior eo ſimiliter duceret matrem ſuam per pontem, & cautiùs atque diligentiùs reſpiceret eam, quæ de ſe caſura eſſet, nè caderet, & ſine ruina eam tranſduceret; nunquid ille etiam redemiſſet matrem ſuam? Sed quis inter eos nobilius liberaſſet matrem ſuam, nunquid ille, qui eam præſervaſſet? ſic Chriſtus in virtute paſſionis ſuæ ante ſe operabatur, redemit matrem ſuam, eam præſervando. Sed diceret quis, ex quo nullus Doctorum unquam conceſſit Beatam Virginem ultra inſtans fuiſſe in peccato originali, & inſtans eſt tempus breviſſimum, quaſi momentaneum, quid obeſſet, ſi omnes hoc admitterent. Dico quamvis inſtans apud nos appareat tempus breviſſimum, tamen in conſpectu Dei, eſt ſatis longum, juxta illud Pſalmi: *Quoniam mille anni ante te ſunt ſicut dies heſterna, quæ præteriit,* & è converſo. Modò ſi omnes concederent Beatam Virginem fuiſſe etiam ad inſtans in peccato originali, tunc omnes concederent pro inſtanti in ea fuiſſe tria maxima mala. Primum quod fuiſſet filia iræ, juxta illud ad Epheſeos ſecundo: *Eramus naturâ filii iræ.* Secundum, quòd fuiſſet ſub poteſtate ſathanæ, patet ex eo, quòd per exorciſmum expellitur ſathanas à baptizandis, antequàm per Baptiſmum peccatum originale tollatur. Propter quod Beatus Gregorius Homiliâ 30. dicit, quòd Sacerdotes in exorciſmo dœmonia ejiciunt. Tertium, quòd fuiſſet debitrix mortis æternæ, ſaltem quantùm ad pœnam damni. Et quamvis omnia iſta facilè concedantur ab iſtis, qui eam aſſerunt in originali peccato conceptam, tamen aliis videtur valdè irrationabile, quòd illa quæ ab æterno ad hoc prælecta fuit, ut eſſet filia reconciliationis, pro aliquo tempore fuiſſet filia iræ. Et illa quæ ab æterno ad hoc electa fuit, ut eſſet contritura caput ſerpentis, juxta illud Geneſis 3. *Ipſa conteret caput tuum*, aliquando eſſet ſub poteſtate diaboli. Et illa quæ ab æterno ad hoc ordinata fuit, ut eſſet Genitrix vitæ, Inventrix gratiæ, Vena veniæ, eſſet Debitrix mortis æternæ. Idcircò qui piâ fide tenent Beatiſſimam Virginem MARIAM Dei Genitricem ab omni macula originali immunem, ipſamque in ſua Conceptione præſervatam, Iſti facilè ſolvunt omnes auctoritates, quæ videntur in oppoſitum ſonare, quòd loquantur de lege communi non excludentes privilegium. Quamvis autem utriuſque opinionis fautores prohibiti ſint ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, per quamdam Bullam Sixtinam, nè de cætero contrà ſe invicem in acutis haſtiludere præſumant nominando ſe hæreticos vel mendaces, &c. Poſſunt tamen pro pulchritudine Virginis

ginis glorioſæ benè haſtiludere cum phalangis vel haſtis coronatis, id eſt, viis ſcholaſticis & probabilibus. Undè volentibus mecum tenere præſervationem Virginis glorioſæ, iſtis aſſignabo decem haſtas herculianas, cum quibus poſſint aliis obviare, & præſervationem Virginis glorioſæ defenſare.

De decem Haſtis Herculeanis defenſantibus præſervationem Virginis glorioſæ à peccato originali, &c.

DIvinalis potentia, filialis decentia, peccati originalis indecentia, figuralis reſplendentia, rationalis congruentia, reginalis prærogantia, doctoralis conſonantia, exemplaris declarantia, experientialis fructificantia, adverſalis deficientia.

Executionem iſtorum quæres in Tractatu nondum completo de decem haſtis herculeanis in defenſationem B. Virginis, in quo Domino cooperante cum Beatiſſima Virgine multa invenientur utilia, quæ nimis longum eſſet hic recitare. Et tantùm de prima quæſtione. Secunda quæſtio quare ſit honoranda Conceptio Virginis glorioſæ. Dico propter quatuor. Primò propter maximam reverentiam Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ iſtam Sacratiſſimam Conceptionem effecit. Cùm enim Patri attribuatur potentia, Filio ſapientia, & Spiritui ſancto clementia, Pater affuit in conceptione ejus, per ſuam potentiam potenter eam præſervando, nè fieret filia iræ, Filius affuit per ſam ſapientiam, ſapienter eam gubernando, nè eſſet ſub poteſtate ſathanæ, Spiritus ſanctus affuit per ſuam clementiam, eam clementer conſervando, nè eſſet debitrix mortis æternæ, propter quæ ipſa dicit, Proverbiorum 8. *Dominus poſſedit me in initio*, videlicèt Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Dicit, notantur *in initio*, ubi innuit præſervationem. Dicitur autem Thobiæ 12. *Opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt*, ſcilicèt Deo. Secundò Conceptio eſt honoranda propter commendationem Beatiſſimæ Viriginis, ex tribus videlicèt ex univerſali victoria peccati, ex totali ſupplantatione inimici, & ex omnimoda poſſeſſione pulchra. Si enim commendabilis redditur, quòd nunquam venialiter nec mortaliter peccavit, ſicut omnes tenent, quantò commendabilior invenitur,

nitur, ſi nec originaliter peccaſſe oſtendatur. Similiter ſi in toto hoſtem vicit, & per hoc tota pulchra facta fuit, quantò commendabilior extitit?

Tertiò. Conceptio Virginis glorioſæ eſt honoranda propter maximam ſuppeditationem dœmonis. In Conceptione verò cœpit vivere Virgo glorioſa vita naturæ & gratiæ ſimul & ſemel; videlicèt in initio vitæ ſuæ, in quo primò contrivit caput ſerpentis, & hoſtem dejecit, nè partem in ipſa haberet ſicut in cæteris puris hominibus habuit, & gloriaretur ille ſuperbiſſimus, ſe etiam Reginem cœli, Dominam Angelorum, Dœmonum & hominum aliquando in ſua habuiſſe poteſtate, quod abſit.

Quartò. Conceptio Virginis glorioſæ eſt honoranda propter maximam utilitatem Chriſtianæ plebis. Dicit enim ipſa Proverbiorum 8. *Qui manè vigilaverit ad me, inveniet me.* Exponit quædam poſtilla tripliciter. Primò ſic, id eſt, qui in juventute ſuâ cœperit mihi ſervire inveniet me per totam ſuam vitam. Alio modo ſic, id eſt, qui de manèdiei vigilaverit ad me invocando me, inveniet me per totum diem. Tertiò ſic, id eſt, qui honoraverit meam Conceptionem inveniet me in omni periculo corporis & animæ. Sunt autem quindecim genera periculorum, quæ contrariantur triplici vitæ, videlicèt naturæ, gratiæ & gloriæ. Vitæ naturali contrariantur quoque pericula, videlicèt elementorum, beſtiarum, morborum, malorum hominum & ſpirituum. Vitæ gratiæ pariformiter contrariantur quinque genera periculorum, videlicèt, culpæ, infamiæ, diſcordiæ, malæ concupiſcentiæ, & vexationis diabolicæ. Vitæ autem gloriæ pariformiter contrariantur quinque genera periculorum, videlicèt deſperatio, ad inferna deductio, dœmonis aſſociatio, tormentorum perpeſſio, & perpetua damnatio. Contra omnia dicta pericula valet honor iſtius ſanctiſſimæ Conceptionis, quod declaratur tripliciter auctoritate, ratione & exemplificatione. Primò auctoritate præallegatâ: *Qui manè vigilaverit ad me inveniet me*, ſcilicèt in omni periculo corporis & animæ, & qui me invenerit, inveniet vitam, ſcilicèt naturæ, gratiæ & gloriæ, ſcilicèt contra omnia pericula iſti triplici vitæ contrariantia. Secundò probatur ratione generali tali, peccatum originale primorum parentum fuit cauſa originalis omnium prædictorum periculorum ſibi & poſteris ſuis, quia ſi primi parentes non peccaſſent, ipſi & eorum poſteri in nullum prædictorum periculorum incidiſſent, ſed fuiſſent præſervati per divinam cuſtodiam principaliter, per originalem juſtitiam formaliter. Quia autem Beatiſſima Virgo Maria ſola inter omnes puras

creaturas præſervata fuit à peccato originali, conſequens eſt, quòd ipſa ſola non meruit incidere in prædicta pericula, ſicut nec Filius ejus benedictus, quamvis propter noſtram ſalutem in multa pericula incidere, & multos defectus aſſumere ſpontè voluerit, qui tamen ſuæ dignitati non derogarent. Sic & Mater ejus benedicta. Quia igitur Virgo glorioſa ex ſua ſanctiſſima præſervatione non meruit incidere in aliqua pericula, congruum eſt, ut qui honorat iſtam Sanctiſſimam Conceptionem, præſervetur ab hujuſmodi periculis. Confirmatur iſta ratio: congruum videtur, quòd Beata Virgo eruat illum à maximis periculis & neceſſitatibus, qui honorat ejus præſervationem à maximis periculis & neceſſitatibus. Nunquam enim fuit Beata Virgo in majori periculo quàm quando debuit concipi, quia potuit in originali concipi, ſicut quidam defactò tenuerunt, ſi ſic tunc incidiſſet in maximam neceſſitatem & pericula, quia fuiſſet filia iræ, & ſub poteſtate ſathanæ & debitrix mortis æternæ, in quæ pericula ſecundum omnes, poſteà incidere non potuit.

Qui ergò honorat ejus præſervationem, facit eam recordari maximæ neceſſitatis, à qua Deus eam præſervavit. Igitur congruum eſt, ut talem liberet & præſervet à maximis neceſſitatibus & periculis.

Tertiò hoc idem poteſt oſtendi exemplificatione percurrendo omnia periculorum genera. Primò enim honor conceptionis liberat à periculis elementorum. De elemento aquæ patet exemplum in Abbate Elſino, quem liberavit à periculis maris, ut dicit Beatus Anſelmus in Legenda de Conceptione. De elemento terræ patet exemplum in venatore, quem novi cujuſdam principis, qui ſolitus fuerat, antequam aſcenderet equum diceret Ave Maria ob reverentiam Virginis glorioſæ, qui cum quadam vice inſequendo cervum faceret præcipitium periculoſum de quodam monte, cecidiſſetque ipſe ad unam partem, equus ad alteram, nihil læſionis in ſe vel equo ſuo invenire potuit. Simile accidit cuidam mercatori cum equo ſuo pontem tranſire volenti, qui deorsùm ſaltans nullam ſibi vel aſſeſſori ſuo læſionem intulit meritis, Beatæ Virginis, cujus Conceptionem frequenter honoravit, præſervato. Idem dicendum eſt de aliis elementis. Secundò, honor Conceptionis liberat à periculis beſtiarum. In Conceptione enim ejus Beata Virgo conſervata fuit in honore primævæ inſtitutionis, nè compararetur jumentis inſipientibus & fieret ſimilis eis. Congruum eſt ut qui hoc honorat præſervetur à beſtiis periculoſis. Tertiò, honor Conceptionis liberat à periculis morborum, præci-

puè

puè à periculo peſtilentiæ; quia in Conceptione ſua ipſa prima cœpit vivere ſine ulla contagione morbida. Congruum eſt, ut qui honorat vitæ ejus puriſſimam inchoationem, præſervetur à morbis periculoſis. Confirmatur tali ratione, ipſa dicit: *Qui manè vigilaverit ad me, inveniet me*, id eſt, qui honoraverit meam Conceptionem inveniet me. Ultrà, *Qui me invenerit, inveniet vitam*, ſcilicèt naturæ, gratiæ & gloriæ. Sed vita naturæ per peſtilentiam faciliùs extirpatur; ſi ergò invenerit vitam naturæ qui honorat ejus Conceptionem, conſequens eſt, ut præſervetur à peſtilentia, ſed quia ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, ſi fortè expediret homini, ut in peſtilentia moreretur, ſi eſſet honorator Conceptionis, & non expediret ei præſervari à morte, præſervetur tamen à mala morte, ut expertum eſt in multis etiam maximis peccatoribus. Item honor Conceptionis liberat à morbo caduco. Novi enim quemdam Sacerdotem, qui habuit morbum caducum, poſtquam autem cœpit honorare Conceptionem Virginis glorioſæ cum Miſſis & Orationibus, liberatus eſt. Quartò, honor Conceptionis liberat à periculis malorum hominum. Novi quemdam Religioſum, qui captus fuit à Turcis in quodam caſtro quod occupabant ſuper civitatem Chriſtianorum, quem cùm caſtrenſes educere vellent, ut ad inſtar Sancti Sebaſtiani eum interficerent in contumeliam Chriſtianorum, qui de civitate aſpicere poterant; Religioſus iſte confidens in Sanctiſſimam Conceptionem Virginis glorioſæ, quam intimè diligebat & frequentèr honorabat, ſaltum fecit de monte caſtri uſque ad civitatem juxta altitudinem altiſſimæ turris, & ejus meritis illæſus permanſit. Quintò, honor Conceptionis liberat à periculis partuum. Ex quo enim ipſa in ſua Sanctiſſima Conceptione in naturalibus ſuis illæſa eſt cuſtodita: congruum videtur, ut mulier honorans hanc, mereatur cuſtodiri à periculis partûs, nedum ratione vitæ ſuæ periclitetur, ſed etiam ratione fœtûs, ne claudus, cæcus, monſtruoſus, morbidus vel mortuus naſcatur.

Exemplum, novi quemdam fratrem, qui cùm gratiâ prædicationis veniret ad quamdam villam, occurrit ſibi quædam mulier inprægnata cum lachrymis dicens ſe fuiſſe quatuor vicibus in partu periclitatam, & non dubitare ſe morituram cum quinto puero, niſi ab eo accipere poſſet ſublevamen aliquod ſpirituale, qui eam conſolans dixit, quod omni die diceret ſeptem Angelicas Salutationes ad honorem Conceptionis Virginis glorioſæ, & circa tempus partûs faceret celebrari Miſſam de Conceptione, ſi poſſet, aut ſaltem devotionem ad hoc haberet:

quæ

quæ cum omnia compleſſet, peperit puerum ſinè ullo periculo, mirantibus cunctis vicinis, & egit gratias Deo & B. Virgini de periculi evaſione. Sextò, honor Conceptionis glorioſæ Virginis liberat à periculis culpæ: congruum enim eſt, ut qui honorat præſervationem Virginis glorioſæ ab originali culpa, quæ eſt fomentum omnis culpæ; præſervetur à culpa actuali, ſi tamen deſideret, aut citiùs liberetur ab ea ſi incideret, quòd abſit. Honor enim Conceptionis non permittit hominem quieſcere in peccatis, ſed ad ſurgendum continuò ſtimulat, ut experientia in multis docuit. Septimò, honor Conceptionis liberat à periculis infamiæ. Râtio, quia Virgo clariſſima in ſua Sanctiſſima Conceptione in ſummo honore fuit cuſtodita, & à maxima turpitudine præſervata eſt; igitur congruum eſt ut honorantes præſervationem præſerventur à periculis infamiæ. Exemplum patet in Sancto Anſelmo, qui in Sermone de Conceptione ſic dicit: quiſquis Præſul, aut Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter hanc feſtivitatem, & cunctis jube eam coli, quia ſi eam toto corde amaveris, nunquam à gradu tuo depoſitus eris, in memetipſo probavi quæ dico. Hæc ille. Octavò, honor Conceptionis liberat à periculis diſcordiæ. Ipſa enim in Conceptione præſervata fuit ab hoſte inviſibili, qui eſt pater omnis diſcordiæ. Congruum eſt ergò quòd honorans Conceptionem liberetur ab hoſtibus viſibilibus, qui inducuntur nobis ab hoſtibus inviſibilibus, & per conſequens ab omni diſcordia ſaltem nobis periculoſa. Nonò, honor Conceptionis liberat à periculo malæ concupiſcentiæ. Ratio, ipſa in ſua Sanctiſſima Conceptione recepit quòd fuit Virgo puriſſima mente & corpore, ita quòd nunquam aliquo peccato corrupta fuit, nec originali, nec mortali. Modò unumquodque naturaliter generat ſibi ſimile 2. de Anima. Cùm autem ipſa ſit Mater ſpiritualis inclinatur ad generandum ſibi ſimiles, ſcilicet filios caſtos. Cùm autem caſtitas nullibi meliùs ſervari poſſit, quàm in Sancta Religione, hinc eſt, quòd multos inducit ad ingreſſum Sanctæ Religionis. Sicut accidit fratri Regis Hungariæ, de quo dicit Anſelmus in Legenda, quòd cùm vellet ducere uxorem, perſuaſus à Beata Virgine, ingreſſus Sanctam Religionem factus eſt magnus prædicator, & honorator Conceptionis. Decimò, honor Conceptionis liberat à periculo vexationis diabolicæ, quia ipſa ab initio vitæ ſuæ, id eſt, in Conceptione contrivit caput ſerpentis. Igitur congruum eſt, ut qui hoc honoraverit liberetur à vexatione ſerpentis antiqui.

Exemplum de quodam Sacerdote, quem novi, qui Miſſa adeò vexabatur

xabatur terrore & timore, quòd tandem à celebratione Miſſarum ceſſare voluit, qui mox, cùm cœpiſſet honorare Conceptionem Virginis glorioſæ, liberatus fuit ab omni impedimento Miſſæ. Undecimò honor Conceptionis liberat à finali deſperatione. Congruum eſt enim ut qui honorat ejus initia, quòd honoretur ab ea circa ſua finalia. Exemplum patet de quadam perſona, quam ego novi, quæ abnegando Chriſtum tradidit ſe diabolo, cùm autem fuiſſet inducta ad honorandam Conceptionem, fecit hoc ad quartale anni, & infirmata uſque ad mortem, tantam compunctionem obtinuit meritis Beatæ Virginis cum perceptione Sacramentorum, quòd de ſalute ejus dubitaretur minimè. Duodecimò, honor Conceptionis liberat à periculo deductionis ad infernum: ipſa enim in Conceptione præſervata fuit ab obligatione infernali. Igitur congruum eſt, ut honorantes illam præſervationem præſerventur ab infernali deductione.

Exemplum ponit Anſelmus de Sacerdote ſubmerſo, & propter adulterium ad infernum deducto, quem tertiâ die Beata Virgo reſuſcitavit & Prædicatorem Conceptionis ſuæ inſtituit. Tertiodecimò, honor Conceptionis liberat à dœmonum aſſociatione: ipſa enim ſemper vicit dœmones in ingreſſu hujus mundi, in progreſſu, & in egreſſu; igitur congruum eſt, ut honorans talem victoriam vincat dœmones & nequaquam eis aſſocietur. Quartodecimò, honor Conceptionis liberat à gehennalium tormentorum perpeſſione, quia in Conceptione cœpit ſimul & ſemel vivere vitâ naturæ & gratiæ; congruum ergò eſt, ut qui honorat iſtam digniſſimam vitæ ejus inchoationem, quòd non habeat malum finem, ſed bonum, & per conſequens non patietur tormenta gehennalia. Exemplum in Sacerdote prædicto. Quintodecimò, honor Conceptionis liberat à damnatione æterna, quia impetrat homini non ſolùm vitam naturæ & gratiæ, ſed & vitam gloriæ, juxta illud primo Regum 2. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum.* Et tantùm de ſecunda quæſtione.

Tertia quæſtio fuit quomodo ſit honoranda iſta Sanctiſſima Conceptio.

Dico, quòd modus honorandi iſtam Conceptionem facilè percipitur ex oratiuncula infrapoſita contra peſtilentiam & omne periculum

lum corporis & animæ valet honor Conceptionis temporalis Virginis MARIÆ, ut sequitur. Gaude benedictissima Dei Genitrix Virgo semper MARIA, quia in tua Sanctissima Conceptione, quando nobilissima anima tua creata est & corpori infusa, tu præservata es à peccato originali, quia Dominus Pater, Filius, & Spiritus sanctus possedit Te. Dominus Pater possedit te per suam potentiam potenter te præservando nè unquam fieres filia iræ, sed esses semper filia reconciliationis electissima filia Summi Patris libera me ab ira Dei, & reconcilia me Deo & omnes honorantes tuam Sanctissimam Conceptionem. *Ave MARIA*, Dominus Filius possedit te per suam sapientiam sapienter te gubernando, nè unquã esses sub potestate sathanæ, sedesses semper contritrix capitis ejus.

O dignissima Mater Unigeniti Altissimi libera me à potestate sathanæ, & contere caput serpentis in me, & in omnibus honorantibus tuam Sanctissimam Conceptionem. *Ave MARIA.* Dominus Spiritus sanctus possedit te per suam clementiam, clementer te gratiâ, donis & virtutibus replendo, nè unquam ex defectu cœlestium carismatum esses vas immunditiæ & Debitrix mortis damnationis æternæ, sed esses Inventrix omnis gratiæ, Genitrix vitæ, & Vena veniæ. O sacratissima Sponsa Almi Paracliti libera me à morte culpæ, & impetra mihi vitam naturæ, gratiæ & gloriæ, & omnibus honorantibus tuam Sanctissimam Conceptionem. *Ave MARIA*: suscipe ô MARIA prædictam ad honorem ejusdem Sanctissimæ Trinitatis in illo amore, in quo tanta operata est in te in tua Sanctissima Conceptione, ut ego per te merear petita accipere, & omnes honorantes tuam S. Conceptionem. Amen.

Si placet adde ad prædictam Orationem septem *Ave MARIA*, *unum Salve*, *& unum Magnificat*, ad honorem Conceptionis Virginis MARIÆ. Ideò *Ave*; quia sine væ originalis maculæ concepta est, ut pia fides tenet: ideò *septem Ave*; quia in eis Conceptione septem Spiritûs sancti donis dotata fuit, ut ipsa impetret tibi septem dona: ideò *Salve*, in quo dicitur vita, ut impetret tibi triplicem vitam, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Primam contra pestilentiam & mortem in materiam. Secundam contra culpam actualem. Tertiam contra perpetuam damnationem: ideò additur *Magnificat*; quia fecit ei Dominus magna, non solùm in Filii sui conceptione eam Matrem faciendo & Virginem conservando, sed etiam in sua Conceptione, quòd eam præ cunctis puris Creaturis à culpa originalis maculæ præservavit, ut ipsa faciat tibi magna, à magnis periculis te præservando, & ad magna gaudia perducendo. Præsens materia

ria edita per Religioſum Patrem Joannem Palzii ſacræ paginæ Profeſſorem eximium, Ordinis Erimitarum Sancti Auguſtini, qui & fecit eam imprimere. Prætereà ſecundario ad inſtantiam generoſiſſimi necnon illuſtriſſimi Domini Domini Hermanni de Haſſia Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopi Colonienſis iterùm impreſſa eſt: ſed quoniam omne trinum perfectum, & *Funiculus triplex difficile rumpitur*, Eccleſiaſtici quartò. Idcircò ego Nicolaus de Aqua-longa præfatam materiam tertiò hìc facio imprimere, non quòd ego pauper & modicus ingenio aliquid præſumam de præſenti materia mihi adſcribere, ſed Spiritum ſanctum de hoc laudo ac glorifico, qui tam benè ſimplicium corda illuſtrat ſuâ gratiâ, ſicut aliorum duorum præfatorum venerabilium Patrum corda divinitùs illuſtravit; quoniam, ut de eo ſcriptum eſt, quòd non ſit acceptio perſonarum, cùm ipſe repleverit orbem terrarum, *Et hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*, Sapientiæ primo. Item ſi ſint aliquæ honorabiles perſonæ, quæ hujus Spiritûs dulcedinem in ſæpedicto Tractatu prædicto à Magiſtro noſtro Auguſtinienſis Ordinis edito, ſapuerunt; ſic valdè bonum, utile & expediens foret, quòd ſibi compararent adhuc aliquos de noſtra novella impreſſione ad mittendos eos ad partes extraneas; necnon etiam ad dandum incolis, qui parùm aut nihil de peculio habent. Item, ſi ſint etiam aliqui Religioſi non habentes proprium, meliùs & decentiùs eſt, ut procurent ſibi amicos, qui pro ipſis emant, quàm quòd ego eis gratìs darem abſque pecunia, oportet enim, ut papirus & impreſſor ſolvantur; aliàs non eſſet facultatis meæ de cætero materiam iſtam in populo multiplicandi, viſo quòd impreſſores non adhiberent mihi amodo fidem, & etiam ut ego, quia pauperem duco vitam, habebo tamen multa bona, ſi timuero & glorificavero Deum in Matre ſua benedicta, pauliſper ex ipſis potero ſuſtentari.

Explicit materia de æternali & temporali Conceptione vel electione Virginis gloriosæ.

Contra hoſtes tuos da virtutem mihi
MARIA.

Utinam hîc nunc meritò jungeretur illa egregia Bulla Basileënsis Concilii anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono de Immaculata Conceptione Virginis glorioſæ per Spiritum ſanctum ordinata, necnon egregia Statuta Pariſienſia & Colonienſia, quæ Eximii Magiſtri noſtri mihi Nicolao de Aqualonga de eorum benevolentia conceſſerint cum Sigillo Univerſitatis, & Facultatis Theologicæ roborata, adverſum quæ nullius viri conſtantis valet replicare animus. Ad cauſam querelæ meæ ſuper quibuſdam, qui anno Domini milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo octavo ipſo die Conceptionis manus meas in compedes eorum injecerant, eò quòd ipſos tam in Brabantia, quàm in Flandria ſuper Immaculata Virginis Conceptione reprehenderam, ut omnibus manifeſtum eſt, quòd præcedentibus annis ſemper contrarium prædicare ſolebant. Sed ſi hæc ad longum protenderemus, cuncta enucleandi papirus non ſufficeret. Cùm etiam non ſit neceſſaria, quoniam in diverſis habetur locis excopiata ex littera mea principali ac etiam impreſſa. Et ſi res ita ſe haberet, quòd aliquis nec in ſcriptis nec in preſſura invenire poterit, & ea libenter haberet; ſic præmittam duos aut tres notabiles, providos, circumſpectos & fide dignos viros. Primò Joannem Trithemium Abbatem Spanhemenſem in Almania reſidentem. Secundò Ægidium Delfum, Doctorem Pariſienſem in Hollandia oppido Naelwyck reſidentem. Tertiò Magiſtrum Cornelium Scoenvorſt Notarium juratum in Cancelaria Bruxellis reſidentem in Brabantia.

Iſti tres præſcripti propriâ manu excopiaverunt ex litteris meis ſigillatis ad inſtantiam & honorem intemeratæ Virginis Genitricis Dei. Et adhuc quaſi innumerabiles in diverſis Provinciis, Oppidis & Civitatibus, ubi in propria perſona viſitavi qui omnes excopiaverunt, de quibus omnibus ſuperſedeo, quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum juxta verbum Evangelicæ tubæ. Nihilominùs tamen ad conſolationem & lætitiam multarum devotarum perſonarum, quæ ſpeciali devotione veri ſunt adoratores Virginis, de prænominatis principalia ac magis utilia, medullam, ſcilicèt excerpendo annectam, ſenſum ponendo ſub brevibus pro poſſe meo, nè emptoribus precium vergat in tædium.

Ex Bulla Basileënsis Concilii.

RES verò diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ, coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, Aliisque pluribus super hac re visis & matura consideratione pensatis doctrinam illam differentem, Glorioſam Dei Genitricem MARIAM, præveniente & operante divini muneris gratiâ singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam tamquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ omnibus Catholicis approbandam fore tenendam & amplectendam diffinimus & declaramus; nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere, Renovantes..... Prætereà institutionem de celebranda ejus Sanctam Conceptionem, quæ tam per Romanam, quàm alias Ecclesias, sexto Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur. Statuimus & ordinamus eamdem celebritatem præfatâ die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis & Conventibus Christianæ Religionis, sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse, &c.

Datum in sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileënsi solemniter celebrata quintodecimo Kalendas Octobris, Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, &c.

Ex Statutis Parisiensium.

INsanam obstinationem, vanam temerariamque superbiam quorumdam non admirari, non possumus non indigne moleſteque ferre, qui hoc modo adhuc tempore hujusmodi piam & religioſam doctrinam universalis Synodi & Ecclesiæ, quæ juxta Christi promissionem errare non poteſt, judicio auctoritateque probatam oppugnare ac in dubitatio nem revocare non verentur.

Vos ergò appellamus & convenimus Reverendissimi Pontifices Ecclesiarum Christi & Patres, Pastores & Duces, nobiscum Virginem San-

ctiſſimam MARIAM ab omni originali peccato Dei ſingulari dono fuiſſe præſervatam credite, prædicate, prædicanteſque veſtrâ benedictione opibuſque juvate, & per JESU Chriſti miſericordiæ viſcera, ejuſque Matris intemeratæ Virginis charitatem obteſtamur, ita pro veſtro Officio, & Divina auctoritate noſtris, immò potiùs Divæ Virginis hoſtibus fortiter reſiſtite, veſtris, eos è finibus abigite & mulctatos expellite, &c.

Ex Statutis Colonienſium.

JUxta concluſionem facultatis Alma Univerſitatis Colonienſis ſtudii captatam anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto firmiter tenebitur & inviolabiliter obſervabitur in Sermonibus veſtris & publicis actibus atque determinationibus Beatam Virginem MARIAM fuiſſe abſque omni peccato originali conceptam, & ex ſpeciali privilegio divinæ gratiæ ab eodem peccato præſervatam. Et hoc ſub pœna reſecationis & rejectionis veſtræ à facultate Theologica, & ab honoribus & emolumentis ejuſdem. Datum Coloniæ ſub Sigillo Facultatis præfatæ præſentibus appenſo. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, die ultimâ menſis Novembris.

Revocatio publica de puriſsima Conceptione Beatæ Virginis MARIÆ.

EGo Joannes Verii Religioſus Fratrum Ordinis Prædicatorum Preſbyter, in Theologia Magiſter accuſatus ſeu delatus fui apud Matrem meam Univerſitatem Parienſem & Facultatem, prædicaſſe apud oppidum Deppe Diœceſis Rothomagenſis in Feſto Conceptionis puriſſimæ & glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, Matris Dei, & Domini JESU Chriſti tres propoſitiones, quæ causâ brevitatis hîc omittuntur. Nihilominùs ſi quis eas videre aut habere deſideraverit, impreſſas ſimul cum Statutis Doctorum Pariſienſium de Immaculata Virginis Conceptione inveniet, &c. Ex qua prædicatione mea, prout intellexi tam à præfata matre mea Univerſitate & Facultate Theologiæ, quàm etiam ab aliis ortum fuit & adhuc viget ſcandalum, veluti intellexerint auditores, quòd in illa

illa mea prædicatione detrahere voluerim puriſſimæ Conceptioni Beatiſſimæ ac glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ Genitricis Domini noſtri & Redemptoris JESU Chriſti, quas quidem tres propoſitiones S. Theologorum Facultas, cujus ordinationi, diſpoſitioni, & omnimodæ determinationi me ſubmiſi & ſubmitto condemnavit, quia cognoſco prædictas tres propoſitiones eſſe falſas, impias, piarum aurium offenſivas, à devotione fidelium de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Matris noſtri Domini JESU Chriſti retractivas, cultui Eccleſiaſtico, rectæ rationi, ſacræ Scripturæ, & Fidei diſſonas, temerariè prædicatas, & ſcandaloſas & non credendas; ergò revocandas publicè & reparandas.

Ego ergò Joannes Verii quantùm in me eſt, volens tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ & pacis, & aſſertor veritatis, veram ſanamque doctrinam prædicare Deum & Virginem MARIAM ejus Matrem omni laude digniſſimam honorare, Matri meæ Univerſitati Pariſienſi & Facultati Theologiæ ſemper obedire; retracto tres prædictas propoſitiones, earum qualificationibus, ut ſunt à Matre mea ſacræ Facultate Theologiæ declaratæ firmiter adhærendo & conſentiendo, & in contrarium determinationis prædictæ nunquam veniendo, quòd eidem Univerſitati & Facultati per ſacros Ordines meos promitto & juro, & ita me Deus adjuvet & Mater ejus glorioſiſſima perpetua Virgo Immaculata. Datum præſentialiter in aggregatione generali apud Sanctum Maturinum per juramentum ſolemniter celebratum. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſextâ die menſis Septembris. Item ſunt aliqui non valentes ſatis admirari, quomodò & qualiter ego ſimplex idiota iſtas prænotatas litteras de tam profunda materia, à tam magnificis & litteratis viris impetrare potui: ſed adhuc eſt majus mirabile & admiratu dignum, quòd ego pauper & inops homuncio eximios, & percelebres Magiſtros noſtros Univerſitatis Magguntiæ excitare & provocare potui monitis meis ſalutaribus, quòd mihi etiam de gratia eorum conceſsêre Statuta cum Sigillo Univerſitatis ſuper Immaculatæ & Chriſtiferæ Virg. MARIÆ Conceptione quamquam tamen habuerunt Statuta, viſo, quòd niſi ad paucos annos viguit; ſed quoniam ad aures eorum pervenit qualiter aliqui inſenſati, neſcio quo errore decepti, libenter commoviſſent ſeditionem in oppido Heydelberghe non ſolùm adversùs Fratres Minores verùm etiam contra egregios viros & probos Ordinis glorioſæ Virginis MARIÆ de Monte Carmeli,

meli, necnon & adverſus Sanctos Patres, Ordinis Eremit. S. Auguſtini ac univerſam Eccleſiam militantem, &c. Et cùm dies Statuta circumvoluta erat, ut honorabiles Patres Minores ad eorum defenſionem comparerent diſputandi gratiâ adverſus iniquos & ſceleratos maculiſtas non auſi fuerunt venire in lucem, nec cuiquam docto apparere. Item, quando etiam iſtos præfatos Dominos ac Magiſtros noſtros percelebres ſic inſtanter rogavi pro Statutis ſuper Immaculatæ Virginis Chriſtiferæ Conceptione: reſponderunt ſe non habere Statuta: ad quos ego; O Excellentiſſimi Domini, ſi modò habetis, placeat Dominationibus veſtris ea ordinare quemadmodùm Pariſienſes & Colonienſes ordinaverunt jam peractis diebus, qui tamen multis annis ſine ipſis fuerunt. Tunc ipſi iterùm ad me: Redeas in craſtinum nos deſuper deliberabimus, ac conſilium ſanum captabimus; me ſic alterâ die redeunte, dixerunt, nos hodiè ea ordinabimus, & tibi ea dabimus, non gratiâ perſonæ tuæ ſed ob inſtantiam, honorem & reverentiam benedictæ, Immaculatæ ac glorioſæ Matris & Virginis MARIÆ, & ad roboramentum & juramentum præſtandum S. Matri Eccleſiæ Dei. Item iſta prædicta Statuta Univerſitatis Maguntiæ inveniri poſſunt in ſcriptis etiam apud omnes ſupramemoratos. Cauſa autem quare cum Statutis Pariſienſibus & Colonienſibus non ponuntur nec nominantur eſt, quòd illa fuerunt ipſiſſima: hæc autem nunquam fuerunt. Quare congruè hîc in forma, ſicut præfati Domini mihi tradiderunt, imprimuntur. Item, quemadmodùm ardentibus faculis & candelis tenebræ nôctis pelluntur ab Eccleſia Dei materiali, ſic etiam egregia & inclita illa Statuta per univerſam Eccleſiam Dei militantem repellere, confundere, ac in nihilum redigere poſſunt impium errorem iniquorum & perfidorum maculiſtarum, qui, neſcio quâ veſanâ rabie moti puritatem clariſſimæ auroræ mutare nituntur in fœditatem tenebrarum noctis, de qua tamen ſcribitur: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

Item quemadmodum lucerna accenſa ardens in abſcondito vel modio ſuppoſita, & ſicut magna ſtrues lignorum nullo præſente ſine neceſſitate comburitur, & ſicuti delicata fercula benè cocta nullo comedente fruſtra decoquuntur; tria ſunt ad nihil utilia vel proficua, ſed tantummodò perditio temporis, & expenſæ inutilis, ac labor incaſſus. Ita etiam à ſimili ſi iſta Statuta in aliquo obſcuro angulo ſeu in arca latitarent in vanum apud ſæpedictos Dominos pro eis inſtitiſſem. Quare

dignum

dignum duxi, ſalutiferum & expediens fore, ut in lucem veniant ac imprimantur; ut ſi forte quòd abſit, aliqui obcæcati deſperati & abominabiles maculiſtæ alicubi vigerent per hæc Statuta authentica ſic illuminari ac converti poſſint, quatenùs puram ac nudam veritatem de Immaculatæ Virginis Conceptione non ſolùm corde ab intus agnoſcant, ſed etiam ore ab extra omni tempore, & in omni loco ſine aliqua confuſione manifeſtè coram omnibus profiteri non erubeſcant. Secundò, ſi adhuc aliquorum hominum corda tepida vel frigida in Dei & Matris ejus ſervitio inveniantur per hanc ſanam doctrinam per Spiritum ſanctum infuſam ſic incaleſcere ac inflamari valeant, ut in amore Immaculatæ Dei Genitricis MARIÆ totaliter igneſcant. Tertiò, ut omnes, qui ex toto cordis deſiderio ſitiunt juſtitiam Immac. Virginis Conceptionis, per iſtam materiam ſic ſatientur ac inebrientur ab ubertate ejus, ut demum torrente voluptatis ſummi & increati boni potenter repleantur, *Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei*, ut ſupremus ille Theologus Matthæi quarto. Et ſicuti multi virtuoſi homines cibo & potu naturali & ſpirituali recreantur; ſic etiam lætantur cùm fit aliqua juſtitia cedens ad honorem Dei & Matris ejus benedictæ. Et ideircò ſperandum eſt, quòd multæ nationes intemeratæ Virginis Conceptionem colentes jubilabunt & plaudent manibus, cùm viderint nefandos iſtos maculiſtas in ſequenti Bulla tam acriter deprehendi & confundi, &c.

Sequuntur Statuta Univerſitatis Moguntinenſis.

UNiverſis has litteras inſpecturis Decanus & ſinguli ſacræ Theologiæ in Alma Univerſitate ſtudii Moguntini Profeſſores ſalutem in Domino ſempiternam. Quia omnium quæ facta ſunt & facienda prima cauſa eſt verbum incarnatam, ad cujus incarnationem ab æterno Virgo quædam prælecta eſt, quæ communem quemque in virtute inſignem excederit viatorem, quæ namque Virgo nuntios de cœlo ſuſcepit, quæ divinas revalationes inquiſivit, quæ circa ſe gratulatur Angelos militare. Profectò non niſi Beatiſſima Virgo MARIA, quæ ſola non carne, ſed Spiritu ſancto facta eſt Chriſti Mater; cui nulla ſimilis eſt neque erit in his, quæ gratificant: ipſa enim ſuarum virtutum meritis Angelorum vicit dignitatem. Hinc eſt, quòd illam ipſam Beatiſſimam

Virginem MARIAM ea reverentia, quâ decet, & quâ poſſumus revereri conati ſumus, prout tenemur & libenti animo amplectimur.

Sed ſunt hanc Virginum Virginem eis abſentem percupientes ictu culpæ originalis, qui coram Deo ut iniquitatis actores rei ſunt, eo quòd tales ſapientes ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſciunt. Non quærit Deus tales ſapientes, ſed æternam eis miſeriam comminatur, dicens; væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Sapientes in oculis ſuis ſunt, cùm in his, quæ cupiunt ſivè agunt non judicium veritatis, non ſententiam aliorum ſanam rectè viventium, ſed propriam regulationem attendunt; & uſque adeò ſibi placent, atque ſibi conſentiunt, ut in nullo eis contradici poſſe videatur, qui denique Deiferæ hoſtes, ut ſuam ſapientiam inferant, aſſerunt eſſe ſtultitiam ſapientiam cæterorum, nec exquirunt à Doctoribus honeſta, qui ſpreta omni utilitate communi atque proximi privatis commodis ſtudent. Omnem induſtriam, quam poſſident â natura, quam & malè didicerunt, ſpretis cæteris ad ſe convertunt. Erit illis, niſi reſipiſcant interitus perpetuus, quoniam væ qui tenebras lucem & lucem tenebras ponunt, quia mendacium in veritatem, & veritatem in mendacium transferre conantur. Væ vobis quicumque tales, qui dulciſſimam Virginem MARIAM ſuperbenedictam Matrem Chriſti JESU in amaritudinem originalis culpæ ponitis. His itaque obviare cupientes ampliùs pro noſtra profeſſione omnimodiſque viribus huic vanæ aſſertioni, ut reſiſtamus ipſam omninò veluti erroneam abjiciendo taliter & ſemper, ut antea unanimi catholicâque ſententia Theologica noſtra facultas contravenit, quòd huic favemus, & de cætero, ut antea ab initio noſtræ Univerſitatis Moguntinæ ſemper adhærebimus ſanæ catholicæque doctrinæ, quòd intemerata Virgo MARIA abſque omni peccato originali concepta eſt ex ſpeciali divinæ gratiæ privilegio ab omni originali macula præſervata, quam pro noſtris retroactis ætatibus ſemper veram, ſemper inviolatam habemus, quam nunc & ſemper ſanam atque catholicam ſanctæque Chriſtianæ Fidei conſonam Eccleſiaſticâ auctoritate habemus & habebimus, ejuſque contrariam aſſertioni impiam erroneamque judicamus. Cui ſententiæ diligentiùs invigilando, juxta Theologicæ Facultatis aliàs Statuta, ut vigilantiùs practicetur in hanc ſententiam Theologica tandem convenit facultas, quòd quicumque in prædicta Theologica Facultate Univerſitatis ſtudii Moguntini promovendus venit curare habeat, quòd quòad vixerit non velit docere nec prædicare, neque favere verbo neque ſcripto huic ſuperbæ

perbæ & temerariæ doctrinæ, videlicet quòd Beatiſſima Virgo MARIA concepta fuerit in peccato originali, ſed huic potiùs firmiter adhærere ſemper, quòd Beatiſſima Virgo MARIA non eſt concepta in peccato originali, quam doctrinam ut antea ita & futuris temporibus perpetuis omni contradictione abjecta ſtatuit & inviolabiliter præcepit tenendam, docendam atque prædicandam. Datæ Moguntiæ in noſtra matura congregatione, Anno Domini milleſimo quingenteſimo primo, decimotertio die menſis Octobris, in cujus rei teſtimonium Sigillum præfatæ Theologicæ noſtræ Facultatis præſentibus littetis appenſum eſt anno & die quibus ſuprà.

Fortaſſis ſunt nonnulli attoniti, non valentes ſatis admirari & fruſtra, quare ego de tam alta & profunda materia me tam acriter interpono ſeu intromitto. Et certè ſecundùm videre meum, ſi non ita facerem, quaſi hæreticus & infideli deterior pro parte eſſem cenſendus, cùm à multis magnificis egregiis & fide dignis perſonis per Spiritum ſanctum illuminatis ad hoc inſtigor atque exhortor, ita ut reſiſtere non valeo, nec audeo, multi enim exponunt ſe periculo corporis & animæ in illicitis ac inhoneſtis cauſis, quare tunc ego non perſequi nitar tam piam, tam juſtam, tamque ſanctam cauſam, ad inſtantiam Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac ad roboramentum egregiorum Statutorum Parienſium, Colonienſium & Moguntinenſium. Quidam Frater Ordinis prælibatæ Immaculatæ Virginis MARIÆ de Carmelo direxit ad me quondam ſcripta quædam in modum Epiſtolæ, quæ inter cætera ſubſequentia monita ſalutaria continebant. O Nicolae, (qui meritò Judas poteris nuncupari) te laudabunt undique fratres tui. Manus enim tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Benedictus tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob; quoniam in omni gente magnificabitur ſuper te Virgo Iſraël, eo quòd rem grandem impetraſti; pro qua non peperciſti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationem generis, ſed ſubveniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri, exponendo te variis diſcriminibus viarum pro veritatis indagine à ſapientioribus mundi, quomodo ſit concepta ut edicerent. O verum Zelatorem Virginis! O verè victorem magnificum, verùm, inquam, dico victorem, qui uſque ad victoriæ conſummationem pertuliſti duriſſimam quæſtionem, factus ſapientibus ſapiens, inſipientibus inſipiens ad lucri faciendum inimicos tuos: quare meritò benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Gaudeo planè ea propter, & à me ob hoc amaris ardentius, eo

quòd ipſe (utinam dignus) ſim Zelator Virginis tituli ſui immeritus lator. Sed dices mihi; quid ad te, &c? Quid tibi boum nocet mugitus? Quid obeſt hinnitus equi, aut ranæ coaxus lædunt? Veritati tum parcerem, ſi non dicerem à canum latratu moleſtari. Des operam moneo Nicolaë mi frater, in ſpiritu loquor, non ſecundùm hominem, res etenim iſta ſic cordi meo adhæret, ut qui noſtram incontaminatam pollutis tangit labiis ſororem, tangit oculi mei pupillam, & pungit viſcera cordis. Ideò mi Nicolaë decrevi amore tui pauca de altercatione æmulorum ſcribere, ut noſtræ, quòad vixeris, adhæreas veritati potiùs quàm eorum opinioni. Temerarium eſt loqui & derogat Virgini, & præjudicat divinæ pietati: quia allegant Doctores Eccleſiæ Sanctos hoc intonuiſſe, ſciant quare: nam eo tempore quo tales vixerunt, erant tam ferventer occupati ſtudiis ad extirpandas hæreſes ab Eccleſia, quæ tamquam vulpeculæ nitebantur vineam Domini demolere.

Sciunt Divum Hieronymum ſcripſiſſe contra Jovinianum, ſimiliter debellaſſe Helvidium, Auguſtinum armatum contra quinque hæreſes, & gladio ſpiritus viciſſe Arrium ..... Sabellium, cæteroſque. S. Thomam edidiſſe ſummam contra gentiles, quæ cunctorum extirpat errores hæreticorum. Nulli, eo tempore, horum fuit hoc myſterium Mariæ præſervationis revelatum, niſi noſtro Cyrillo, qui in Concilio Epheſino condemnavit eâ parte Neſtorium. Noviſſimè autem diebus iſtis, ut omnibus patet evidenter innumerabiles ſunt doctiſſimis viris factæ inſpirationes. Devotiſſimis deſuper Sanctis enunciatæ revelationes; plurimis Religioſis Deum & Matrem ejus colentibus oſtenſæ viſiones. Diverſis in contrarium tenentibus fulminatæ correctiones variis in Univerſitatibus, tantæ victorioſiſſimæ diſputationes, multi codices ſcripti per te in lucem extenſi, & apertiſſimis approbatæ determinationes ſuper inviolatæ Virginis Conceptione, ut ipſe habes. Decuit enim, ut eâ puritate niteret, quâ ſub Deo nequit major intelligi. Fuiſſet enim Eva doloris mater, quæ peperit iniquitatem, aliàs purior noſtrâ Chriſtiferâ. Nonnè tenere hujuſmodi abſonum eſſet, & Dei derogaret potentiæ, quâ potuit Matrem prævisam, nè contraheret originalis culpæ maculam præſervare. Nunquid hoc ſuæ decuit ſapientiæ? Id ſi non feciſſet aeriter ſuæ clementiæ derogaret. Audi Job dicentem: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonnè tu qui ſolus es?* Reverà qui ſolus eſt in ſola matre futura ſibi cognita minimè omiſit. Noſcunt etiam tres forè conceptiones, prima ſeminis, ſecunda embrionis, cùm jam ante vitalem ſpiritum con-

cepta

cepta massa susceperit formam humanæ dispositionis. Tertia est animæ rationalis ante ejus infusionem, massam in ventre Matris Mariæ Annæ nobilis matronæ, fuisse dicimus adeò purificatam, ut anima sancta infundenda minimè ex ea potuit inquinari. Supremam, quam in contrarium mittunt æmuli sagittam; ergò Christus generaliter non fuit Redemptor & per consequens ejus passio Matri ejus non profuisset, quæ tamen pro deletione peccatorum fuit divinitus ordinata prophetice proclamata, ut obstruantur ora taliter loquentium, quòd ad duo Jesu passio generaliter profuit: ad peccati, scilicet, abolitionem, & ad regni cœlestis apertionem. De primo profectò Virgini Mariæ non profuit ipsa passio gloriosa; quia caro in ea nunquam aliquid concupivit adversùs spiritum, nec in iniquitatibus concepit eam mater ejus. Sed de secundo aliàs, regni enim janua sibi non fuisset aperta, hoc teneamus, &c.

Præsens hoc finitur Opusculum de Christiferæ Virginis Conceptione, cujus nos sanet deprecatio. Amen.

DIALOGUS
ANTONII FORNERII CUCIACENSIS,
Sacræ Theologiæ Profeſſoris de peccato originali & Conceptione intemeratæ Virginis MARIÆ.

ANTONIUS FORNERIUS
CUCIACENSIS
Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac metuendo Domino Philippo de Heber Aquenſi Archiepiſcopo plurimùm de eo merito ſuppliſiſſimam ſalutem dicit.

NOn mihi ſumerem, præſtantiſsime Præſul, ad te ſcribendum tam propter litterarũ omnium elegantiam, quàm propter virtutum cumulum (in quo ſplendet omnis Iuris & eloquentiæ forma) quæ omnia apud te ſunt, niſi animadverterem eam manſuetudinem & humanitatem, quâ te cognovi redimitum ſimul, quia non me la-

tet

tet quanta veneratione quantoque amore colis divam atque intemeratam Virginem MARIAM, *ita ut quicquid ad laudem ipsius accedit cum plausu & exultatione recipis. Ideò mittere curavi Opusculum nonnullis lucubrationibus editum de Conceptione ipsius intemeratæ Virginis ad refellendam pertinaciam eorum, qui conceptam in peccati originalis labe probare nituntur, non existimantes Ecclesiam ore Salomonis cecinisse ac dixisse totam pulchram & maculam in ea non esse. Accipe igitur, Præsul Reverendissime, munusculum erutum de primitiis frugum agelli illius qui famulatu non modico tibi obnoxius est, & si quâ liturâ castigandum videris, omnia tuæ dignationi remitto, atque si eam gratiam (cujus debitor sum) referre non valeam illam tamen tibi arbitreris me semper habere. Vale. Et valeat optime tua præstantissima Paternitas.*

ANTO-

ANTONII FORNERII Cuciacensis Sacræ Theologiæ Professoris Dialogus de peccato originali & Conceptione Virginis MARIÆ feliciter incipit.

CUm de communi officio amicitiæ ipse ego cum Joanne Rolando docto admodum viro, ex instituto conveniſſemus, & oppidi nostri externa peteremus deambulatoria, atque, ut mos est amicorum, de variis rebus verba faceremus, ita ut nè sermo quidem noster cuiquam nostrorum oneri esset, inter loquendum enim animadvertimus duos nos præcedere viros, qui lentis ferè incedebant vestigiis, quibus illis ineſſe multum modestiæ atque ingenii proprius declarabat corporis gestus. Cùm enim ad eos maturiori acceſſimus gressu, nè celerius nobis præirent simul, ut quicquam ex sermone eorum caperemus illiſque aures præberemus attentas. Cùm nos verò propius intelligerent, signum dederunt salutationis. Neque propter hoc à sermone incepto quem ultrò citroque habuerant destiterunt. Et quòd nomina eorum nos laterent, qui major natu erat, appellavimus Respondentem, qui verò minor Quærentem. Is quippè qui major erat imprimis admirabatur nostri oppidi muros non modò eorum sumptum atque impensam, sed etiam quantùm excedant alios totius Galliæ fortitudine. Interrogans enim minorem quid de tanta ædificatione ejus sentiret animus. Nihil, inquit, aliud sciendum puto quàm hoc gratiâ fuiſſe factum, niſi ad tuendam habitantium securitatem & arcendam hostium potentiam. Sed miror admodum mortalium stultam curam, quid ædium tam curiosa faciant ædificia ubi ea vincant pleroſque nostræ ætatis terminos.

RESPONDENS.

HÆc est fermè omnium consuetudo mortalium, ut vanâ spe frequentiùs illudatur, quàm alicujus rei securitate firmetur. Videſne quantò fallun-

falluntur ludibrio qui novas domos ædificant; ut sua ædificia multò sint productiora ætate hominum. Longè aliter sentivit Diogenes, qui pro domicilio fecit dolio volubili habitaculum, ut domus sua suam non superaret ætatem.

QUÆRENS.

Si domicilia ætate hominum æquari studeas, hominum profectò ætate & domiciliis nihil brevius putabitur.

RESPONDENS.

Durius est si mortis occasio hominum vitam celerius præscindat, cùm nec juventuti nec senectuti cujusquam parcere velit, sed in puncto absorbeat.

QUÆRENS.

Magna quidem infelicitas est generi hominum, nullam in vita habere securitatem quam ætatis suæ terminum tutus pertransire valeat, quin semper capiti suo mortem habeat impendentem, ita ut interdum celerius aut tardius insperato adveniat.

RESPONDENS.

Rectè sentis quemadmodum funestè agat, adeò ut semper vitam hominum nihil aliter quàm esse in pendulo existimet.

QUÆRENS.

Censerent tamen qui rerum existimatores esse arbitrantur, Deum immortalem, qui hominem omnibus prætulit animantibus & rationem fecerit ei communem cum Angelis cum non potiùs immortalitate velle perfui quàm moribundum sibi corpus perstitisse, ut qui æternus erat & æternum finxisse opus videretur.

RESPONDENS.

Si intelligas quæ fuerit primi hominis plasmatio, non ignorabis eum per gratiam fuisse immortalem, & si quid mortalitatis sibi advenerit, Dei non fuit causa, sed hominis culpa.

QUÆRENS.

Quomodo hominis culpa hominem ad tantam depreſſit miſeriam? Velim tamen ſi res ipſa poſtulat, ut longiore ſermone me feceris attentum.

RESPONDENS.

Si utique primorum parentum mediocriter culpam atque peccati cauſam tibi aperiam, intelliges diei brevitatem ſermoni non ſufficere cùm res ipſa multas paritura ſit diſputationes. Sed, ut dicere incipiam, primi homines ad imaginem Dei de terra facti & vitæ ſpiraculo editi introducti ſunt in paradiſum deliciarum. Ut ibi beatâ immortalitate fruerentur, Statuto tantùm à Deo unico præcepto, nè de ligno ſcientiæ boni & mali comederent, ſin aliter, in quacunque hora guſtarent, mortis ſubirent periculum. Quòd ſuaſu diaboli contrafecerunt, undè non ſolùm ipſi, ſed ipſorum poſteritas morte mulctata eſt. Quò factum eſt, ut ad tantam vitæ brevitatem devenerint, ut quocumque ierint mors illos ſequatur.

QUÆRENS.

Res profectò miranda dictu & ſeveritate plena, ut pro unica præcepti trangreſſione non ſolùm ipſi, ſed omnis poſteritas pœnæ mortis ſit obnoxia. Saltem ſi ipſa peccati noxa, ſuos tantùm teneret Auctores adminiſtratio non pulſaret animum. Sed non poſſum non moveri, quòd ipſa poſteritas peccato ſit attrita, quæ cauſam peccati non habet.

RESPONDENS.

Si rectè perpendas intelliges omnes inveſtigabiles vias Dei veritatem, & omnia judicia ejus præſeferre æquitatem, nec primos parentes, nec eorum poſteritatem fruſtra luiſſe pœnas exiſtimabis, ſi itaque eorum quæramus noxam animadvertemus eos per unius Domini præcepti inobedientiam fuiſſe tranſgreſſores. Præceperat eis, ut paulò antè diximus ne comederent de ligno ſcientiæ boni & mali, magis utiq; aſſenſerunt ſerpentis conſilio quàm divinæ inhibitionis præcepto, comederunt quidem, ut Deo æquarentur: ſed ita factum eſt, ut illius esûs tranſgreſſione morti adjicerentur. Non ſolùm itaque unius peccati culpæ rei habiti ſunt, ſed etiam in plures peccatorum lapſus corruerunt, tamquam ex una arbore

bore plures rami effundantur. Nam ut Deo ſimilis eſſet, comedit, & ideò ſuperbiæ maculâ carere non potuit. Sacrilegium commiſit, quia ad lignum vetitum manus mittere auſus eſt. Homicidium, quia ſibi mortem conſcivit. Fornicationem non evaſit, quia lignum pulchrum viſu concupivit. Furtum, quia rem ſibi prohibitam arripuit. In avaritiam lapſus, quia plus quàm ſufficiebat accepit. Ecce quemadmodum unâ præcepti trangreſſione multorum factus eſt reus. Undè tanta fuit noxæ iniquitas, ut quicquid maculavit in primis parentibus tamquam in radice vitiatum fuit in poſteris tamquam in propagine, ut quicumque ex eis naſcerentur eâdem peccati lege eſſent obnoxii.

QUÆRENS.

Quomodo fuerit tanta peccati aut facti atrocitas, ut tranſire debeat ad poſteros, ediſſere rogo quod incepiſti.

RESPONDENS.

Jam factum aperiis; intellexiſtine quo pacto unius commiſſi caſus in plures ceciderunt? Reliquum eſt, ut audias facti magnitudinem, Deus omnipotens ſuæ bonitatis largitione non neceſſitate fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarū minuens illum paulùm ab Angelis illumq; rationis participem atq; ſuper omnia animantia condidit præſtantiorem. Prætereà poſuit illum in paradiſo voluptatis, ut ibi delitiis frueretur, voluit ſolùm (ut diximus) illum eſſe unius præcepti cuſtodem, tamen taliter ſibi arrogavit, ut Creatoris ſui neglecto mandato auſus eſt cupidas manus ad vetitum mittere lignum. Non ignorantia illum potuit facere innocentem, quem multarum rerum cognitio poterat efficere prudentem, qui jam omnibus rebus nomina impoſuerat. Sciebat item, quid verbum Creatoris præceperat, dicebat enim illi, ut in quacumque hora comederet, morte moreretur. Non veritus eſt mortem, neque Creatoris præceptum. Non tantùm timor mortis, neque Dei reverentia illi perſuaſit quantùm vanarum rerum fefellit ambitio. Parvifaciebat Dei præceptum, ut ſerpentinæ daret locum ſuggeſtioni. Prætereà potiùs malignæ adhærebat mendacio creaturæ quàm veritati & bonitati Creatoris: quæ non conſiderabat mandati bonitatem & Dei magnitudinem. Et quia expetebat Deitatem, ipſa Deitatis juſtitia illum præcipitavit in mortem. Ideò non ſolùm

ipſi ſoli, qui primi parentes erant, in præcipicium mortis corruerunt, ſed etiam (quia totius humani generis ſeminarium erant) omnis illorum poſteritas in pœnam mortis addita eſt. O infelicem ruinam quæ vitam ſuppreſſit & mortis erexit principatum: *Itaque non ſolùm reſpexit Deus primos homines tamquam humani generis individua, ſed tamquam ſpeciem: in qua tota humani generis maſſa continebatur.* Et quia peccato fuit vitiata, totum, quod ab ea exiit labe peccati fuit obnoxium. Non incaſſum Propheta dixit: *Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea.* Nec ab iſta ſententia Pauli verba diſcrepant, ubi dicit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Omnes enim eramus in ipſo Adam tamquam in uno humani generis ſeminario: igitur quia Adam peccavit, tota ipſius peccavit poſteritas.

QUÆRENS.

Intelligo ex te non modò ipſam primorum parentum propaginem peccato eſſe obſtructam, ſed meritò puniendam. Sed quid ſit illud peccatum, antequam majora aggrediamur, velim edifleras.

RESPONDENS.

Peccatum quod originale vocant eſt noxa humano generi contracta ex primorum parentum tranſgreſſione, languorem inferens, & odium Dei gerens. Dicitur enim originale, quaſi cum naſcentibus trahens originem, ut quantùm interſit ab actuali peccato intelligamus, ut ſi dicamus noxam, quaſi noxiam, ſivè culpam, quæ ut paulò antè diximus à primis hominibus ducta eſt. Si enim quæras, quem generi noſtro inferat langorem nihil aliud intelligas quam quædam carnis adverſitas in ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Quæ quidem diverſitas cauſam morbi & mortis attulit paulatim, quæ humorum & corporis conterens armoniam & imtemperatis motibus ad vitiorum incitamenta provocans, ita ut ſemper peccati remaneat fomes, qui multis illecebris rationis plerumque vires proſternit, ut nos reddat ad omne vitiorum genus proclivores, & languidæ virtutis facit occaſionem, ita ut interdum liberos non habeat actus, niſi mera voluntas vitiorum frena coërceat. Sed ipſa carnis moles cum ſpiritûs ſinceritate duellum facit, adeò ut alter alterius vincat intentum. Prætereà ut diximus elementorum aut corporis regula ad eam conditionem devenit, ut plerumque unius humoris ma-

lè dominantis alios perturbet, & ex ipsâ intemperiè ad grave genus morbi descendat.

Ita ut nisi interveniat medicinæ præsidium actum de illo quis non dubitet? Secus verbum Dei æstimaretur irritum qui primò dixit homini *maledicta terra in opere tuo*: mulieri verò *in dolore paries*. Satis futuros dolores & naturæ languorem quæ ex transgressione præcepti primis contingit parentibus hominum Psalmator designavit, cùm dixit: in quacumque hora comedetis, morte moriemini. Sapientissimus quisq; proculdubio intelligit, ut dum nascitur homo mori incipiat necesse est. Nonnè mortis habet initium, qui quantò magis ab ortu suo longatur, tantò propinquior sibi mors est? Qui sunt mortis nuntii, nisi corporis dolores, morbi angores, & alia corporis incommoda, quæ plerumque ducunt ad mortem? Mortuus etiam existimatur, qui ab Auctore vitæ destitutus est. Nam sicut animâ relinquente corpus mortuus est homo, ita animam à Deo derelictam mortem incurrisse certum est. Præterea quomodo vivere potest, quem gratia deseruit divina. Non frustra post esum ligni aperti sunt oculi eorum & cognoverunt, quòd nudi essent cognoverunt quippè nuditatem eorum, qui nudati fuerant gratiâ Dei quâ priùs vestiti erant. Non ante clausos habebant corporeos oculos, nè priùs quidem tecti erant, ut posteà viderent. Quid utique viderunt, nisi quia se errasse cognoverunt, quorum error mentis induxit confusionem. Non intellexerunt gratiæ beneficium, quo Deus eos donaverat, sed quasi mentis cæcitate capti, aperti sunt oculi, ut cognoscerent erroris malefícium. Non injuria, inquit Psalmographus: *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Ideò post gratiæ privationem facta fuerunt corpora eorum mortalia, qui priùs poterant non mori. Hinc omnia ista à gratiæ carentia profecta sunt, ubi non deest odium divinum sivè debita justitiæ pœna.

QUÆRENS.

De originalis peccati diffinitione satis amplè fecisti, sed reliquum est quonammodo homo per peccatum Dei gerat odium.

RESPONDENS.

Id quòd odium Dei diximus peccati originalis ratione, nihil aliud intelligas quàm pœnæ obligationem, quæ pendet ex peccati noxa ad quam omnis Adæ posteritas adstringitur. Ideò filii iræ nuncupantur, sivè quos justitia divina puniendos expectat.

QUÆRENS.

Sermo noſter ita impellit animum, ut ex prædictis longè alia naſci dubia videantur. Elucides velim, num primus homo ante peccatum gratiâ, an naturâ immortalis fuerit.

RESPONDENS.

Non ignorant hi, qui philoſophiæ acumina noverint, id quod ex contrariis componitur ad tempus diſſolubile eſſe neceſsè eſt. Adam verò Deum finxiſſe conſtat ex limo terræ, in quo quatuor elementorum maſſa continebatur quâ qualitate diverſa ſunt, undè talibus liquet Adam naturâ corruptibilem, igitur mortalem.

QUÆRENS.

Miror enim, quòd ab judicio majorum diſſentis: Auguſtinus noſter Eccleſiæ lumen inquit: Quapropter fatendum eſt primos quidem homines ita fuiſſe inſtitutos, ut ſi non peccaſſent nullum mortis experirentur genus, ſed eoſdem primos peccatores ita fuiſſe mulctatos & etiam quicquid eorum eâdem pœnâ teneretur obnoxium. His igitur verbis perpende primi hominis immortalitatem à natura potiùs quàm alio peccato fuiſſe inſtitutam.

RESPONDENS.

A tanto quis diſſentiet Auctore? Nemo, niſi ductus arrogantiâ. Nec vellem nec poſſem illius dictis adverſari, quo inter Eccleſiæ Doctores nemo doctior, nemo ſacris Litteris melior. Sed rem in medium adducis & non rei modum, quæ ſine diſcretione aperiri nuſquam poteſt. Eam, quam profectò adducis inſtitutionem in primis hominibus, quæ immortalitatis eſt, naturæ non fuit, ſed gratiæ. Neque Auguſtini verba aliter ſentiunt. Lege quid in ſuo de Civitate Dei opere alibi dixerit: Patebant ergò oculi eorum, ſed ad hoc non erant quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra voluntati repugnare neſciebant. Quâ gratiâ remotâ, ut pœnâ reciprocâ inobedientia plecteretur. Extitit in motu corporis quædam impudens novitas, undè eſſet indecens nuditas, & fecit attentos, reddidit confuſos. Ex quo intelligi datur Adam immortalitatis indumentum per gratiam habuiſſe & non per naturam. Quare fruſtra fuiſſet remota gratia, remota fuiſſet immortalitas, undè patet per ſubſtractionem immortalitatis, quæ erat ipſa

gratia.

gratia. Ipſius verò gratiæ diſparuit effectus. Ceſſit peccato gratia, ceſſit mortalitati immortalitas: ceſſit miſeriæ facultas, ceſſit amor odio, ita ut adveniente uno contrariorum impugnetur alterum neceſsè eſt. Undè conſtat gratiam cum peccato ſtare non potuiſſe quæ immortalitatis cauſam faciebat. Nè quidem Creator, qui fingit hominem primum, alio pacto res ſuas, quàm per gratiam cenſuit meliorandas. Multos à periculis eo modo ſervavit indemnes: Eſt ea gratia, quæ Dei facit miracula, quæ naturæ ſuperat vires, quæ corruptioni addit perpetuitatem, quæ mortalitati affert immortalitatem, quæ peccatores recipit ad miſericordiam. Quis virtutes ejus enarrabit? Pauca enim exempla pro multis afferamus, quemadmodum gratia liberat, ſalvat, meliorat: Liberavit quippè Sidrac, Miſac & Abdenago ex ignis incendio: ita ut corpora cum vita ab ignis æſtu atque acerbitate tuerentur. Nec perdidit tamen in ſervando ignis comburendi virtutem (quia quos reperiebat juxta fornacem comburebat) & qui erant in fornace illæſos ſervabat, ignis in eos non agebat: non propter igneæ virtutis defectum, ſed quia gratia Dei illos vallabat. Quis igitur non conſideret primos parentes ante peccatum fuiſſe mortales per naturam, qui ex corruptibilibus facti erant, tamen ea corruptibilitas non agebat (ut dictum de tribus pueris) quia gratiâ Dei muniti erant, ita ut vires mortalitatis ſuſpenderentur, ideò immortales habiti ſunt, quamdiù non peccaverunt, ſed poſt peccatum ab immortalitate ſuſpenſi ſunt, quia erraverunt. Quid ſervat Enoch, qui mortalis erat, adhuc immortalem? Quid Heliam tranſlatum per turbinem? Quid Joannem Evangeliſtam, cujus anima à corpore diſſoluta non creditur, ſed ſic Deus eum voluit manere? Quid ſervavit illum ab olei fervore? omnia enim iſta fecit gratia Dei non natura. Natura quippè gradum ſuum ſervat, gratia emendat, peccatum deturpat & immutat, & plerumque fugat gratiam: Quapropter homini primo peritâ gratiâ dictum eſt: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Significans quòd de materia corruptibili factus erat, quæ corruptibilem illum faciebat per naturam, ideò non ſolùm mutaturus erat in eam, ſed etiam à quo eſt compoſita diſſoluturus. Nunquid non diſſoluta fuit, quando limus, qui erat terra humore mixta, in ſiccitatem erat reverſurus, hoc eſt, in pulverem. Quid diſſolubiliùs poteſt eſſe quam elementorum colligationem diſſolvi, & converti in terræ ſiccitatem. Hæc enim faciunt noſtræ carnis finem.

QUÆ-

QUÆRENS.

Rem planè elucidaſti de hominum inſtitutione: reliquum eſt, ut declares, qualis in ipſis erat ante peccatum immortalitatis ſtatus, quem juſtitiam originalem vocant.

RESPONDENS.

In vita humana melior nullus ſtatus exoptari poterat. Hominis corpus humorum habebat temperatiſſimam regulam, ita ut nec aliqua gravi afficeretur valetudine. Sed incolumitate fruebatur quamdiù volebat. Nullis illecebris nullis motibus incitabatur impudicis. Nullus timor ad terrorem. Nulla ira in cordis fervebat viſceribus. Nihil habebat doloris, qui torquere poſſet. Nullius egeſtatis nullius infortunii metuebat caſum. Erat illi cibus & potus ad delitias & ſufficientiam. Nulla eſurie, nulla ſiti afficiebatur; in animo continua erat tranquillitas: Lignum vitæ illi erat in medicamentum, nè ſenio conficeretur. Paradiſum poſſidebat voluptatis, ut delitiis & aurâ frueretur æthereâ, in conjugali ſocietate illos regebat honeſtus amor. Nulla temporis calidi aut frigidi premebat intemperies: deambulatio aut corporis greſſus præbebat nullâ laſſitudinem: ad voluntatis nutum movebantur membra propter prolis fœcunditatem, non propter libidinis ardorem; adverſabatur minimè caro in ſpiritum, nec ſpiritus adversùs carnem, ſed juſtitiæ regulâ membrorum lex ita regebatur, ut nihil niſi rectum peteretur. Carnis gravitas nihil oberat animæ. Anima ut corporis forma nullas permittebat fieri illecebras, ita ut lex carnis adverſus animam nullum teneret principatum. Semper vivendi erat ei poteſtas. Non erat ei labor in divini mandati cuſtodia. Nullus cruciatus mulieris partum ſectuus foret. Voluntatis ſuæ arbitrium homini erat liberum, ita ut ſtatum à Deo conceſſum retinere, tamen ab eo ſine reditu poſſet abire.

QUÆRENS.

Quis meliorem ſtatum in hominum vita excogitare valeat? Vellem profectò hunc præſentiſſimum de hujus conditionis miſeria ad illum poſſe reverti. Sed hìc quo utimur non gaudio, ſed mœrore dignus eſt, ubi tantæ rerum calamitates, tanta caſuum acerbitas nobis infligitur mortalibus, ita ut de immortalitate quippè ad mortalitatem noſtro devenerimus errore, vereor, ne ſtatus melior, an deterior expectandus ſit.

RES-

RESPONDENS.

Tria in primis hominibus ſtatuum genera intelligenda ſunt. Primus quoque ſtatus fuit hominis poſſe non mori, ſi non peccaret. Secundus minimè potuiſſe non mori poſt peccatum. Tertius poſtcorporum reſumptionem mori non potuerunt, ſivè qui pœnas dabunt, ſivè qui gloriæ obtinebunt præmium.

QUÆRENS.

Nulla futuræ gloriæ incertitudo nobis foret, ſi ipſi primum utique ſtatum retinere valuiſſent, qui beatâ fruebantur immortalitate locumque deliciarum poſſidebant, quem relinquere compulſi ſunt. Cæterum quis ſit is locus ubi poſitus libenter audire velim, in quo tam optimarum rerum viget fertilitas.

RESPONDENS.

Locus, qui voluptatis paradiſus nuncupatur, eſt in plaga ſitus orientali vegetabilibus gemmiſque pretioſis fœcundus, temperatiſſimo aëre ſaluberrimus: vitæ humanæ aptiſſimus hominibus inadibilis, igneis muris divino cinctus præcepto. Pars illum orientalis poſſidet, quòd inter mundi plagas ea dignior exiſtimatur. Nam ab oriente virtus omnium rerum pretioſarum emanat, & non modò ille paradiſi locus, ſed etiam illius loci vicinitas tantis divitiis fœcundatur quantùm ſibi homo rebus humanis precari poſſet, India enim quæ orientali plagæ finitima eſt optimarumque uberrima ſpecierum, lapillos enim gignit pretioſiſſimos, arborum, herbarumque genera diverſa miræ virtutis ac ſummo aromate redolentes. Hæc etiam ſabulis atque montibus aureis argenteiſq; ditatur regio. Ex vegetabilibus continua exiit viriditas? Quid ampliùs? Si hæc regio multarum ſit rerum opulenta, quid paradiſi loco tribuemus qui laude majori eſt attollendus? Item, ab oriente naſci expertum eſt diverſarum aquarum fluenta. Quis etiam dicat ſolis ſtellarumque motus in oriente non oriri? Aurora diei nuntia noctis exitum dieiq; initium in eadem parte diſcernit. Pars illa denique dignitatis habet nomen cùm Redemptor noſter ex Zachariæ prophetæ teſtimonio hoc nomine vocaretur. Quapropter longè aliis partibus orientis plaga accommodatior pro paradiſo voluptatis exiſtimanda eſt.

QUÆRENS.

Perſpicuum eſt enim indubitatâ ratione, quæ paulò ante dixiſti veritatis habere teſtimonium, ſed illius partis, quæ non parvam habet latitudinem quo pacto erit cognoſcenda proprii ſitûs definiti, ita ut intelligamus quantam terræ portionem ipſe locus ambiat, aut ad quod latus potiùs declinet.

RESPONDENS.

Hæc loci conſtitutio ſub æquinoctiali conſtituitur linea, quæ inter duo zodiaci ſolſtitia media eſt, à parte verò auſtrali eſt, hyemale ſolſtitiũ à parte autem ſeptentrionali metitur. Linea quidem equinoctialis inter ſecat à capite arietis zodiacum uſque ad libræ initium. Hunc lineæ punctum quando ſol ingreditur in qualibet mundi parte dies habentur cum noctibus æquales; itaque in oriente ſub ejuſdem lineæ puncto voluptatis paradiſus ſitus eſt?

QUÆRENS.

Quomodo poteſt hic locus quicquam habere temperamenti cùm hæ lineæ propter ibi ſolis ardorem torrida vocentur, ubi continuo æſtu ſol influat.

RESPONDENS.

Si mediocriter rerum cauſas intelligas, linea æquinoctialis nihil affert intemperamenti. Nam & ſi linea eadem lineæ torridæ vicina ſit, tamen longè abeſt ab immoderato æſtu, quandoquidem noctium dierumque continua æquatio exceſſum temperet caloris, ita ut nox diei calorem & dies noctis frigus compeſcat. Præterea hæc zona inhabitabilis aut intemperata neque propter ſolis ardorem cùm debet dici non in eadem linea aut ab eadem continua ſolis ſit declinatio. Probatur utique quòd ſi ſol fuerit in arietis capite, ita ut faciat eâdem die lineam zenicam, poſtri die erit ab ea ferè diſceſſus per minuta, ex quo fit, ut intelligatur minimè ſolis in eadem linea continua ſtatio, ſed ab eodem lineæ puncto continua variatio, ita ut modò ſi accedat ad meridianam lineam, iterùm revertitur tranſeundo per æquinoctialem ad eam, quæ eſt ſeptentrionalis ſolſtitii. Cujus motûs varietas prohibeat ardoris firmitatem neceſſè eſt: Planetæ frigidi calidorum fervorem compeſcunt. Si dicatur eandem

dem partem perpetuam retinere caliditatem, minimè eſt tamen ea quæ arceat temperamentum neque ab ea inhabitationis uſum. Exemplum ſiquidem colligitur de fortunarum inſulis, quæ Mathematicorum probatione ſub æquinoctiali conſtituuntur linea, quæ (ut ferunt Coſmographi) tantam habent bonarum rerum & temperamenti copiam, ut à multis Paradiſus voluptatis putentur.

QUÆRENS.

Ab eiſdem profectò rationibus poſſum recedere minimè, ſed abs te quærendum puto, ut nonnulli ſenſerunt, an is locus in monte poſitus tranſcendat omnem elementorum rotam, ita ut regionem contingat ætheream, an alio ſe habeat modo.

RESPONDENS.

Qui volunt hunc locum ſupra igneam ſpheram, pace eorum dixerim, quoniam non ſolùm ingenio loci, ſed etiam ſphericæ figuræ adverſatur. Terra namque orbicularis globi formam habet, æquis undique ſpatiis diſſidens à firmamento. Nec propter montium abrupta tollitur circularis æqualitas, quæ aquâ cingitur, & quæ in oceanum, aut diverſos ſinus diffunditur, ita ut ex ea aliqua ipſius portio appareat arida, ut eam homines multaq; animalium genera inhabitare valeant: dein aëre, poſteàq; igne ſupercingitur ad ætheream uſque ſpheram. Quę quidem ſervata circulari imagine omnia ſuum habent ordinem. Si igitur intelligamus terram ſuam rotunditatis ſervare menſuram, conſtat indubitanter nullam ejus portionem aëris atque ignis excedere ambitum, quòd non ipſi rotunditati faciat difformitatem. Ad hoc ex paradiſo ingentia manant flumina, herbarum arborumque viror magnis vegetat incrementis: itaque quomodo elementa extra regionem ſuam, ubi omnium elementorum ignoratur qualitas, quæ poſſit immiſceri, contineri, vegitari? Quis dicat ab ęthere aquam manare poſſe aut aliud elementum ibi retineri, cùm hæc regio nullum eorum patitur? æther enim regio eſt lunare cœlum attingens, igneâ ſpherâ ſuperior ad quam perpetua luce confluant omnium ſtellarum radii, quæ nulla diverſarum qualitatum admixtione connectitur. Quare minimè ſuſpicandum eſt ad hanc ætheris regionem aliquid elementi poſſe accedere, nè montis quidem cacumen eam attingere, neque ubi aliquid elementatum vegetari. Sed ſolùm inter ipſa elementorum confinia ea loci proprietas locanda exiſtimetur.

QUÆRENS.

Nihil clariùs dici poteſt: magnum ſanè nobis in terris munus Deus contuliſſet, ſi hujus loci perpetua fieret habitatio.

RESPONDENS.

Non fruſtra dixeris divinum munus datum fuiſſe hominibus, ſi ab eis retentum foret, cùm paulò ſuperiùs dixi quæ ſit ejuſdem loci qualitas & ſitus. Nec ſatis laudare valet hominum conjectura quanta ſit in eo amœnitas, quanta claret virtute. Habet quippè in ſe lignum vitæ, cujus eſus perpetuam hominum vitam conſervat. Tanta eſt ibi aëris temperies, ut nullus fulminis ictus, nulla coruſcatio, nullius peſtilentis aëris contagio, nulla rerum intranquillitas, nullus æſtus, nulla hiemis frigiditas corpus hominis conturbet, neque morbus, neque mortis detritio aliqua vitam extinguere poteſt. Terra eſt irrigua, ſolo fœcunda, rerum optimarum optima, omni tempore fructifera, non ſolùm in herbis aut arboribus, ſed etiam gemmarum pretioſitate & divitiis, nihil in terra ditius exiſtimari poteſt. Quid plura? Hortus eſt omni amœnitate ac voluptate conſpicuus.

QUÆRENS.

Luctu perpetuo humano generi deplorandus ille locus, qui non minus datus erat ad vitam quàm ad hominum felicitatem: O infelix peccati labes, quæ tantò nos abdicavit commercio!

RESPONDENS.

Ex illius loci diſgreſſu triplex nobis malum inditum eſt, languor continuus mortis, inſecuritas, incertitudo poſt mortem quid nobis futurum ſit. Hæc omninò fecit primi hominis tranſgreſſio, quæ nos ad tale ſervitutis jugum compreſſit.

Secunda Particula.

HIs inter eos habitis Sermonibus, nè loquendi frequentia tœdium ingereret (tamquam qui viam ſint ingreſſuri longiorem) defixis pedibus pauliſper ſpiritus laxatos recolligunt. Nec tamen paulò poſt ab inceptis

inceptis quiescere ratio dicendi permittebat. Tum quærens, ut videret respondentem ex interrogatis minimè fatigari suspirans inquit: Multa ex te accepi ex superioribus auditu quidem digna, sed libenter abs te quærere velim, an quisquam sit qui in conceptu labe parentum carere possit, an ab eadem lege nullus eximatur.

RESPONDENS.

Duo sunt utriusque sexûs, qui peccati originalis in conceptione eorum expertes fuisse creduntur, Dominus noster Jesus Christus, ejusque Mater Virgo Maria quos originalis aut actualis macula nunquam attigit.

QUÆRENS.

De Christo quem ab omni macula excipis nemo sanæ mentis cùm de peccatis agitur facere debet quæstionem, cùm ipse mundus in mundum venerit, ut mundum à peccatis redimeret & salvaret quòd perierat. De Virgine autem Maria, quomodo sit plena gratiâ, quanta fuerit ejus puritas, quemadmodum omnis maculæ peccati nescia sacræ testes sunt litteræ, quæ illam divinis clamant præconiis sanctam immaculatamque Virginem ante partum, Virginem in partu, Virginé post partum ab omniq; peccato alienam. Tantis profectò laudibus digna est, ut neque vox neq; hominis mens satis laudare valeat. Verumtamen, sicut ex Sanctorum testimoniis accepimus, omnes qui de viri & mulieris concubitu nascuntur lege peccati originalis sunt obnoxii. Quomodo igitur tantam Virginem ab eodem peccati nexu intelligere poterimus immunem, quæ eâdem lege concepta est?

RESPONDENS.

Rem in medium affers quæ non modicâ ambiguitate complectitur, nè res quidem talis est quæ illotis debeat tangi manibus. Itaque tantæ quæstionis nodum absolvere meâ non interest, nec mare aggredi quòd tantis jactatur fluctibus, nisi habeam qui me securè (nè faciam naufragium) tutum ad portum reducat. Sed spero in Deum, qui facit mutos loqui, & linguas infantium disertas, & qui dat verbum evangelizantibus virtute multa, ipse erit mihi adjutor, & diriget in via gressus meos & sperabo in eum. Multas quippè res in præsentiarum adducam si cursum sequar quæstionis, quibus haud erit obscurum aut minimè

abſurdum oſtendere intemeratam atque immaculatam Virginem in Conceptione omninò maculâ peccati originalis caruiſſe.

QUÆRENS.

Animadverto ſi tantam Virginem curaveris oſtendere in Conceptione peccati labe minimè eſſe obſtrictam, non poteris multis Sanctorum ſententiis non adverſari, quas omnes in medium proferre fortè eſſet oneroſum. Aſſertioni verò eorum (qui tantâ ſanctitate & ſcientia claruerunt) repugnare non minus erit abſurdum quàm arroganter factum. Verumtamen aliquos de multis adducam, quorum auctoritas æſtimatioque in ſacris dogmatibus fuit non modica. Inter quos Beatus Bernardus, qui multa ad laudem Beatiſſimæ Virginis mandavit litteris, ita ut ejus præcipuus reputaretur laudator. Tamen auſus eſt dicere in Epiſtola ad Lugdunenſes: Virgo in Conceptione minimè ſanctificari potuit, immò ipſa peccato fuit obnoxia, deindè virtute Spiritûs ſancti mundata. Et Anſelmus lib. 2. Cur Deus homo. Inquit: Licèt omnis Dei conceptio munda ſit & abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa undè aſſumptus eſt in iniquitatibus concepta eſt, & in peccato concepit eam mater ejus, hi enim multique aliquorum extant egregii codices, qui non parvi apud litteratos æſtimantur, ab eadem ſententia minimè diſſident. Quapropter eos aut tales cenſeri mendacium aut quicquam falſi protuliſſe, eorum ſanctitas non patitur.

RESPONDENS.

Quos adduxiſti in rem præſentem tantæ auctoritatis viros non in quoquam intelligendum puto eos falsò aſſeruiſſe quòd ſanctitati repugnare videatur. Aliqui enim Sanctorum multa ſcripſiſſe perhibentur, quæ reprehenſione digna viſa fuêre aut ipſimet quòd litteris mandaverant retractare non dedignati ſunt, aut in aliquibus actibus aliis alium reprehendiſſe conſtat, quòd tamen ita eos feciſſe, ut minimè ſanctitati eorum obfuerit. Legimus utique Paulum Apoſtolum Petrum Apoſtolorum Principem reprehendiſſe, ut docet Epiſtolâ ad Galatas, ubi inquit: *Cùm autem veniſſet & Petrus Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: Prius enim quam venerit à Iacobo cum gentibus edebat. Cum autem veniſſent ſubſtrahebat & ſegregabat ſe timens eos, qui ex circumciſione erant, &c.*

Itaque

Itaque res ipsa apertè docet, si Petrus Apostolus Ecclesiæ caput potuerit ab aliis reprehendi, quid de inferioribus dicemus? An propter hoc sanctitas ejus violata extirit? Minimè: sed non minus firma permansit. Augustinus noster Ecclesiæ lumen multa litteris edidit & ex eis nonnulla castigavit, & quia minus benè dixisse arbitrabatur, ea retractare non dedignatus est. Dicit enim ad Vincentium Victorem lib. 2. Negare non possum nec debeo sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis quæ possunt justo judicio & nullâ temeritate culpari. Quo magis tantus Ecclesiæ Doctor opera sua non veretur reprehensibilia fateri, eo ampliùs qui inferiores sunt majorem reprehensionis causam, si erraverint, possunt habere, & ita fieri potest, ut sanctitati non fiat injuria.

QUÆRENS.

Quopacto erit vera cum mendacio sanctitas? David Propheta utique testis est: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Item, alibi dicit Sciptura: *Os quod mentitur occidit animam.* Si hi quos dixisti quicquam mali egerint aut scripserint quòd emendatione dignum foret, mendaces eos esse agendo aut scribendo necesse est. Si mendaces, nè sanctitas quidem illis aut fides tribuenda est.

RESPONDENS.

Longè aberras (si scriptis suis constet quicquam errasse) eos mentitos existimari. Mentitur enim qui alio pacto mente percipit quàm ore profert aut litteris mandat. Quare aliud est mentiri, aliud est errare, aliud est mendosum esse. Errat verò qui ritè arbitratur benè agere aut dicere, & tamen à vero deviat. Mendosum esse est scriptum, quòd à falso aut corrupto exemplari ductum est errore scribentium. Itaque neque mendosos neque mentitos suis scriptis dixeris. Sed fortè dicendo aut scribendo errare potuerunt illæsa manente sanctitate, quoniam error ex ignorantia viri conficitur.

QUÆRENS.

Ex dictis quidem tuis nova mihi nasci dubia video. Si potiùs dixisse errorem quàm mendacium debuerim, quomodo rigor vocabuli moderatus sit? Dicimus enim errorem Gentilium, errorem Paganorum, errorem Judæorum, & quarumdam sectarum, ut Arianorum cujus vocabuli

buli ratio nihil aliud ſonare videtur quam falſam hominum perſuaſionem in contumeliam Chriſtianæ fidei & divini honoris. Quare cùm mentiri nec errare, aut neutrum eorum ſit cum quo hominis ſanctitas ſtare valeat.

RESPONDENS.

Ut lucidius rem intelligas & veritas tibi pateat tamquam granum à palea ſubſtractum. Errorem cùm vitæ ſanctitate manere non poſſe aſſeris, quòd multi eo modo ad animæ ducti ſunt perniciem: ſi enim rectè perpendens erroris diſcretionem unus eſt error, cui annectitur pertinacia, quâ homo à verò Fidei tramite ſecluditur, ita ut nec aliquo vitæ exemplo, aut rerum documento ad viam veritatis diverti poteſt, ut multi Gentilium aut Judæorum ſine aliorum infidelium & perfidorum, quos paulò ante, nominaſti. Alter eſt error qui abſque pertinacia habet aliquam veri ſpeciem, ita ut quibuſdam argumentis fides locum habeat. Id verò genus erroris tale eſt, ut nihil inculcet in veritatem noſtræ fidei, ſed tantùm habet probabilitatis faciem, ut ſunt nonnullorum Doctorum aſſentiones, quas opiniones vocant, quæ jure verioribus poſſunt dilui argumentis. Hoc enim pacto viſum eſt illis tali aſſertioni locum eſſe, aut expectant quouſque alius certiora dixerit. Undè plerumque non volunt ſancti ea quæ ſcribunt tamquam catholica aut neceſſaria, ſed tamquam probabilia dicere, ut ſuperiùs de Beato Auguſtino dictum eſt. Nec ab hoc Anſelmi verba diſcrepant in libro: Cur Deus homo, ait enim: Omnia quæ dico ſic volo accipi, ut ſi quidem dixero quòd major non confirmat auctoritas quàm illud ratione probare videar, non aliâ certitudine accipiatur, niſi quod interim mihi videtur donec Deus mihi meliùs revelet. Itaque quicquid in nonnullis ſcripturarum dixerint locis magis pro opinione quàm pro aſſertione accipiendum eſt. Nec talis eſt error in dicendo qui obeſſe valeat ſanctitati. Igitur ſi Beatiſſimam Virginem ſecùs quàm conceptam abſque peccati labe aſſeruerunt nulla cuiquam erit in eorum dictis refellendis temeritas.

QUÆRENS.

Rem conſentaneam dicis & ratione vallatam. Sed admiratio pulſat animum, an quòd de Beatiſſima Virgine, quam peccato ſic conceptam ſenſerint, hoc pendeat ex ingenii tarditate an qui alio pacto dixerint aut eorum ſententiis adverſantur illis, videantur acutiores?

RES-

RESPONDENS.

Nullatenùs dubites eos ingenio craſſos aut tardos propter hoc fuiſſe quia eam in iniquitatibus conceptam arbitrabantur, cum ingenii claritate non modica pollerent, qui pulcherrima opera ſuis ſcriptis reliquerunt, quæ ad honorem Dei & argumentum fidei ſcripta ſunt. Sed illis non deerant rationes, undè moverentur. Primum eos agitabat lex concipientium, communibus adhærendo verbis Pſalmiſtæ: *Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* Ea quidem verba confirmantur ex verbis Apoſtoli dicentis: *Omnes in Adam peccaverunt*; multaque alia quæ ſuo loco dicentur ad horum confirmationem. Alia oriebatur ratio, quia nullus Doctorum adhuc præter legem communem eo tempore quicquam de conceptione ejus expreſsè definierat. Quare viſum illis fuiſſet temerarium dictis majorum ſuorum contraire. Alia item impulit ratio: Verebantur enim nè Chriſto Redemptori noſtro fieret injuria, quando Beatiſſimæ Virginis Conceptio Chriſti æquaretur conceptioni, ſi eam abſque macula peccati conceptam tradidiſſent. His & talibus rationibus permoti ad talem ſententiam multi declinaverunt. Tamen hæ cùm in medium conferuntur rationes, dicendum erit ſecundùm temporis & loci accommodationem. Quas ob res potiùs erit eorum humilitati quàm tarditati tribuendum.

QUÆRENS.

Idoneas adduxiſti rationes de Doctorum ingenio, ſed intelligere velim, an qui ſine peccato conceptam volunt, hoc pendeat ex ingenii acumine, an alio pacto intelligant.

RESPONDENS.

Obtundere qui vult ſententias eorum qui Conceptionem Virginis cum peccato volunt, potiùs exemplo ducitur quàm perſpicacitate ingenii tamquam qui domos veteres reædificant. Certius enim prioris ædificii emendatione intelligitur quid agendum ſit in poſteriori, quam ſi ſolùm apparuiſſet inædificatum. Quoniam ab exemplo minus perfecti, majus perfectum educitur. Et tamen qui incipit ædificare, major fuit illi labor prioris ædificii deſcriptionem excogitando, quàm eam poſteriùs emendando. Ita majoribus noſtris magis debemus (qui nobis præclaros tractatus editioneſque memoriâ dignas finxerunt) quàm eis qui editiones

factas corrigendas putant. Quoniam majori mercede dignus est qui triticum seminat & metit, quàm qui purgat à palea. Quapropter majores nostri (qui tantis disciplinis tamquam egregiis præceptionibus nos instituerunt) rectius cõmendandi sunt, quàm de aliqua re minus benè dicta culpandi. Cùm non omnia possumus omnes, & quandoque bonus dormitat Homerus: quia ubi est intellectus finitus, ibi non est scientiæ perfectio. Tamen potest aliquid abundare in multis, quod in singulis partitur. Hinc est quòd multa intellexit Hieronymus, quæ ignoravit Augustinus, & è diverso, sicque de eorum posteris. Sed bifariè humanorum augetur scientia, quorum alterum secundùm succedentium traditionem, alterum secundùm nonnullorum excogitationem. Ea verò quæ à succedentibus acquiritur, ita acquirendo diffunditur, ut diffundendo augeatur & augendo excolatur. Undè Aristoteles fortè scientiam didicit Platonis, & auxit perceptam. Altero utique modo excogitatione augetur, ita ut quòd neque auditum aut à prioribus sæculis à quoquam traditum ex suæ cogitationis minera tamquam novam atque in lucem proditam disciplinam hominis ingenium putat fabricandum: Deus enim humanorum fictor ingeniorum semper revelat occulta, & ea quæ in multis jacuerunt ignorantiæ tenebris, signatque lumine vultûs sui, ita ut hominum ingenia secundum posteritatem acutiora redduntur. Ars utique impressoria testimonium affert, quæ nostro tempore inventa est, quo nihil subtiliùs, nihilq; utiliùs in effingendis litterarum characteribus excogitari potest, gratiâ cujus multa antiquorum opera (quæ in latibulis tamquam neglecta habebantur) multis promulgata sunt. Sic scripturarum sententiæ excogitantur aut minus benè traditæ emendantur: sicut qui novum effodit thesaurum collectumque indigentibus distribuit. Quare dicere possumus, si aliquibus majorum nostrorum obscurum fuerit Beatissimam Virginem concipi absque peccati labe, non erit admiratione dignum, si eorum sententia suppressa, à recentioribus suggerente probatione, assertum fuerit ejus conceptionem peccati maculâ omninò caruisse.

QUÆRENS.

Satis amplè fecisti de his quæ spectant ad Doctorum sententiam, sed libenter intelligere velim quâ probatione virgineus Conceptus Mariæ sine peccato erit exhibendus.

RES-

RESPONDENS.

Scio hanc rem difficilè elucidari posse sine adversantium improbatione. Tamen cum purgata à fece objectionum extiterit, nihil clarius nihilque lucidius poterit intelligi. Sed multi conantur (se ad legem communem conferentes) eam peccato originali in conceptione maculatam ostendere, intelligentes minimè Ecclesiam ore Salomonis ceciniſſe in Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Meritò enim totam pulchram dixit, quam nunquam aliqua peccati deformitas tetigit. Totam dixit, quia neque in corpore neque in anima nec aliquo tempore aut aliqua corporis parte ulla pulchritudo defuit ei, quàm summus rerum Creator inter pulcherrimas mulierũ præstantiorem constituit. Et non solùm dicit pulchram, sed macula non est in te. Cur opùs fuerat dixisse immaculatam, ubi aderat omnis decoris & pulchritudinis plenitudo? De se maculam nescire intelligatur, quoniam quòd tantùm pulchrum est maculam habere nemo existimat. Sic maculam duplicem quisque mortalis habere posse intelligitur, unam peccati originalis, alteram actualem, quia qui peccato originali in conceptione caruit, totus pulcher dici potuit. Et postmodum qui vitam sanctam & immaculatam duxisse creditur, totus mundus, totus pulcher, totus sine macula esse arbitratur: undè pro utraque macula Psalmista ait: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Sed duplex ratio illius rei habenda est: tum quod semper est, tum quod aliquando est: semper enim totus maculâ caret, qui nec in conceptione nec per totum vitæ spatium aliquâ peccati labe fuit obnoxius. Aliquando verò maculâ caret aut pulcher est, qui per aliquam temporis partem habere potuit aut carere. Quæ omnia ad Beatissimam Virginem conferenda sunt, quæ nec in Conceptione, nec in toto vitæ suæ tempore aliqua peccati labe potuit deturpari. Sed toto pulchritudinis ac virtutis splendore semper refulsit.

QUÆRENS.

Hâc, quam adduxisti, Salomonis auctoritate ad laudem tantæ Virginis nihil acommodatius esse potest. Sed abscisso (ut ita dixerim) uno Hydræ capite plura nasci mihi videntur. Quis potest adversantium objecta devitare? Fortè qui tantam rem volet refragari suspicabitur Salomonem his dictis lascivientibus lusisse metris & cujusdam mulieris amore finxisse Carmina: cùm de amicæ pulchritudine, de lectulo, de ejusdem

amplexibus tanta dicat, quanta ad ipſius rei uſum ſpectare videntur. Quare de hac Virgine (quam Salomon multa ante ſæcula præcedebant) nihil intellexiſſe ſuſpicandum eſt.

RESPONDENS.

Longè falleris, remque nefandam te ſcito dixiſſe, hæcque inter Canonicas recepta eſt ſcripturas. Et Auguſt. Salomonis codices Summâ commendatione extollit, quos non ſolùm inter Canonicas ſcripturas, ſed inter Prophetias annumerat, ut in ſuo de Civ. Dei opere 70. cap. ait: Salomonis quàm profuit ipſa ſapientia etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longè latèque laudata! Prophetaſſe etiam ipſe reperitur in ſuis libris, qui tres recepti ſunt in auctoritatem Canonicam Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticorum. Alii verò duo, quorum unus Sapientia Salomonis, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquii nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit conſuetudo. Non autem eſſe ipſius non dubitant doctiores. Eos tamen in auctoritatem maximè occidentalis antiquitùs recepit Eccleſia. Quorum in uno, qui appellatur Sapientia Salomonis, paſſio Chriſti prophetatur. Impii quippè interfectores ejus commemorentur, dicentes: Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis eſt nobis & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata diſciplinæ noſtræ, &c. Idem Auguſtinus nonnullis verbis intermiſſis eodem capite, ait: Jam verò Canticum Canticorum ſpiritualis quædam eſt voluptas mentium in conjugio illius regis & reginæ civitatis, quod eſt Chriſtus & Eccleſia. Sed hęc voluptas allegoricis tegminibus eſt involuta, ut deſideretur ardentius, nudeturque jucundius & appareat ſponſus cui dicitur in eodem Cantico: Æquitas dilexit te: & ſponſa quæ ibi audit: Charitas in delitiis tuis. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum: Salomon pacificus & amabilis Domini mores corrigit, naturam docet, Eccleſiam jungi: & Chriſtum, ſanctarumque Nuptiarum dulce canit Epithalamium. Idem in præfatione libri Proverbiorum: in Proverbiis parvulum docens, & quaſi de Officiis per ſententias erudiens. Undè ad filium ſermo crebro repetitur: in Eccleſiaſte verò maturæ virum ætatis inſtituens nè quicquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & brevia univerſa eſſe quæ cernimus. Ad extremum conſummatum virum & calcato ſæculo præparatum in Canticis Canticorum ſponſæ jungit amplexibus. Ecce quamadmodum Salomonis libri inter Canonicas ſcriptu-

ras

ras non solùm disciplinarum institutione commendantur, sed Propheticis refulgent dictis.

QUÆRENS.

Possum quidem minimè à tantorum auctoritate virorum recedere, sed ille spiritualis sensus ex dictis superioribus nulli dirigitur alteri, quàm ad Christi & Ecclesiæ amplexum. De Beatissima quidem Virgine, quàm Salomonis sententiâ adduxisti nullam Doctorum superiorum scripta faciunt mentionem.

RESPONDENS.

Si sacræ Scripturæ gravem perpendas uterum, intelliges quippè diversitatem fœtuum uno ortu effundere. Nam ut ait Gregorius: Sacra utique Scriptura magnis mysteriis est gravida. Dicamus exempli gratiâ, virga Aaron (quam Dominus ex omnibus tribubus Israël, delegit, ut fronderet & pareret Amigdala) typicum hujus rei designat mysterium. Non itaque unum Amigdalum, sed plura legitur peperisse. Ex quo datur intelligi quod non unus tantùm propheticus sensus è sacro Scripturæ fonte emanare consuevit, sed etiam in plures intelligentiarum rivos diffunditur, ut si ex unius arboris stipite ramorum excrescat pluralitas. Sed ut ipsa res clariùs dicatur: Prophetarum siquidem oracula duobus loquuntur modis. Uno quando nudis & apertis verbis rem futuram prædicunt, ut Isaias inquit: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Item alibi: *Puer natus est nobis & filius datus est nobis.* Daniël etiam dicit: *Post Hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus & non erit populus negaturus eum.* Et similia, quæ vox prophetica in plerisque Scripturarum locis cecinit. Altero quidem modo quando sub Ænigmatibus & rerum figuris loqui consueverunt, ita ut ex eorumdem obscuritatis velamine sensus propheticus aut ad unum, aut ad diversa dirigitur, ut vis ipsius eliciatur oraculi.

Non modo à prophetarum vaticiniis, sed etiam à S. Scripturæ historiis exempla ducantur, in quibus sub figuris & antiquæ legis tegminibus latent omnia novæ legis mysteria. *Noë fecit arcam de lignis levigatis & in ea fecit ostiolum per quod intrabat omne genus animantium. Idem Noë se recepit cum uxore & filiis in eandem arcam, & cùm cessasset diluvium, aperta est fenestra, quæ erat in latere arcæ.* Quid habet arca significationis, nisi ut Ecclesiam Christi significet futuram? Quæ receptura erat omne genus

hominum. Undè Pſalmiſta: *Omnes gentes quaſcumque fecisti venient ad te & adorabunt coram te Domine.* Alio modo potuit ipſum Chriſtum ſignificare in cruce pendentem, cui factum eſt vulneris oſtiolum in latere, quando lancea ipſum latus perforavit, undè emanarunt Eccleſiæ Sacramenta. Undè Auguſtinus de Civitate Dei lib. cap. 260. Jam verò quòd Noë homini juſto, & ſicut de illo Scriptura veridica loquitur, in ſua generatione perfecto (non utique ſicut perficiendi ſunt cives civitatis Dei in illa immortalitate quâ æquabuntur Angelis Dei, ſed ſicut eſſe poſſunt in hac perigrinatione perfecti) imperat Deus, ut arcam faciat in qua cum ſuis, id eſt, uxore & filiis & cum animalibus, quæ ad illum ex Dei præcepto in arcam ingreſſa ſunt, liberaretur à diluvii vaſtitate: proculdubio figura eſt peregrinantis in hoc ſæculo Civitatis Dei, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ ſit ſalva per lignum in quo pependit mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jesus. Nam menſuræ ipſæ longitudinis ejus ſignificant corpus humanum, in cujus veritate ad homines prænunciatus eſt venturus, & venit. Humani quippè corporis longitudo à vertice uſque ad veſtigia ſexies tantùm habet quàm latitudo, quæ eſt ab uno latere uſque ad alterum latus. Et decies tantùm quàm altitudo, cujus altitudinis menſura eſt in latere à dorſo uſque ad ventrem, veluti ſi jacentem hominem metiaris ſupinum ſeu pronum, ſexies tantùm longus eſt à capite uſque ad pedes quàm latus à dextera in ſiniſtram vel à ſiniſtra in dexteram, & decies quàm altus à terra. Undè facta eſt arca trecentorum in longitudine cubitorum & quinquaginta in latitudine. Et quòd oſtium in latere accepit profectò illud eſt vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum eſt. Hac quippè ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Et quòd de lignis quadratis fieri jubetur, undè ſtabilem vitam Sanctorum ſignificat. Quacumque enim veteris quadratum ſtabit, & cætera quæ in ejuſdem arcæ conſtructione dicuntur, Eccleſiaſticarum ſigna ſunt rerum. Perpendamus igitur ex Auguſtini ſententia quemadmodùm ex una ſacræ Scripturæ figura plures ſenſus, pluraque prophetica myſteria elici poſſunt, ita ut eadem arca dicat Chriſtum & dicat Eccleſiam. Non fruſtra ergò faciat Deus Virgam Aaron frondere, efflorere ac amigdala producere, quę nihil aliud ſignificant, quàm ex una virga, id eſt, uno ſacræ (ut diximus) Scripturæ myſterio plura naſci prophetica ſigna. Quid mirum, ſi ex Salomonis fonte dicatur: *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te?* Ita ut eadem amica poſſit ſignare Eccleſiam & Virginem

nem MARIAM, cùm omnis Doctorum Eccleſiaſticorum cœtus eandem Virginem iiſdem Canticis paſſim immenſis laudibus efferunt. Hieronymus quippè in Sermonibus, & præcipuè in eo quem de Aſſumptione Virginis edidit, quanto laudis præconio extollat, nemo qui legerit ignorat. Ad cujus laudis confirmationem, non ſolùm Salomonis Cantica, ſed etiam de aliis ejuſdem operibus inſerit. Quid de Ambroſio? Quid de Auguſtino? Et idem de aliis Eccleſiæ Doctoribus, cùm de laude tantæ Virginis curare volunt ſemper ejuſdem Sapientis verba tanquã præcipuè accommodata ſuis immiſcent dictis. Si igitur Eccleſiæ vox, quæ ſancto regitur Spiritu, iiſdem canonibus concrepet, quis negare audeat Salomonis Cantica tantæ Virgini poſſe accomodari? Cantemus itaque Beatiſſimam & glorioſam Virginem MARIAM cum Salomone hoc dulci carmine: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Incipit tertia Particula.

CUmque in directum turris eminentioris noſtri oppidi perveniſſent pauliſper obticuerunt. Non poterant quippè non admirari ſtructuras murorumque fortitudinem & alia quæ erant in circuitu oppidi munimenta quanto præſidio arcendus eſſet hoſtis, ſi expugnaretur. Nos intereà adhuc veſtigiis inſequentes quid acturi eſſent attentè obſervabamus. Poſt hæc iterùm incedentes priſtinos quos habuerant reſumpſerunt Sermones. Tùm quærens: poſſum minimè tuis dictis non aſtentiri, tamen in hujus quæſtionis pelago nobis altiùs remigandum eſt, ita ut ſi objectionum fluctibus jactari contingat à nobis ſint cautiùs adaptanda, ut ex alto mari ad quietis portum ſecuriùs appellatur navicula. Quia (ut ita dixerim) id quod de Virginis Conceptione auſpicati ſumus nihil, niſi palpaſſe quidem animadverto & ad vivum haud tetigiſſe videmur. Quapropter res ipſa nobis perſpicacius eſt aggredienda. Ponamus ante oculos quemadmodùm tota humani generis maſſa primorum parentum trangreſſione infecta ſit, ita ut qui ex eadem propagine ducti ſunt per viri & mulieris concubitum, peccati originalis lege ſint adſtricti. Quare non erit ineptum omnes rationes congerere quibus veritatis adverſarii ſe fulciunt, ut illis dilutis multò clarior appareat veritas: & verè ipſa dicere incipiamus. Dicunt quidem (ut ad cætera reſpondeam) ſi tota humani generis maſſa corrupta ſit,

&

& per concubitum viri & mulieris propagata, Virginem MARIAM, quæ de tali maſſa educta eſt, ab hoc peccato non potuiſſe excipi, ut ait Apoſtolus ad Romanos quinto: *Per unum hominem mors intravit in mundum, ex quo omnes peccaverunt.* Et in eodem loco: *Sicut unius Adæ delictum regnavit in omnes in condemnationem, ſic unius juſtitia regnavit in omnes.* Et alibi Apoſtolus: *Sicut omnes in Adam moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* Iſaias Propheta ait: *Omnes erravimus, quaſi oves. Omnes declinaverunt, ſimul inutili facti ſunt*, multaque alia, quorum ſacra accuſat Scriptura omnes natos ex primo parente in peccato conceptos eſſe, & in peccatis mater noſtra concepit, ut idem teſtatur Pſalmiſta; verùm omnia iſta ſolùm reducta ſunt ad eos, qui per concubitum viri & mulieris concipiuntur. Auguſtinus teſtis eſt ſcribens ad Petrum Diaconum. Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortique ſubjectum & ob hoc naturaliter Iræ naſci filium, de quo dicit Apoſtolus: *Eramus enim naturâ filii iræ, ſicut & cæteri à qua ira nullus liberabitur, niſi per fidem Mediatoris hominis* JESU *Chriſti.* Perſpicuum eſt igitur, ut nullus, cui de viro & muliere naſci contigerit, valeat ab eodem peccati nexu eſſe immunis. Nec Virgo quidem MARIA eo pacto libera eſſe videtur. Etiam huic ſententiæ Salomonis verba minimè Diſcrepant in Eccleſiaſte ubi ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem autem ex omnibus non inveni.* Auguſtinus enim horum Expoſitor verborum, inquit, de mille, id eſt, de omnibus unum, id eſt, Chriſtum. Ecce quomodo nullus excipitur neque vir, neque mulier præter Chriſtum.

RESPONDENS.

Si ex utroque præter Chriſtum nullus excipiatur ab hoc peccati vinculo, Virgo MARIA non excluditur. Sed ſi diligenter rerum cauſas & rationes attendamus, non ſolùm eandem Virginem potuit Deus, ſed etiam decuit ab hoc peccato facere exceptam. Ita neque humani generis maſſæ infectio in hoc adverſari poteſt. Nonnè Deus Omnipotens (ut Job teſtatur) poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonnè ipſe ſolus eſt, qui fecit de nihilo omnia? *Omnia* (ut ait Pſalmiſta) *quæcumque voluit fecit.* Quapropter nemo ſanæ mentis ignorat, ut qui facit de nihilo omnia, poteſt facere de aliquo aliud: Si de aliquo aliud, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; Si de immundo conceptum ſemine, igitur poteſt facere mundum ſemen de immundo

cor-

corpore. Non eſt quidem admiranda Omnipotentis potentia, quæ omnibus rebus major eſt, ſed potiùs quod facit natura, quæ Deo multò inferior eſt. Nam quotidie fingit novos fœtus, novas ſpecies ſenſibiles atq; inſenſibiles. Nonnè de re immunda rem mundam educit cùm aurum ſplendens in luto & terra cenoſa plerumque naturæ officio naſci contingit. Quid de gemmis lucentibus dicemus, quarum virtus & ſplendor apud nos magni æſtimatur, quæ in arena aut luto frequenter natæ & inventæ ſunt. Sed ut mirabilius dicamus, non ſolùm lapilli aut gemmæ in luto inveniuntur, ſed etiam de immundiſſimis ac pernicioſis animalibus (quorum venenum inſanabile ſuſpicatur) colligi poſſe tradunt auctores, qui de rerum naturis ſcripſerunt, eorumdemq; virtute lapillorum ad fugandam veneni potentiam nihil accommodatiùs eſſe poteſt. Dicit enim Iſidorus multa animalium & reptilium genera naſci in Æthiopia, ut ſunt baſiliſci, dracones ingentes, ex quorũ cerebro & ventriculis extrahuntur hiachintus, criſophagus ac topaſius, & aliæ gẽmæ ex aliis reptilibus, ut ex buſonibus, quarum virtus maxima eſt ad fugandum venenum. Videſnè igitur quemadmodùm ex re immunda & venenoſa res munda veneniq; fugativa educitur? Iſta & eadem ſimilia operatur natura. Si itaque naturalis artificii eſt operatrix, quæ Creatoris eſt ancilla; quantò meliùs intelligas operari Creatorem, qui naturæ Dominus eſt? Sed rem ipſam adhuc rationibus proſequamur, ut poſſibilitati minùs videatur adverſari. Omnis utique res, quæ alicui data eſt aptitudini, facilè poteſt educi de potentia in actum per divinam potentiam, ſed anima intellectiva, quæ immediatè à Deo producitur, habet aptitudinem ad gratiam ſuſcipiendam. Non erit igitur mirum, ſi anima Virginis, quæ non ſolùm erat apta, ſed creata in gratia potuerit cum corpore carere peccato originali. Ideò dicere Beatiſſ. Virginem non potuiſſe educi mundam de immunda maſſa & peccato infecta non minùs eſt ſtultum quàm abſurdum, & eo pacto aſſerere nihil aliud eſt quàm omnipotentiam Dei ignorare. Sed adhuc dicamus exempli gratiâ, ut res ipſa pleniùs rationibus ſolidetur. Si quis ancillam habuerit ſervo ſuo copulatam: nunquid non poterit Dominus, ut is, vel ea qui naſcetur, Domino permittente, liber naſcatur?

Ita rerum Creator & Dominus, nonnè quem voluerit poterit à peccati ſeruitute liberare? Quid enim peccatum, niſi ſervitus? Dicit namque Scriptura: *Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati*: Omnes enim in Adam peccavimus, ideò de lege communi omnes peccati ſervi ſumus. Et quis poteſt à tali ſervitute liberare, niſi Domi-

nus & rerum Creator ? Ipſe eſt enim legiſlator ; & quemcumque vult, eximit à lege, alioquin verus non diceretur Dominus, niſi illi eſſet liberandi mera poteſtas. Si ritè intelligamus quid ſit peccatum, dicemus peccatum eſſe imputationem quamdam, quam incurrimus noſtra culpa contra voluntatem Dei, ut dicamur filii iræ. Non fruſtra igitur Pſalmiſta ait : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus.* Ac ſi diceret ille, juſtus eſt, vel non reputatur peccator, cui non imputatur peccatum. Deus itaque ſummè miſericors potuit non immerito Virgini MARIÆ nullam maculam imputare & rationibus in medium adductis eam educere mundam de maſſa peccatrice, ita ut nec utriuſque ſexûs concubitus obeſſe valeat.

QUÆRENS.

Firmas de divina poſſibilitate adduxiſti rationes. Sed potuiſſe Deum nemo dubitat. Adhuc an decuiſſe aut feciſſe eam à peccato immunem delectat audire.

RESPONDENS.

Res ipſa tantò apertius intelligitur quantò proprius oſtenditur. Ideò ut ea erroris nebula veritate clareſcente attenuiter eas adducamus probationes, quæ non modò oſtendant conveniens eſſe, verùm etiam neceſſariò Beatiſſimam Virginem à peccato originali fuiſſe extraneam, quas nemo (ut arbitror) qui rationis particeps eſt, jure poſſit refellere. Ac in primis quantum ſit conveniens oſtendamus, ut poſteà quàm ſit neceſſarium declaretur : Et ſi ex primis parentibus peccati forma accepit initium, undè ipſa peccati macula effunderetur ad poſteros tamen mundæ & ſine labe ipſæ creaturæ à Deo Creatore plaſmatæ atque inſtitutæ ſunt. Sed ea munditia non ſolùm fortem accepit, ſed etiam indecoris ruinam præcipicium fecit, ita ut uterque eorum ſexus indigeret Redemptore ac honoris reperatore. Cæterum ſi ſexûs habeamus rationem in Chriſto utique honor hominum qui perierat per Adam, per Chriſtum reſtauratus atque reparatus eſt, ita ut deleretur opprobrium dedecoris, quòd ex ipſo Adam ſexui hominum imputarum erat. Etiam ſi conſideremus quale dedecoris opprobrium ſexui mulierum ex prima muliere objectum eſt rei commiſſio ſatis indicat. Nam contra præceptum divinum tulit de ligno vetito aut de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum.

Cùm

Cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata, &c. Ut præter eam quod dictum fuerit illi, quòd pareret cum dolore, & quòd imputetur illi, quòd fuerit prima origo mali, & multa alia, undè fœmineus ſexus infamatus ſit, ita ut ſicut perierat mulierum decus in ipſa Eva, ita in Virgine MARIA revelatum atq; reparatum eſt. Et ſicut Eva fuerit mater inhonorata, ita Virgo MARIA dicta ſit Mater honorificata, Eva mater dedecoris, Virgo MARIA Mater honoris & honeſtatis, Eva mater ſuperbiæ & arrogantiæ, quæ tulit de ligno vetito: Virgo MARIA Mater humilitatis, *quia Deus reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Adeo ut ſi dicta fuerit Eva origo mali, MARIA debeat dici origo boni, undè merito eadem Virgo ſexûs mulierum eſt reparatrix atque honoratrix. Quare Eva vitioſa, iſta virtuoſa, quia in ea eſt omnis ſpes vitæ & virtutis. Dicamus ergò tantam Virginem honoris Evæ & decoris mulierum reparatricem. Si ſit Evæ reparatrix in omnibus purior ac præſtantior dicetur. Quoniam qui reparat melior aut purior aut ſaltem ſimilis debet eſſe reparato. Eva fuit munda in plaſmatione: Virgo MARIA igitur fuit munda in Conceptione aut ſecus reparatione vacaret, ſi mundior aut ſaltem æquali Evæ munditiâ in conceptione caruiſſet. Quid diceret Eva ſi eam in medium Virginem adduceremus loquentem? illam fortè ſic compellaret. Fruſtra ô MARIA reparatricis nomen tibi vendicas niſi munditia virtuteq; cunctas excellas. Plaſmata ſum munda & ſine peccati labe: minor diceris me, ſi concepta fueris peccatrix. Neque honoris mulierum revelatrix dici poteris, ſi quæ tibi imputetur labes. Nemo igitur dubitet irrationabiliter ſine peccato conceptam fuiſſe, quæ indubitanter ſexum honeſtavit muliebrem. Sed ut res rationibus ſolidior fiat, & alio oſtendamus pacto ſine peccati labe conceptam fuiſſe: Virgo MARIA fuit vas & receptaculum divinitatis, Fuiſſet utique indignum, ut quid tale fabricatum extitiſſet ad tam dignæ rei receptionem ſordidum peccato, quæ maculatum ac ſibi inimicum domicilium, cùm nihil ſit illi odioſius peccato. Aliàs videretur divinæ ſapientiæ adverſari, quia *ſapientia ædificavit ſibi domum, & poſuit columnas ſeptem*, quod nihil aliud ſignificat quàm virtutum plenitudinem, quia per columnam virtus intelligitur, per ſeptenarium numerum numeri perfectio deſignatur. Ideò Virgo MARIA fuit domus ſapientiæ, id eſt, Chriſti cum omni virtute fabricata carenſque omni labe peccati. Movet item alia ratio. Oportet utique locum locato convenire: Deus igitur ſummus Creator ac humani Redemptor generis, qui ſemper mundus, ut mundum redime-

ret, venit in mundum, & ſicut nunquam munditiâ caruit, ita decebat illum vas habere quod nullâ unquam munditiâ caruerit, ac ſine labe, ut merito tale ſibi poſſideret ſivè talem Virginem eligeret in habitationem ſibi.

QUÆRENS.

Dictis tuis maximè aſſentiendum eſt, cùm nihil inconſentaneum aſſeris. Sed miror cur dicatur Deum ſanctificaſſe tabernaculum ſuum. Si igitur Altiſſimus ſuum ſanctificaverit tabernaculum: igitur intelligeret aliquis ante ſanctificationem non fuiſſe ſanctum: ergò in principio non fuit ſancta, cùm ſanctificatio præſupponat maculam.

RESPONDENS.

Si rectâ perpendas acie, intelliges profectò hanc ſanctificationem nunquam ſanctitati ejus obfuiſſe, ſemper ſancta, munda atque immaculata, neque aliquo peccato obnoxia, cùm hæc ſanctificatio ejus conceptionem prævenerit. Sed ut rectius capias. Tres in ea fuêre ſanctificationes. Prima quidem fuit electionis, quæ fuit in mente divina ante mundi conſtitutionem; teſtis eſt, Scriptura, quæ ait: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, &c.* Ut pleniùs dicetur ſuo loco cùm de ipſius electione tractabitur. Ideò hæc ſanctificatio prævenit ſubſtantiam ſeminalem in ſuo matris utero eo modo, ut poſſit dici ſanctificata antequàm concepta. De cujus ſanctificatione Eccleſia canit, *ſanctificavit tabernaculum ſuum*; & non de alia. Alia eſt ſanctificatio, quæ dicta fuit illuſtrationis, quando Chriſtus, qui erat ſol juſtitiæ, carnem ſumpſit humanam in ejus utero, tunc ejus radio ſanctificavit atq; illuſtravit, quando dictum fuit illi ab Angelo, *ecce concipies.* Tertia ſanctificatio dicta fuit honoris, cùm Chriſtus dignatus eſt non ſolùm aſſumere ex ea carnem humanam, ſed etiam dicta fuit Mater Dei. De cujus ſanctificatione Eccleſia canit: *Ego Mater pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei.* Undè eam dicere ſanctificatam, non maculat eam aliquo tempore aut aliquo inſtanti temporis.

Etiam dicere eam aliquo tempore maculatam, & poſteà à macula mundatam potiùs diceretur vas terſum, vas cicatroſum, vas mundatum, quàm mundum, quæ omnia dignitati & excellentiæ tantæ Virginis eſſe diſſona videantur opprobrioque digna. Sed ſi figuras ſacræ Scripturæ rei præſenti accommodemus ad horum confirmationem. Quid ſignificat Templum Salomonis? Quid Sanctum Sanctorum? Quid Arca

Do-

Domini quæ de lignis Sethim facta erat: nisi Virginem MARIAM intelligere videamur, quæ fuit verum templum, veraque divinitatis arca. Sin de Sancto Sanctorum intelligamus, quo solus Pontifex intrabat. Quid per Pontificem, nisi Christum intelligere debeamus, qui in uterum Virginis assumendo carnem humanam solus intravit. Si ædificii rationem habeamus: Arcâ Domini fuit facta de lignis Sethim: Sanctum Sanctorum fuit factum *ex* auro & lignis Cedrinis, quæ sunt ligna imputribilia & corruptioni minimè subjecta. Etiam non minùs de auro intelligendum, quòd inter metalla pretiosiùs habetur, rubiginique minimè subjicitur. Quæ omnia typice designant Virginem MARIAM nunquam fuisse aliquâ rubigine aut putredine peccati maculatam. Idem dicere possumus de paradiso voluptatis eandem Virginem significante, cujus locus nunquam corruptioni subjectus est, in cujus medio lignum vitæ est constitutum, id est Christus. Nè locus ille quidem nullâ peccati immunditiam patitur, ut de primis constat parentibus, qui post peccatum continuò ab eodem loco exulaverunt. Sed adhuc à rationum frequentia non discedamus. Virgo siquidem MARIA non solùm fuit divinitatis receptaculum, sed etiam Dei Mater dicta est, quæ genuit & peperit Deum & hominem.

O felix, ó benedicta Virgo, quem mundus, quem cœli capere non possunt tuo utero contulisti, ita ut meruisti dici Mater Dei & Virgo in partu & Virgo post partum. Deus enim legis suæ præcepto præcepit honorare patrem & matrem. Quis est honor, quo præcipuè debuisset servare Matrem, nisi integram à turpidine peccati, quæ omnes natos ab Adam maculare consuevit. Si utique in eandem sordem cadere permisisset non autem fuisset honorata, sed curata semper opprobrioque digna. Christus ergò, qui non venit solvere legem, sed adimplere malè suam Matrem honore prævenisset, malè eandem amasset, si filia iræ potiùs quàm mater honoris & pulchræ dilectionis diceretur. Hoc siquidem dictis propheticis adversaretur, quæ clamant eam dilectam Matrem antequam conceptam. Posteà si dixeris eam iræ filiam nihil absurdius fieri aut dici posset, & à veritate magis alienum.

QUÆRENS.

Probationes tuæ luce sunt clariores, vereor nè quisquam dicat, licèt adhuc peccato diceretur obnoxia (quod secus est) & posteà à peccato mundata, non minùs tamen propter hoc potuerit honorari à filio, quia

cùm Christus in utero ejus se recepit mundam reperit atque immaculatam? Quare antequam Virgo illum conciperet non erat mater, ideò nihil illi honoris materni debebat: sed factâ matre fecit posteà, quod debuit; itaque legis præceptum minimè infregit cùm post Conceptionem aut uteri gravitatem servavit indemnem à peccato.

RESPONDENS.

Si rem sanè intelligas, non solùm antequam nascereturs, sed priusquam conciperetur, Mater debebat dici, cùm ante mundi constitutionem Filius Dei eam in Matrem elegerat, quam Dominus possederat ab initio viarum suarum. Quomodo eam ab initio possederat, nisi quia eam in Matrem elegerat? De cujus maternitatis officio vox prophetica non potest silere, quæ ait: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et Psalmista dicit: *Quoniam elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem sibi: Nunquid Syon dicet, homo & homo natus est in ea & ipse fundavit eam Altissimus?* Ecce quomodo passim de tanta Virgine resonant prophetica dicta, quæ fatentur eam factam Matrem antequam concepta erat, & in æternitatis mente Deum peperisse, antequam in hoc mundo concepisset. Itaque Deus sicut æternus est, ita ab æterno creasse, possedisse ac eam in Matrem elegisse, credendum est, ut de ea sacræ clamant litteræ.

Ab initio & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam. Quis igitur non dicat eam electam atque ab immutabili æternitate præscitam & prærordinatam, quam in sapientia creavit atque instituit, de qua ipsa sapientia, id est, Christus fecit sibi domum. O clarissimum divinitatis receptaculum gratiæ plenitudine sanctissimum! Vas nitoris, vas decoris, vas redolens omni suavitate aromatum. O Virgo & Mater, quæ creata es ante sæcula nata in sæculo, quæ peperisti Regem & Creatorem sæculorum. Quis te dignè laudare queat & à laude cessare debeat, à cujus laude non solùm Prophetarum oracula minimè siluerunt, sed etiam qui Christi adventum præcesserunt multis vaticiniis etiam sine Christo, vocem Christianam eruperunt? Audi Virgilium suo Carmine dicentem:

Iam redit & Virgo, redeunt saturnia regna,
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.

Item, Ovidius Naso in libro, qui de vetula intitulatur, tam apertè eam

eam clamat, & docet Matrem electam quantùm quiſpiam hominum digito oſtendere & oculis poſſet intueri. Tali eum audi reſonantem Carmine.

Illa tenenda via eſt illucnos ire neceſſe eſt.
Et jam præceſſit de quadam Virgine, per quam
In mundum veniet nobis erit hæc adeunda.
Hanc mediatricem dabit humano generi Rex,
Largitor veniæ noſtræ ſalutis amator.
O Virgo ſelix, Virgo ſignata per aſtra
Per ſtellas, ubi ſpica nitet, quis det mihi tantum
Vivere quòd poſsim laudum fore preco tuarum.
Nam niſi tu perfecta fores non eligeret te
Hic Deus Omnipotens, ut carnem ſumeret ex te,
Vniretque ſibi niſi digna fores, etiam quòd
Filius ille tuus poſtquam ſurrexerit, & de
Morte triumpharit, te vellet honorificare:
Te ſuper exaltans cœloſque locans ſuper omnes.
Et ſibi concathedrans ubinamque locaverit illam
Electam carnis partem, quam ſumpſerit ex te,
Et carnem, de qua fuerit ſua ſumpta, locabit.
Fas etenim non eſt quod poſtquam portio carnis
Vna tuæ fuerit ſic cum Deitate levata,
Relliquias alibi locet, ut ſua diminuantur
Munera contra Numen quòd benè cœperit hæc in
Parte, cui non in toto perſequeretur.
Nam contracta manus tantò eſt indigna Datore:
Perfectum perfectam decet, abſit quòd apud quem
Plena poteſtas eſt, illi det dona reciſa.

Videſne quantis prophetiis ſpirant oracula Poëtarum, & ut res ipſa non ſit minus alienis dictis ſolidata, vide quemadmodum iterùm (ut audies) de profano homine, Mahometum vocant, quàm ex multis mendaciis tamquàm aurum ex luto veritas ſplenduit verborum. Lege quid in ſuo Alcorano dixerit: O Maria Deus elegit te & decoravit te gratiâ & ornavit & præelegit ſuper omnes mulieres omnium filiorum matres & poſuit te, quaſi unum medium inter homines & Angelos Dei in paradiſo delitiarum. Si igitur profani homines & à veritate fidei noſtræ alieni fateantur eam à Deo electam, ornatam gratiâ & præelectam quantò magis

gis nos ex legis noſtræ firmamento debemus clamare ante ſęcula creatam, electam & omnis maculæ peccati expertem atque in plenitudine gratiæ non minus conceptam quàm natam.

QUÆRENS.

Quis non tantis vaticiniis ſibiipſi perſuadeat, ubi non modò à noſtris, ſed etiam ab alienis fidei robur colligitur?

Incipit quarta Particula.

SIc proficiſcentes jam ad portam, quæ mariana nuncupatur, venerant. Nec fuit quidem ſine antemuralis & propugnaculorum admiratione, quæ miro erant artificio laborata. Pendebant enim in muris ſcutalibus inſerta. Tum reſpondens ait, locus hic regius eſt. Et hi cùm paulò altius caput extuliſſent, Viginis ſignum ſuſpexerunt muris portaliciis affixum. Quærens inquit, ſpero in rem præſentem veniſſe.

RESPONDENS.

Adeamus hunc locum, quia in eo ſacra ædes eſt, in qua ſummâ veneratione hæc Virgo colitur.

QUÆRENS.

Gratiſſimum mihi feceris, ſi eò pergamus, quo verba factis compenſanda ſint.

RESPONDENS.

Non modò tibi gratum erit eam ædem intueri, ſed in ea orando nomenque Virginis invocando multa exanimi ſententia conſequeris.

QUÆRENS.

Ad eam igitur gradiamur: quoniam nullus eſt honoris decor, quo tanta Virgo non ſit veneranda.

RESPONDENS.

Erubeſcant igitur qui eam in peccato conceptam ſuſpicari ſolent; cum indubitatis rationibus liquet nunquam fuiſſe peccato obſtructã. Cæterum

mihi

mihi adhuc occurrunt rationes, quæ longè clariùs animum pulsant, quo si quicquam fuerit dubietatis mens humana his argumentis solidior fiat. Virgo siquidem MARIA nèquicquam ab æternitatis mente fuisset electa, nisi electione fuisset idonea, cùm nihil elegit sapientia divina, quòd electione minimè fuerit dignum. Electa utique fuit in matrem, non solùm in matrem, sed ad convincendum peccati principem. Quis est peccati princeps, nisi qui priùs peccando è cœlo ruinam fecit aut primum hominem falsâ suggestione atque serpentinâ specie in peccatum præcipitavit? Quomodo vicit Virgo aut suggestori dictum fuerit, ut vinceretur, non solùm ut vinceretur, sed ut caput illius contereretur. Dixit enim Dominus serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quæ fuit mulier ex mulieribus, quæ contritura erat caput serpentis, nisi illa Virgo quæ gestavit in utero Redemptorem mundi? Caput ergò ejus contrivit, quando Christus quem Virgo genuerat de faucibus tartareis, aut de principatu ejus nos redemit. Si Virgo MARIA itaque electa atque præordinata extitit, ut super peccati principem ad delendum peccati principatum, erigatur veritas admonet, ut Conceptio ejus sine macula debeat intelligi. Quia non subjicitur peccato, qui ad convincendum peccati principem eligitur.

QUÆRENS.

Nihil certiùs dici potest.

RESPONDENS.

Sed ut multò fortius dubietatis stimulos curemus, adhuc cumulo rationum ad majora faciamus gradum. Beatissima Virgo MARIA quo laudis præconio extollenda cùm dignior sit quam ut laus humana sibi sufficiat quæ Mater est Dei, malleus inferni, cujus Rex cœlestis decorem concupivit? Undè meritò Regina cœli dici debeat sicut nobis notum est Davidico carmine, ubi inquit: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Item in Canticis: *Veni sponsa mea, veni de Libano & coronaberis.* Quousque eam Reginam cœli non fatebimur, quæ genuit, peperit, ablactavit, rexitque cœlorem Regem ac Redemptorem, ita ut diceretur subditus illi? O magna Creatoris humilitas, qui creaturæ suæ subdi voluerit, cui totus subditur orbis! Nec parùm Matrem suam dilexit honoravitque quam super choros Angelorum in tantum erexit, ut Regina cœlorum ac Domina Angelorum eligi & dici meruerit

ruerit: *Quam viderunt filiæ Syon, & Reginæ laudaverunt eam.* Iterùm de ea dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Quid clarius enim potest videri sole, cujus claritate totus splendescit mundus? benè electa ut sol, quia solus Deus in eodem *sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Christus enim Virginis Mariæ verus sponsus est qui divinitatem suam ejus humanitati copulavit, ita ut fieret Deus & homo. Ideò non frustra vocat sponsam, ut veniat de Libano, qui Libanus candidatio interpretatur. Fuit quippè adeò candida, ut nulla peccati in ea unquam fuerit obscuritas. Deindè vocat eam, ut coronetur.: optimè quidem eam coronavit, quando Reginam cœlorum atque Angelorum censuit instituendam, quæ astat *à dextris in vestitu deaurato*: non solùm aureis vestimentis induta, sed amicta solis fulgore: ut liber Apocalypsis testatur, dicens: *Et signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona duodecim stellarum.* Quapropter non immeritò candor, aurora, luna, sol, illi tamquam propria accommodantur, quæ omnia nihil aliud designant quàm omnem virtutum munditiam in corpore & anima, ac totius gratiæ splendorem, & eam ab omni peccato alienam. Aut frustrà diceretur electa ut sol, si munditia & virtutum fulgor conceptionem ejus non prævenerit. Prætereà si non pigeat humanas probationes divinis immiscere, humanarum habeamus rationem legum, ut narrat titulus de legibus & senatûs consultis in lib. Digestorum. Princeps legibus solutus est, Augusta autem licèt legibus soluta non sit, princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ & ipse habet. Vide igitur quemadmodum Augustæ tribuuntur, quæ habet Princeps privilegia. Nunquid non Virgo Maria, quæ est Augusta & Sponsa Principis cœlorum (ut ratio admonet) debeat esse libera ab omni lege peccati, in qua omnes filii Adæ devincti sunt?

QUÆRENS.

Hoc leges humanæ fatentur, ut principis uxor à legis vinculo soluta sit, quare dignum est, ut Virgo Maria non modò, quia Regis æterni Sponsa, sed etiam quia Mater, lege peccati careat.

RESPONDENS.

Prætermittis, quia electa & à Deo præordinata.

QUÆ-

QUÆRENS.

Si electio ab æterno Virginem MARIAM à peccato originali reddat immunem, Apostolos, quia electi, ab eadem labe vacuos esse oportet, quandoquidem à Christo dictum sit: *Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis.* Idem de Paulo dictum est quòd fuerit vas electionis. Etiam quos elegerit Deus eâdem ratione videntur esse liberi.

RESPONDENS.

Ut suspicari desinas, resque ipsa longè meliùs declaretur, duas intellige electiones. Unam quæ est sanctificationis, alteram quæ officii est inductiva. Ea verò quæ sanctificationis est, Virginis MARIÆ prævenit Conceptionem, ita ut diceretur sancta antequam concepta. Altera autem, quæ officii dicta est, Apostolis fuit exhibita non in sanctificationem, sed in Apostolatûs administrationem, quorum electio sequentibus verbis causam reddit, cùm dictum illis fuerit ut irent fructumque disciplinæ & prædicationis afferrent. Itaque Virginis & Apostolorum discernitur electio.

QUÆRENS.

Hoc inficiari nemo potest.

RESPONDENS.

Oritur adhuc probatio silentio non prætereunda; Virgo utique MARIA gratiæ habuit plenitudinem, ut Angelicâ Annuntiatione illi expressum sit, quando relicto proprio nomine cœlestique salutatione vocata fuerit gratiâ plena. Reticuit Angelus hoc vocabulum, MARIAM, salutando, sed vicem vobabuli reddidit, plenam gratiâ nominando, quasi gratiâ plena locum proprii nominis obtineret. Falsò igitur MARIA diceretur possidere peccatum, quam gratiæ plenitudo semper possederit. Plena gratiâ ante Conceptionem, quia electa ante mundi constitutionem, quam Dominus prævenit sanctificatione; plena gratiâ nascendo, quia benedicta inter mulieres; plena gratiâ Christum concipiendo, quia benedictus fructus uteri sui. Quid ampliùs? Non solùm in vita gratiæ plenitudo affuit, sed in omnibus vitæ extremis eâ largissimè abundavit, quæ sunt vitæ extrema, nisi initium animationis, quod Conceptio dicitur, & exitus, quo vita à corporeis membris destituitur? Verè quicquam plenitudine

tudine deficit, ubi aliqua rei pars vacua est. Si ergò Conceptio ejus gratiâ caruisset, gratiæ plenitudinem aliqua pars vitæ non habuisset. O felix, ô benedicta Virgo, quam gratiæ ubertas nunquam deseruit! Quâ maledictio Evæ in Ave salutationem mutata est. Angelus enim non immeritò dicebat: *Ave gratiâ plena*, quia ut ait Hieronymus ad Paulam & Eustochium. Et verè dicitur gratiâ plena, nam etsi cæteris Sanctis per partes datur gratia, MARIÆ verò se infudit totius gratiæ plenitudo.

QUÆRENS.

Hæc probatio licèt optimis rationibus firmata sit, tamen ipsius rei consideratione dubium innovatur. Si utique plenitudo gratiæ nonnullos à macula parentum faciat exceptos; Beatus Stephanus, qui plenus gratiâ & fortitudine, & alii plerique eodem pacto erunt liberi.

RESPONDENS.

Nè dubitationis caligo sinceram possideat mentem tollamus de medio hanc quam tibi suspicionem addidisti. Quaproprer declarandum erit quæ genera, quæ gratiæ plenitudinis gradus sint, ex quibus quid cuique præstet, intelligi possit. Plenitudinis gratiæ generum alterum est apprehendens alterum comprehendens. Apprehendens quidem genus est cùm gratiæ plenitudo pro tempore confertur, non singula vitæ extrema continens, sed tantùm habens aliquam vitæ partem, ut cuilibet justo sivè cuicumque alteri quovis pacto fuerit collata gratia. Comprehendens vero, quòd singula vitæ extrema aut totius vitæ spatium continet, ut in Christo & Virgine MARIA, qui ab instanti animationis usque ad vitæ exitum plenitudinem gratiæ perceperunt. Sed eadem genera diversis ducuntur gradibus. Primus quoque gradus dicitur sufficientiæ, qui in quolibet justo haberi potest. Secundus dictus est copiæ, quem Apostoli & Beatus Stephanus habuerunt. Tertius dictus est universitatis quem possidet Ecclesia, quæ sancto regitur Spiritu, cui nullum deest plenitudinis gratiæ donum. Quartus excellentiæ, in quo Virgo MARIA constituta est, quæ gratiâ omnes excessit Sanctos. Quid habuerit gratiæ, liber Ecclesiasticus expressit, dicens: *In me omnis gratia.* Angelica etiam ait salutatio: *Ave gratiâ plena.* Quintus supereffluentiæ, qui fuit in Christo, ut Joannis Evangelium testatur: *Plenum gratiæ & veritatis.*

Duo quippè sunt, videlicèt JESUS Christus & Virgo MARIA, qui gratiæ

gratiæ plenitudinem habuerunt comprehendentem. Tamen modo differentem: MARIA enim cum modo, Christus verò præter alios supra modum; reliqui autem tantùm apprehendentem etiam cum modo habuisse feruntur. Quis igitur dicet tantam Virginem originali labe maculatam, quæ non solùm ab Angelo plena gratiâ dicta est, sed etiam inter mulieris benedicta, plena humilitate, plena omnium virtutum dote, quam beatam dicunt omnes generationes, cujus sacra Scriptura laudum suarum immensis ditatur præconiis, quæ Prophetarum Oraculis est prædicta, ab antiquis Legis Enigmatibus figurata, à Sanctorum testimoniis multiplici laude commendata? Non frustra Balaam prædixerat *nascituram stellam ex Iacob & Virgam de Israël*: hæc enim stella quæ in Jacob habitare debebat, & Virga quæ in Israël hæreditare nuntiabatur. Rectè verò stellæ comparatur, cujus substantia incorruptibilis & invariabilis est. Nè aliqua quidem contrariæ admixtionis qualitate connectitur, sed perpetuâ formæ permanentiâ sempiternum habet esse. Itaq; Virgo MARIA nullâ peccati corruptione permansit. Ea est quidem stella, quæ nocte lucet, quam nulla peccati nox obnubilare potest. Quam nautæ pro signo habent quòd eos reducat ad salutis portum, ita ut meritò appellatur maris stella. Audi iterùm typicam Ezechiëlis visionem manifestantem ipsam Virginis sanctitatem atque integritatem. *Et convertit ad portam sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem & erat clausa, & dixit Dominus ad me, porta hæc clausa erit, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi.* Ecce quomodo typicè vocat Virginem sanctuarium, id est nullâ sanctitate carentem, declarans per portæ clausionem ipsam inviolatam virginitatem. Item liber Exodus ferè superiora confirmans: *Facient́q; mihi sanctuarium & habitabo in medio eorum juxtà similitudinem tabernaculi, quòd ostendam tibi & omnium vasorum & cultum ejus, sicque facietis illud. Arcam de lignis Sethim compingite cujus longitudo habebit duos & semis cubitos, latitudo cubitum & dimidium.* De contentis in Arca & de urna aurea manna continens. Apostolus in Epistola ad Hæbreos satis declarat. Prætereà si voluerimus à sapiente testimonium, audi quid dixerit in Ecclesiastico: *Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelsi.* Quid clariùs, quid pulchrius sole? Vide quomodo vocat solem vas admirabile & opus excelsi, quod intelligere debemus Virginem MARIAM, quæ fuit vas & divinitatis receptaculum. Quare meritò dicitur *in sole posuit tabernaculum suum.* Sicut enim sol in luce creatus est, ita Virgo MARIA quæ soli comparatur creata est in pu-

ritate. Ideò non indecenter eſt amicta ſole, quæ ſemper fulget omnium virtutum & gratiarum fœcunditate, quæ nunquam intùs & extra caruit perfectà munditiâ, undè Pſalmiſta: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quid eſt habere intus gloriam, niſi in ejus anima quæ in gratiæ plenitudine creata eſt? Quid pro amictu intelligitur, niſi ejus ſanctiſſimum corpus ornatum omnium virtutum varietate, ut in Salomonis Proverbiis legitur: *Fortitudo & decor indumentum ejus & ridebit in die noviſſimo*, hæc eſt illa quæ dicitur, *mons pinguis, in quo benè placitum eſt Deo habitare in eo.* Hæc eſt illa Civitas Dei, de qua glorioſa dicta ſunt, nec immeritò dicit liber Eccleſiaſticus: *Filij ædificatio civitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc Mulier Immaculata computabitur.* Hæc eſt illa civitas quam fulminis impetus Spiritûs ſancti lætificat, in qua ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus & adjuvit eam diluculo: præclarè Pſalmiſta dicebat eam adjuvaſſe diluculò, cùm diluculum initium ſit lucis, aut methaphoricè initium ſit animationis, quę conceptio dicitur in qua Deus adjutor ejus fuit, nè in peccatum parentum laberetur: nec Pſalmiſtam latuit eam eſſe inter mulieres benedictam, cùm ait: *Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob.* Itaque Virginem Mariam terram vocat, ubi iterùm dicit, *veritas de terra orta eſt.* Item, *Deus Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Propheta: *Rorate cœli deſuper & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem: Et terra noſtra dabit fructum ſuum.* Ecce quomodo benedicta terra, benedictus fructus, id eſt, Chriſtus. Dicat inſuper teſtimonium Auguſtinus, qui ait in libro Sermonum ad Eremitas: Propterea Mater ejus, id eſt, Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omnibus virtutibus ornata, omni ſanctitate in utero matris repleta, ut de mundiſſima matre mundiſſimus naſceretur filius, quia ſicut in cœlo habuit patrem immortalem & æternum, ſic & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis eſt Pater, talis eſt & Filius, ſic & in terra qualis eſt Mater talis ſecundùm carnem eſt Filius: in cœlo cum Patre æternus, immenſus & incorruptus & ſublimis eſt, & in terra cum matre immaculatus & manſuetus. Idem Auguſtinus in libro de peccatis. Propter honorem Domini cùm de peccatis agimus, de B. Virgine nullam volumus facere quæſtionem. Hieronymus in Epiſtola ad Paulam & Euſtochium: Etſi in Sanctis Patribus & Prophetis gratia fuiſſe creditur, tamen non eatenùs plena: in Maria verò totius gratiæ, quæ in Chriſto

eſt,

eſt, venit plenitudo. Auguſtinus: Quis potuit in hujus anima ſine carne locus eſſe virtutum, quæ ad cœli vicem continentis omnia Domini templum eſt effecta. Ambroſius ſuper Lucam. Quid enim nobiliùs Dei Matre? quid ſplendidiùs eâ quàm ſplendor elegit? Ut de cæteris virtutibus ejus taceam, Virgo erat non ſolùm corpore, ſed & mente. Idem in libro de ſancta Virginitate. Anima MARIÆ non fuit à caſu elevata, ſed à caſu præſervata, aliàs non Virgo mente, ſed peccato corrupta. Quis igitur tam hebes aut à ratione alienus, qui exiſtimet tantam Virginem parentum culpâ fuiſſe corruptam ubi de ejus Immaculatâ Conceptione tantùm dicat veritas ſacræ Scripturæ, quantùm nemo poſſet contradicendo evitare mendacium? Omnes utique de ea ſacræ reſonant litteræ, omnis Prophetarum cœtus non poteſt eam ſilentio præterire. Nec ſacra Doctorum præconia de ejus ſanctiſſima Conceptione cuiquam poſſunt eſſe obſcura, quomodo veritas ſanctitatem ejus negaret, cùm veritatis adverſarii negare poſſunt minimè? Lege quid Mahometus in ſuo fatetur Alcorano, aut in libro, qui Albocam dicitur, qui eſt authenticus apud eos: dicit Emphoraria ſocius Mahometi, quod audivit nuntium Dei dicentem: Nullus de filiis Adam naſcitur quem non tangat ſathan præter MARIAM & Filium ejus. Ecce quomodo veritatis fulgor inter obſcuritates mendacii latere non poteſt. Tanta eſt hujus veritatis evidentia, ut ab adverſariis noſtræ fidei honeſtius dicatur, quàm celetur. Erubeſcant igitur Chriſtiani nominis profeſſores negare veritatem de Virgine, quæ tam ab inimicis prædicatur, ut inficiari nobis ſit inhoneſtiſſimum. Dicunt eam ſathan, id eſt, peccatum non tetigiſſe, ſaltem veritas nos compellat fateri peccati non habuiſſe maculam. Cæterùm qui Chriſtianus es, ſi tantarum rationum cumulo tantorumque auctoritati virorum minimè adhæſeris, ſaltem etiam à Fide Eccleſiæ nè diſcedas, quæ conceptionis diem maximâ celebritate veneratur, cujus ſolemnitatem non admitteret Eccleſia, niſi ejuſdem Virginis Conceptio peccati labe caruiſſet. Aliter enim erraret Eccleſia, quæ erroris neſcia eſt.

Incipit quinta Particula.

HÆc ſermonum voluptas, eos ante S. Ædis deduxit faciem, quam iterùm ſplendenti auro lilia artificũ manibus decorabant. His attentè ſuſpectis ora ſua converterunt ad populum. Cùm enim animadvertiſſent ex habitatoribus tam de clero quàm de plebe nonnullos viros jure Pontificio

ficio ac Civili aliisque quamplurimis scientiis redimitos nec potuit respondens non dicere, ferè propè dies est, ut hic locus à cœlo prospera accipiat, si benè se rexerint, ita ut felix futurus sit multis temporibus. Necnon hùc redibit judiciaria potestas, quæ nuper ab eis sublata est. Hoc dicto templum ingressi sunt, & ut viderunt in Altari majori signum illi reverenter exhibuerunt. Tum quærens ait, qui huic loco nomine Virginis sua dederint vota, gaudebunt profectò se exorasse.

RESPONDENS.

Boni viri officium hoc dixisse fecisti.

QUÆRENS.

Sed ut cumque dictis tuis præbeam assensum (ut ad prædicta redeamus) dubietatis tamen igniculos vix extinctos habeo quamquam nihil clarius tuâ asseveratione intelligi potest. Sed audi quid ex hoc assensu mihi occurrat. Ut Beatissima Virgo MARIA in Conceptione omnis maculæ sit expers. Videtur non eguisse Christi redemptione. Redemptio enim non fit, nisi propter lapsum, si Virgo MARIA lapsa minimè fuerit, igitur redemptione illi non fuerit opùs: itaque Christi redemptio in ea nihil effecit cùm ipse in Evangelio dicat: *Non est opùs valentibus medicus, sed malè habentibus.* Et subdit: *non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

RESPONDENS.

Scire te velim nullum ex filiis Adæ perpetuam potuisse obtinere requiem, nisi merito sanguinis Christi, quo humani generis redemptio facta est. Alioquin Virgo MARIA (quamvis electa, quamvis in Conceptione sancta, quamvis Mater) cœlos non penetrasset, nisi Christi morte redempta fuisset. Si aliter salvari non potuit, igitur redemptione eguit. Sed ut ipsam rem clariùs intelligas, duplex effectus Christi redemptionis: unus quippè liberans, alter utique præservans. Liberans enim est quo eos (qui ceciderant per peccatum in potestatem diaboli) liberavit. Præservans verò est quo (nè in eandem caderet potestatem) non peccare permisit, eo quidem pacto Beatissima Virgo sola extitit redempta, nè caderet: omnes alii verò redempti, ut nos à casu liberaret. Quis enim melior in Beatissima Virgine potuit esse redemptionis effectus quàm ut nè casum faceret præservaretur? Sed exempli gratiâ rem ipsam lucidiùs capiamus

mus. Omnes cujusdam viæ metas transeuntes incidunt in latrones & carcere cæco conjiciuntur in vincula, ita ut ibidem morituri sint, nisi redimantur. Quidam tale discrimen ignorans viam ingreditur, à latronibus circumsistendo capitur. Intereà miles quidam supervenit animadvertens quem detrudere volunt. Pietatis motus officio cum latronibus de redemptionis convenit precio, ut ille non detrudatur, & detrusi à carcere liberentur, tandem pro omnibus satisfacit & redimit. Nonnè qui captus erat & non detrusus cum aliis redemptus est?

QUÆRENS.

Etiam.

RESPONDENS.

Aliud subeat exemplum: pestis atrox populum urget civitatis præsto est medicus eo pacto, ut si quiqui suo medicamine utantur non solùm ægrotos à peste liberat, sed etiam quos nondum pestis invasit, præservat. Nonnè medicus de his quos liberavit, & quos præservavit, sivè de utrisque benè meritus est?

QUÆRENS.

Nihil verius esse potest.

RESPONDENS.

Itaque Christus non minus Beatissimam Virginem MARIAM redemit præservando, quàm alios liberando. Quis ergò non dicat eam merito passionis Christi redemptam?

QUÆRENS.

Negari non potest, sed quemadmodum intelligendum est eum non venisse, nisi propter peccatores & non propter justos?

RESPONDENS.

Non venit nisi propter peccatores ad eos liberandum: & quia qui sani sunt medicina non indigent curativa, ideò non venit propter eos medicus ut curentur, sed ut præserventur. Et sic de justis intelligendum est. Sed qui ægroti sunt illis opùs est medico, ut curentur. Itaque me-

dicus non venit propter eos præſervandum, ſed ad curandum. Et eo modo Virgo MARIA non eguit medicina curativa, ſed præſervativa, quia omnia cadunt ſub una Chriſti redemptione, qui & liberando & præſervando redemit: omnes tamen reputati ſunt peccatores originaliter in Adam præter Chriſtum & Virginem MARIAM, quam Chriſtus, ut diximus, redemit præſervando.

QUÆRENS.

Nunc verum ſentio: ſed verendum eſt nè fortè quiſquam dicat ut Virgo MARIA pœnas habuit peccati, quæ ſunt angores, triſtitiæ, laſſitudines, morbi aliaque corporis incommoda (excepto libidinis ac vitii fomite) tamen morti fuit ſubdita, quæ omnia propter parentum culpam nobis inflicta ſunt. Si Virgo MARIA has ſuſtinuerit pœnas, igitur à culpa parentum non erit libera, cum pœna, niſi propter culpam ulli recto judicio debeat infligi, quam conſtituiſſet, niſi reatus pœnam dediſſet.

RESPONDENS.

Intelligas nullum reatum ſine pœna, ſed frequenter pœnam ſine reatu, aut ſaltem ſi non invenias difficilè capies. Job enim cùm eſſet vir juſtus recedens à malo, ſimplex ac timens Deum, tamen nulla cauſa aut reatus (ut flagellaretur) inventus eſt, niſi ut ejus virtus probaretur: cujus vox inter flagella reſonabat, dicens: *Non peccavi & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Sapiens utique ait: *Vaſa figuli probat fornax & homines juſtos tentatio tribulationis.* Quid eſt juſtos in hac luce pati, niſi ut in eis longè fortius ſplendeſcat virtutis effectus, aut ex virtutis merito præmium ſequatur. Minimè igitur mirandum eſt, ſi Virgo MARIA, licèt juſta gratiæ plenitudine donata, omni virtute fulgida fuerit, tamen affecta multis naturæ incommodis, quæ illi relicta ſunt, non quia originali peccato fuerit obnoxia, ſed ut in ea virtutum argumenta multò magis luceſcerent. Probatur utique: juſtus multis tribulationibus afficitur & non invenitur in eo iniquitas. Itaque Virgo MARIA hæc corporis pœnalia potuerit ſuſtinere, ita ut nec pœna reatui reſpondeat aut nè pœna quidem reatum, quem nunquam habuit, accuſare valeat. Quos dolores angoreſque animi non tulerit Beatiſſima Virgo cum tantis Chriſtum videbat affici injuriis. Qui quantò Judæis prædicabat frequentius regnum Dei, tantò acrius jaculis ſuæ invidiæ in illum ſævire non deſierunt.

runt. Quo timore non esset de Christo sollicita, quem materni amoris officio semper observabat: nec Christus quicquam habuerit doloris in corpore, quem Beatissimæ Virginis non tulerit animus. Nec frustra Simeon Justus ore prophetico dixerit MARIÆ: *Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Verè passionis gladius animam ejus pertransiit quando à Christi passione mens ejus dispar dolore minimè fuit. Passionem igitur corporis habuit non quia ex reatu parentum pœna nasceretur, sed ut virtutis exercitatio in ea non fieret aliena. Si enim alio pacto ab his pœnis fuisset libera, dissimilis utique fuisset à filio, cujus carnem filius ex ea sumpserat, qui dolores nostros portavit & pro nobis passus est, & nobis passionis suæ reliquit exemplum; quare dignum erat ut caro carni compateretur. Quomodo imitatrix passionis suæ Virgo fuisset, si doloris aut mortis passione caruisset? In ea profectò pietatis maternæ periisset officium, si doloris & passionis filii minimè fuisset particeps. Quare si Virgini impassibilitas, aut corporis immortalitas inhæsisset, majus illi fuisset, quam filio privilegium, à quo noluit utrumque dispar fieri. Definant ergò suspicari tantam Virginem corporales luisse pœnas propter peccatum, sed propter virtutis exercitationem & meritorum augmentum.

QUÆRENS.

Nemo hoc negare potest, sed reliquum est, ut abs te intelligam quemadmodum Virgo MARIA à labe parentum excipiatur cum omnes, qui per concubitum nati sunt à peccato non eximuntur. Etiam omnes in Adam peccasse Apostolus testatur, ita ut omnes hâc lege concipiantur præter Christum, hæc enim dictio, omnes, excludit neminem.

RESPONDENS.

Sperabam tam rationibus quàm sacræ scripturæ sententiis tibi mediocriter satisfeciſſe, ita ut nihil reliqui esset, quod ampliùs interrogare debeas. Sed ut in omnibus mens tua hæsitare desinat, adhuc quod petis pro posse absolvam. Hæ enim dictiones, omnis, nullus, quidem, aliquis, nonnullus & quædam aliæ, qui hujusmodi sunt, & si secundùm logicos universaliter aut particulariter, sivè affirmativè, sivè negativè habeantur, ita ut talibus signis universalibus seu propositionibus omnibus in peccato

Adæ, Apostolus comprehendat, non minùs tamen propter hoc Virgo MARIA à lege peccati excipitur, cum sacra Scriptura plerumque ita strictè Dialecticorum regulis renuat alligari. Dicit enim Apostolus: *Omnes in Adam peccaverunt*; igitur Virgo MARIA peccavit. Ablit. Cave nè tanis oculis cæcus in luce ambules, nec decipias teipsum, si illam non excipias à peccato. Quid enim profuerit tantas in medium adduxisse rationes, quæ clariùs luce splendescunt, si in vero dubitare cogeris. Non ferrea tamen vincula te ligant, sed aranearum fila. Si dicas, Apostolus dicit, Propheta neminem excipit, non excipit Virginem, sed omnes dicit. Etiam si dicas sum persuasus, tamen tuis rationibus, quas nemo sanæ mentis evitare potest, sed velim quomodò dictum Apostoli intelligendum sit, qui tam universaliter hanc rem expresserit. Ideò nè Dialecticorum leges te ampliùs offendant, vide quâ discretione dicta sacræ Scripturæ universaliter accipienda sint: quadruplex est enim universale, amplum, participans, specificum, & recisum. Amplum dicitur, quòd constat omnibus suis partibus, re & nomine integrum & absolutum: ut *omnia per ipsum facta sunt*. Hæc enim propositio tam amplè dicta est, ut nihil aliud intelligi debeat, quàm Deum omnia fecisse & creavisse, ut si dicamus hanc dictionem, omnia universalis est re & nomine, quia cùm additur *per ipsum facta sunt*, sic constat fecisse. Participans est, quòd non re, sed nomine sine participatione tantùm, ut *prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ut si dixerimus secundùm Gregorium omnis creaturæ nomine aliquid habet, homo habet namque commune cum lapidibus esse, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si igitur commune omni creaturæ habet homo, omni ergò creaturæ prædicatur Evangelium, cùm soli homini prædicatur. Ecce quomodo hæc propositio sit universalis nomine & non re. Specificum est, quòd nomine & non re, nisi ad ea quæ spectant ad unam speciem tantùm, ut ad hominem, vel omne genus hominum, vel alterius animalis, vel rei quæcumque sit secundùm suam speciem, ut si accipiamus verba Evangelii: *Ego si exaltatus fuero omnia traham mecum*; hæc enim dictio, omnia dirigitur tantùm ad omnia, quæ sunt hominis, ut vult Augustinus horum interpres verborum dicens: Quæ omnia nisi ex quibus ille ejicitur foras, non autem dicit omnes, sed omnia, non enim omnium fides est. Non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad integritatem, id est, spiritum, animam & corpus. Et illud quo intelligamus, & illud quo vivimus & illud quo visibiles & contractabiles sumus. Qui enim dicit

capil-

capillus capitis noſtri non peribit, omnia trahit poſt ſe, aut ipſi homines intelligendi ſunt omnia prædeſtinari ad ſalutem. Poſſumus dicere ex quibus omnibus, ait, nihil eſſe periturum, cùm ſuprà de ſuis loqueretur: aut certè omnium hominum genera, ſivè in linguis omnibus, ſivè in gradibus honorum omnibus, ſivè ætatibus omnibus, ſivè in diverſitatibus ingeniorum omnibus, ſivè in artium litterarum & utilium profeſſionibus omnibus. Et quicquid aliud dici poteſt ſecundùm innumerabiles differentias, quibus inter ſe præter ſola peccata homines deſtruit ab excelſiſſimis uſque ad humillimos, à rege uſque ad mendicum: *omnia*, inquit, *trahàm poſt me*, ut ſit caput eorum & illi membra ejus. Reſiſum duplex eſt, unum quod nomine & non re. Alterum quod re & non nomine: quòd enim nomine & non re, lege quid ad Noë dixerit Dominus: *Ingredere tu & omnis domus tua in Arcam: te enim vidi juſtum in generatione hâc, ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena maſculum & fœminam, & de volatilibus cœli ſeptena & ſeptena maſculum & fœminam, ut ſalvetur ſemen ſuper faciem univerſæ terræ.* Dixit ex omnibus animantibus tam mundis quàm immundis, tamen multa animantium genera defuerunt in Arca. Auguſtinus quippè Auctor eſt in ſuo de Civitate Dei Opere hæc ſuperiora exprimens, qui ait: Quod autem ſcrupuloſiſſimè quæri ſolet de minutiſſimis beſtiolis, non ſolùm quales ſunt mures & ſtelliones, verùm etiam quales locuſtæ, Scarabei, muſcæ, denique & pulices, utrùm non amplioris numeri in Arca illa fuerint quàm qui eſt definitus, cùm hoc imperaret Deus. Priùs admonendi quos hæc movent, ſic accipienda eſſe quod dictum eſt, quæ repunt ſuper terram, ut neceſsè non fuerit conſervari in Arca, quę poſſunt in aquis vivere, non ſolùm merſa, ſicut piſces, verùm etiam ſupernatantia ſicut multæ alites. Deindè cùm dicitur maſculus & fœmina erunt, profectò intelligitur ad reparandum genus diei, ac per hoc nec illa neceſsè fuerat ibi eſſe, quæ fuerant ſine concubitu, de quibus rebus vel rerum corruptionibus naſci, vel ſi fuerint, ſicut in domibus eſſe conſueverunt ſine ullo numero definito eſſe potuiſſe, hæc hactenùs Auguſtinus, ſicut dixit Deus ex omnibus animantibus, & tamen non omnes fuere in Arca, cùm hæc dictio omnes ad eos, qui non fuerunt in Arca reſcindatur. Ita dictum Apoſtoli cùm dixit, *omnes in Adam peccaverunt*, reſcinditur ad Virginem MARIAM, nè propter hoc hæc propoſitio non minùs univerſalis dicitur, ſed tamen reſciſionem ſibi vindicat. Quare eo pacto univerſalia ſacræ Scripturæ dicta minimè comprehendiſſe intelliguntur.

Alterum quod re & non nomine reciſum dicitur cùm pro univerſali ſignum habet particulare, ut *de mille viris unum reperi, de mulieribus verò nullam.* Beatus Auguſtinus exponit hanc dictionem mille pro hac dictione omnes, ut de mille viris, id eſt, de omnibus viris: de mulieribus verò nullam, hæc autem dictio, nulla, univerſale ſignum eſt, tamen reſcinditur quòad Virginem MARIAM, reduciturque ad primum reſciſſionis genus. Itaque quocumque modo aliæ mulieres comprehendi videantur, veriſſima tamen ratio eandem Virginem comprehendere vetat. Sed ut tibi minùs videatur obſcurum plerumque compertum habeas ſacram Scripturam talibus univerſalibus uti conſueviſſe, & frequenter particulare ſignum pro univerſali accipere, & è diverſo, ut ſi id Evangelium legatur: *Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei, uſque ſeptiesˢ Dixit illi* JESUS: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties*, ſeu numerus finitus pro infinito, id eſt quoties venerit frater tuus ad te, illi remittas.

Quid aliud intelligendum ſit quàm aliquid pro omnis & omnis pro aliquis: quapropter laxas Scripturæ ſanctæ habenas nemo plus cohibeat quàm ratio dictare conſuevit, ut hi qui tanta pertinacia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione falſa pro veris aſtruere ſolent, ut citiùs occaſione quàm ratione in peccatis conceptam probare nituntur. Timeant igitur nè offendant matrem honorificatam, matrem honoris & honeſtatis, matrem pulchræ delectionis, quam nunquam tetigit peccati labes. Cæterum ſi eam ſaltem laudare cupiant, tamen inter ipſas laudes nihil ſiniſtri cogitare audeant, memoreſque ſint illius dicti, qui elucidant eam vitam æternam habebunt. Debitis ergò illam obſequiis veneremur, per quam janua cæli aperta eſt.

Deſinantque ſuſpicari eam de peccato, quæ tota pulchra eſt, omniſque peccati maculæ neſcia.

QUÆRENS.

Sum tuis dictis non ſolùm perſuaſus, ſed etiam uberrimè conſolatus: at tibi niſi eſſem oneri, interrogare velim, ſi Virgo MARIA longè ante Chriſti Aſcenſionem è medio ſublata fuiſſet, nè continuò (ut redempta erat) ad paradiſum evolaſſet, an expectaſſet Chriſti Aſcenſionem?

RES-

RESPONDENS.

Non irrationabiliter intellexerimus Virginem MARIAM, si Christum obitu prævenisset, illum non præcessisse in gloria. Nam oportebat ducem redemptorum, qui via & veritas erat, viam facere redemptis, & devicto principe mortis eos simul ducere in gloriam. Quare nec via cuiquam facta erat nisi Christus qui mortem suâ morte vicerat ad vitam perpetuam glorioso duxisset triumpho. Quò tandem abiissent redempti sine Christo duce? Errassent utique nisi eum secuti fuissent, qui viam salvandis aperturus erat: via quæ non solùm, non erat illis facta, sed etiam omnibus erat præclusa. Quam nullus aperire poterat, nisi Christus, præter quem nemo claudit, & nemo aperit, qui *clavis est David.* Virgo tamen MARIA ad locum quietis & expectationis fuisset destinata usque ad Christi Ascensionem, quam tunc comitem cum aliis redemptis secum habuisse creditur, & teste Psalmista: *Ascendendo captivitatem, duxit captivitatem.*

QUÆRENS.

Adhuc non pauca occurrunt quæ non reticere admovent: multis quidem probationibus asseruisti Christum & Virginem peccati maculam Conceptione non attigisse. Dicet fortè quisquam nullum altero superiorem fuisse privilegio, sed censeri munditiâ in Conceptu æquales. Quid erit igitur in Christi conceptione ampliùs Virgine? Quapropter vereor, nè hæc Christo æqualitas afferat injuriam, cùm Virg. MARIAM per omnia Christo à labe peccati æqualem facis. Quare hujus rei declaratione opùs est, nè hæc dubietas faciat, ut præcipiter in eum errorem, unde abductus sim.

RESPONDENS.

Paucioribus quam ut liceat cogitationibus te offendere animadverto, quamquàm arbitrabar rationibus tibi satisfeciſſe, ex modico tamen à recto calle diverteris. Susurras injuriam Christo fieri asserendo Virginem in Conceptu mundam. A te libenter petere velim, quam injuriam Christo inferat mundus Virginis Conceptus? Quid nonnè nihil Deo amabilius nihilque convenientiùs mnnditiâ, ediverso nihil odiosiùs peccato? Peccatum utique primos efficit Deo parentes

cum

cum posteritate odiosos quos sine labe plasmaverat. Non est ergò ipsa munditia quæ habetur, sed ipsa labes, quæ Deo facit injuriam: quoniam vix rejicitur, quòd diligitur etiam à Deo, nunquam munditia rejecta est, sed dilecta, & quia matrem dilexit, ideò mundam concipi atque munditia honorare voluit, ut non frustra dicatur Mater honorificata. Prætereà objicis æqualitatem in Conceptionis munditia. Non enim semper æquat quod convenit: convenit munditia conceptui Virginis, non ut conceptus quidem conceptui æquaretur, sed ut ipsa Virgo honoraretur. Itaque si benè attendas non propter hoc ejus munditia eam conceptioni Christi æquabilem fecit. Dicis item majus Christo non fuisse privilegium. Si rectè perpendas Christi à Virgine privilegium intelliges non parùm interesse, & in Christo multò altiorem quàm Virgini dignitatem. Christus enim conceptus est de Spiritu sancto, Virgo de virili semine. Christus in conceptione gratiæ habuit plenitudinem præter modum, Virgo verò habuit plenitudinem cum modo. Christus in conceptione fuit Deus & homo, Virgo solam habuit humilitatem. Ecce quemadmodùm frustra de æquatione diffides: intellige ergò quantò altius sit Christi à Virgine privilegium define jure suspicari de injuria, sed intellige, si immunditiam Virgo habuisset potiùs Filio suo Christo quam habita munditia injuriâ factâ extitisset.

Impressum est Parisiis hoc Opusculum per Magistrum Anthonium Denidel Impressorem prope Collegium de Coqueret commorantem.

LAUS DEO.

HEN-

HENRICUS DE HASSIA

PLANTATOR GYMNASII VIENNENSIS IN AUSTRIA

Contra diſceptationes & contrarias prędicationes Fratrum Mendicantium ſuper Conceptione Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, & contra maculam S. Bernardo mendaciter impoſitam.

In Theotocochrenontas, id eſt, Deiparæ Temeratores Hexaſtichon Ottomarii Luſcinii Argentini.

Deſine Chriſtiparam nativæ involvere culpæ,
Quam temeras, Genitrix eſt veneranda Dei,
Angelus haud ſenſit, nec Adam contagia labis
Et Matrem hâc audes contaminare Dei?
Quam benê conatus referunt ceſſiſſe gigantum
Tam prodeſt ſuperis conſeruiſſe manus.

Habes in hoc Opere Charißime Lector inter cætera multa ſcitu digniſſima.

Beatam Virginem MARIAM abſque originali eſſe conceptam.

Divo Bernardo maculam falsò eſſe inuſtam.

Viſionibus non facilè credendum eſſe.

Diverſas veritates diverſis temporibus eſſe à Deo revelatas.

In concionibus non eſſe diſceptandum, non invehendum, non detrahendum, neque ſe faſtu oſtentandum.

Non eſſe habendum affectum ad unum Doctorem, ut alii contemnantur.

Sanctum Auguſtinum & cæteros antiquos Theologos propter Scotum & Ockam non eſſe negligendos, id quod noſter Roterodamus maximè monet ad Leonem decimum & Dorpium.

Epitheta Neotericorum eſſe moderanda.

Nova Sanctorum feſta non eſſe ſine cauſa multiplicanda.

Non de fabulis, ſed de vitiis & virtutibus eſſe concionandum.

Beatam MARIAM corpore & anima fuiſſe ſpecioſiſſimam.

Univerſales divinæ Scripturæ locutiones, ut eſt illa: *Omnis homo mendax*, omnes naſcimur filii iræ, non ſemper eſſe univerſaliter intelligendas.

Ad obloquentem caſtis & reformatis clauſtralibus, qui non puerili illecti, ſed adulti & ultro clauſtra ſubierunt in nobili præſertim Germania, quæ nec inopia neque faſtidio fœminei ſexûs præmitur.

Scis pedicones? Dic: pœnas luent.
Neſcis? Germaniam nè macules.

HEN-

HENRICO BAVARIÆ DUCI

Ex Regio ſanguine Comitibuſq; Rheni-Palatinis Principi clariſſimo, Agrippinæ Argentinæque Eccleſiarum Canonico, & Aquenſis Præpoſito digniſsimo, Domino & Patrono clementiſsimo Ja. Wimphel. de Seleſtadio ſeſe unicè commendat atque offert.

Henricus de Haßia ſummi nominis Theologus inter egregia ingenij ſui monumenta libellum edidit, in quo mirum in modum fraterculorum quorumdam mendicantium vanas & ſtereles parumque (noſtro Eraſmo Roterodamo ad Leonem decimum teſte) Chriſtianæ pietati affines contentiones deteſtatur atque damnat. Parteſque Divæ Virginis MARIÆ ac melliflui Bernardi tutandas ſuſcipit, quod ad eorum uſque ignominiam iſtas fratrum diſſenſiones proſerpere videret, cùm nuper in manus meas incidiſſet, ratus ſum rem non omninò ingratam optimis quibuſque Chriſtianis facturum, ſi eum libellum publicè ſtudioſorum utilitati legendum exhiberem, idque ſub illuſtriſſimæ Dominationis tuæ titulo, quod plurimum & auctoritatis & gratiæ libro huic acceſſurum non dubitarem, ſi tuum clariſſimum nomen mox in fronte ipſa legeretur. Neque indecorum viſum eſt doctiſſimi hujus Theologi, qui animo tam fervido Chriſtianam pacem concor-

diamque fovere nititur, labores illustrissimæ Dominationi Tuæ dicare: qui ut es naturâ omnium mansuetissimus, benignissimus & humanissimus, totusque concordiæ & pacis cultor & amator, ita contentiones, lites & dissidia acerrimo semper odio es prosequutus. Movit autem me ad eam rem non nihil, quòd viderem lites istas, morsus & controversias (ut sunt fratrum inter se iræ juxta Euripidem acerbissimæ) jam indies magis ac magis invalescere, idque (proh dolor!) inter eos, quos minùs, immò minimè decebat, quippè qui nescio quid altius ac sublimius cæteris Christianis sese professos gloriantur, ut enim perpetuum illud & indelebile odium quo diversorum ordinum aut professionum fratres, tum inter se, tum præcipuè in Sacerdotes curatos debachantur, fileam. Eo dementiæ (non absque justo dolore meo) res devenit, ut eodem orti patre, eisdem imbuti institutis, eodem insigniti nomine. Tantò tamen in alios, suæ etiam professionis sectatores (quos ob incorruptiorem vitam reformatos vulgò nominant) odio flagrent, ut cùm videant eos ab omni muliebri contagio juxtà divinam Legem & suum institutum alienos, frugalem quandam ac castam vitam agere, ansam indè calumniandi (undè laudare saltem, si non imitari vellent, debuerant) temerè arripuerunt, horrendum scilicèt quoddam infandumque & infame crimen, vel in publicis ad plebem declamationibus bonis illis patribus dente leonino mendaciter impingentes, non sine gravi Christianæ Religionis infamia, nobilissimæque Germaniæ nostræ (quæ ab hoc immani crimine semper immunis habita est) turpissima nota & pudendâ labe, pestilentissima hâc opinione salaces ipsi imbuti, ut hominem absque spurcis ac venereis istis voluptatibus haud vivere posse arbitrentur, cæteros omnes ex sese fortassè metientes: tamquam Christus nos fefellerit in Evangelio blandè exclamans: Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, qui potest capere, capiat; *tamquam Sanctus Bonaventura mentitus sit hiscè suis styli parisiani verbis: si vis continere necesse habes mulieres*

effugere

effugere & carnem macerare, maximè si juvenis es, quòd si hoc feceris & contientiam amare cœperis, fiet tibi non solum non difficilè, immò per omnia facilè, tamquam vana ac falsa sint, tot præsentissima contra bestiales has illecebras remedia à Guilielmo Lugdunensi, Thoma Argentino, Joanne Gerson, Joanne Pico Mirandulano, nostrique sæculi decore Erasmo Roterodamo eligantissimè simul ac verissimè descripta, tamquam fabulæ sint, quæ de Agnete, Agatha, Lucia, Fide, totque millibus Christianis Virginibus passim leguntur, tamquam fabula sit Josephi purissimæ Virginis MARIÆ Sponsi, ac Joannis in officio successoris, Baptistæque & Henrici Cæsaris atque conjugis Jacobi, denique Moguntini & Frederici Augustani Præsulum castimonia, ut interim tot egregia Ethnicorum exempla præteream, qui nullo Christi præsidio freti nullis adacti Sacramentis, ita constanter tamen fœdis illis voluptatibus restiterunt, ut nulla pœnè sit historia, quæ non eximia cum aliqua laude horum meminerit, neque ego crediderim omnes eos, quos non reformatos vulgo appellant, etiam studentes, quoniam Sacerdotes qui quotidie sacrificant, ita venereis istis voluptatibus immersos esse & addictos, quin & aliqui saltem inter eos reperiantur, qui honestis solatiis, sacrificio quotidiano, studio ac lectione sacrarum Litterarum, memoriâ mortis, metu infamiæ, metu offensæ divinæ, pio in Crucifixum affectu, consideratione momentaneæ voluptatis & pœnitentiæ appendicis furorem hunc vincere didicerint, cur igitur frugalibus istis & bonis Patribus id negatum arbitrantur? Verùm omissis his, ad Henricum nostrum redeo Inclytissime Dux Henrice *quem digladiationes istas non solùm Theologo, sed & Christiano quolibet indignas ita detestantem, ut possis verum agnoscere Theologum, Illustrissimæ Tuæ Mansuetudini dicatum, studiosis quibusque ad fovendam pacem, ad defendenda Matris Dei Sanctique Bernardi gloriam legendum offero, ut per se alioqui satis illustris accessione clarissimi Nominis Tui longè reddatur illustrior, simulque ut cùm aliter*

ingentibus illis tuis, quibus afficere me ſoles, beneficiis reſpondere minimè poſſim, hâc ſaltem præfaciuncula, grati aliquid, tuique amantiſſimi qualecumque animi mei indicium tibi oſtendam, quem Dominus Deus Auctor omnis boni & Conſervator in eximiis & præclaris virtutibus (quas hactenùs coluiſti & amaſti) amodo confirmet, utpotè ſine duritia in pauperes pium, ſine bile magnanimum, tranquillum & manſuetum, ſine technis veracem & integrum, ſine fœda & vetita carnis ſpurcitia celibem, mundum, & pudicum, ſine faſtu humilem, comem atque modeſtum, nedum ad mortalis animæ tuæ cunctis rebus præferendam ſalutem, ſed & ad gloriam illuſtriſſimæ tuæ Familiæ ſempiternam. Ex Curiâ tua Argentoracenſi, ſeptimo Kalendas Julij, Anno noſtræ ſalutis 16. poſt milleſimum quingenteſimum.

JOANNES GALLINARIUS, Briſacenſis Eccleſiæ Rector paci à Chriſto cunctis Chriſtianis indictæ dicavit.

Quid precor horriſoni Genitrix diſcordia Belli
Ludificas miris pectora noſtra modis?
Cur mahumeticolæ non das tua ſemina genti,
Quæ MARIÆ natum non putat eſſe Deum?
Sat ſumus illuſi, ſatis eſt fudiſſe cruorem,
Quid nos Chriſticolas præcipitare ſtudes?
Ruſticus agricolam, rex regem, miles ephœbos,
Perſequitur docilis doctiloquoſque Patres.
Gaudet Presbyteros ignavum ſpernere vulgus,
Carpere curatum Religioſus ovat?
Juriſtam artiſtæ taxant, reliſta modernum,
Spernunt Juriſtæ Theologoſque graves:

Cordi-

Cordigeri laudant Scotiſtica dogmata fratres,
Quæ rodit ſtudio ſæpè Thomiſta ſuo:
Et nova Marſilium Verſoris ſecta refutat
Ac pie te Gerſon heu Jacobita premit:
Geſſit Alexander per prolem triſtia bella,
Julius in proprio corpore bella gerit;
Exanimis livor cunctas vexat modò gentes,
Heus odium prædas & fera bella movet:
Factio Philoſophos, corrumpit factio cives
Et Regem ſpernit infima nobilitas:
Helvetium Suevus, jam torquet Gallicus Anglum,
Fides Germanis detrahit Auſonius:
Theutones heu Phryſios urgent, guelphi gibelinos,
Et proceres tendunt civibus inſidias.
Sic avidi crebro ingeminant conamine rixas,
Quiſque ſuos fratres ludificare ſtudet.
Hoc facit, immanes quòd non proſternere Turcas
Poſſumus, & gentem dilacerare feram,
Proh pudor! illuſtres aut ſic ſperare triumphos
Dicitur, & rabidos perdomuiſſe Schythas:
Si cupitis veſtro Turcas diſcludere regno
Chriſticolæ, unanimes vos precor eſſe viros.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO

Patri ac Domino Jacobo Abbati Eberbacenſi, Sacræ Theologiæ famoſo Pariſienſi Doctori, utinam minimus Chriſti & poſt Chriſtum ſervulus Fidei & morum corrigendo demolitores, Sanctorum refrenando æmulos vitam promereri ſempiternam.

QUidam non levis querelæ tumultus mihi nuper tonuit in aures, in quo ſenſi non gravi ſine diſplicentia Sanctiſſimum Patrem Bernardum, Venerandæ memoriæ Abbatem Claravallenſem, divinitus inſpiratum, Doctorem Eccleſiæ melliflu um contra æmulos in quadam Epiſtola ita exclamantem. Audivi auditionem veſtram & timui, ſcribitis enim contra me amaritudines, abſit autem, ut tam rationabiliter quam terribiliter: quid peccavi? An quod veſtram perſonam ſemper amavi, veſtrum ordinem fovi & promovi ſemper, quod in me fuit, fidem ſi verbis non habetis, opera faciant, ut quidem mihi mea conſcientia reſpondet, ego à vobis debui commendari, ſed quia contraria potiùs loqui & ſcribere libet, me diffamatis, dicitis forſitan infamiam non eſſe per vos, ſed quomodo & per vos & propter vos eſſe negabitis quod vox clamat in Theatris? Facilè cætera portarem, ſi tantùm vos non eſſetis in cauſa, in culpa dicere non volo, non eſt meum diſcutere hoc, eſt qui quærat & judicet, verumtamen *væ homini illi per quem ſcandalum venit*; judicium profectò portabit quiſquis eſt ille vel illa, his viſceraliter motus & dolore tactus intrinſecus, de ipſius ſpeciali confiſus auxilio, zelo juſtitiæ & puritatis fidei auſus factus ejuſdem devotiſſimi Patris cauſam corde ſuſcipiens, contra ipſius impugnatores & generaliter Sanctorum Doctorum detractores, veſtræ cupiendo inſervire inſinuationi & (ut debeo) gratanter obediendo, omni voluntatis beneplacito niſus, tali

quali

quali defenſione cauſam ejus dirigere pro viribus & ſtabilire (fortioribus relictis majoribus) duxi prætentem Epiſtolam invectiva nimia licèt ruditate balbutientem, Rhetorices ignaram, conſcribere veſtræ Reverentiæ dirigendam. Sed utinam vos & alii Magiſtri mei reverendi ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſupportantes inſipientem cùm ſitis ipſi ſapientes. Quorùm immò & cujuſcumque judicii ſanioris, quicquid hîc ſcripſero, oculatæ ſubmitto diſcretioni, & piè porrigo correctioni, humillimè veniam ſupplicans, de minùs bene dictis vel incautè poſitis, non proterviæ, non meæ præſumptioni aſcribere bono zelo excuſante, & ſuſceptæ cauſæ titulo prohibente, ſi quidquam aut boni cuiquam fortè hanc legenti Epiſtolam occurrerit, non mihi, ſed ei qui erudit me omnium Creatori gratiarum actiones ſuppliciter geſtio referendas.

Cur invidia aſcendit in cœlum. Cap. II.

Invidia diaboli, noverca boni, honoris æmula alieni, ſoror ſuperbiæ, mater pertinaciæ, profectûs ſalutaris inimica, ſcaturigo radicalis vitiorum introivit in orbem terrarum, cujus dum ita corroſit ſublimia, tabefecit infima, vi viridia quæque jam orbis temperarent propriè generationis pravæ & adulteræ immemor, quaſi nihil quod morderet in terris, ſuæ reliquerit poſteritati, igitur genimen viperarum germine invidiæ poſuit circa cardines cœli ambulare, & ſagittas in cœlum minari empyrium, ac ſuæ virulentiæ maculam immaculabilem auſit ponere gloriam Beatorum, dolens eos detractionis eſſe expertes, qui ſub viperinis morſibus virentes floruerunt, & ſicut cynamomum & balſamum aromatizantes odorem optimum reliquerunt in terris, in vinea Domini Sabaoth, quo invidiæ ſemen ſedulò torqueretur in pœnis, ipſis lætantibus in cœlis, quo aridi viror recreſceret priſtinus, quo morſi vigor rediret invidus, qui de vinea Domini ſerpentes fugaret, venefica ab eius ingreſſu arceret, & quæque ipſius purgaret virulenta, ſed quis horum potiùs invidiæ colubri occurreret mordendus, ſoli parcenti; miſeriæ, ſemper molienti ſuos in altiora porrigere ſtatus quàm qui potioribus attollimur inſigniis dignitatum & primorum uberiori retributione perfruimur, & quam digniorem agnoſcit & commendat, ingentior excellentes meritorum, & cujus fructus multiplicior Eccleſiam reficit militantem, & fluminis influxus lætificat civitatem ſupernam, non dubium,

bium, hic urget præcipuè inimicum colubrum, huic injicitur mille-cuplex invidiæ jaculum, in hunc impingit potissimè genimen viperarum.

Quare potiùs attigit Beatum Bernardum.

CAP. III.

SEd gira, regira, pereurre Scripturas, revolve Legendas, ubi quæso talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur, ubi talis amoris stimulus ignitur, sicut in vita Beatissimi Patris Bernardi, Abbatis Clarevalensis, rutuli sideris divini amoris, Cistercienſis Ordinis ampliatoris & inflammatoris ardentissimi? Et quis penetrabilior virtutum hortator occurrit? quis efficacior viciorum elimator decurrit, humanum excitans torporem ad cœlestia, elidens ardorem ad terrestria, somnum mortis impediens, divinæ lucis radios, fugatis tenebris, inclarescere satagens. Cujus insuper fœcundus ac decoris sermonibus Virgo Christi Mater tam glorioſissimis extollitur laudum præconiis, pretioſissimis ornatur puritatis encœniis, integerrimis prædicatur virginitas signaculis. Et nedum hoc sed & cujus doctrinis universalis Ecclesiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantiâ singulari glorioſiùs coruscat, & fœcunda facundia (cœlestis irrigui gratiâ influentem) scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, elucidat obscura, declarat dubia, sicuti Beati Patris Bernardi Doctoris Ecclesiæ eximii, qui in gloriam patriæ abiens, sic saluberrimis omnis sanctitatis monitis, doctrinæ & exemplis vitæ, totam sub cœlestem fœcundans, irrigavit Ecclesiasticam Hierarchiam. Quem ideò Alma Mater Ecclesia, exuberantis testimonii plenitudine, in Sanctorum canonizatione requisiti in miraculis, doctrinis, virtutum exercitiis luce clarius reperta ejus cælesti vita testimonium afferente, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuissimis, titulo Confessorum & Doctorum studiis honorari solitis & sonoris efferri præconiis instituit, & honoribus dispoſuit solemniter venerari & Sanctorum Catalogo gloriosè annotari.

Cadilla

Callida dæmonis machinatio contra profectum ſpiritualem. CAP. IV.

HIs offenſus humani generis inimicus, Virginis Dei Matris ſpecialis æmulus, ſeminator diſcordiæ, auctor omnis oppugnantiæ ad Matrem gratiæ, veniæ inventricem, omnis ſanctimoniæ largitricem, tanto tempore fidelium dovotionem intuitus eſt accurriſſe, & quotidie ardentiùs accreſcere & inflammari: devotiſſimis excitatis redolentis doctrinæ monitis, & ſplendentis vitæ exemplis Beatiſſimi Patris Bernardi, quem devotionis impetum, & divinæ gratiæ ex Virgine fluentum, ut tepeſcere faceret callidus, & ſilere procuraret, pœnitùs protervæ opinionis, non charitativæ inquiſitionis pugnam, inter Dominicum & Franciſcum, quaſi ſchiſmaticam ſuſcitavit, & pertinacem de Immaculatæ glorioſæ Virginis Immaculata Conceptione Dominico auctoritatum ſono autummante ipſam originalem maculam contraxiſſe: Franciſco è contra, hoc rationum cumulo exprobrante, nullatenùs ſic fuiſſe aſſerente, hic flavus color undecumque mendicatur. Hic Doctor extollitur, ille diffamatur, tum zelus inflammatur vanæ gloriæ, tum ſpiritus faſcinatur pertinaciæ. Non tuus optime Franciſce, ſed tui Ordinis quorumdam in levitate ſui ſenſûs ambulantium ſpiritus ſic deluduntur, ſic abducuntur, ut in ſuæ aſſertionis colorem decolorem, non veritate ſobrii, ſed vanitate ebrioſi ſomnient, & alios ſomniaſſe temerariè affirment & ſuper tecta prædicent, Sanctum Patrem Bernardum totum candidum, præter pectoris quamdam maculam, monacho cuidam apparuiſſe, & confeſſum eſſe ſe deferre illam, quia maculavit immaculatam, aſſerendo ipſam maculam habuiſſe originalem. Hanc mendaciſſimæ apparentiæ umbram execrabilem à Guarrone quodam Doctore Anglico primò allegatam quis in diffidentiæ filios expandit, niſi Princeps tenebrarum Deus hujus ſæculi, ipſis in opprobrium, piis auribus in ſcandalum, Sanctiſſimo Patri in vituperium & infamiam, ac totius Eccleſiæ in gravem profectûs ſpiritualis ruinam.

Invocatio S. Franciſci pro apponendo remedio.
CAP. V.

SUrge, exurge qui dormis, ſancte Pater Franciſce, quomodo pateris tuam Religionem venerabilem ſic delirare? Gregem Chriſti popularem vel à tuis ſcandalizari? Quomodo pateris diffamare, honorabilem gloriæ concivem, per tuos, fictis rumoribus aures accommodantes, delira ſectantes ſomnia, curioſitatum venatores, in hoc divinæ ſapientiæ pariter & humanæ periculosè ignaros. Die, obſecro ut audiant præceptum Scripturæ: *Laudate Dominum in Sanctis ejus*; obtemperent præceptis Eccleſiæ de Reliquiis & veneratione Sanctorum, Salvatorem attendant exprobrantem: *Væ illis per quos ſcandalum venit, quoniam rei ſunt eorum qui perierunt ſcandalo*: Audiant Moyſen: *Fictor ſomniorum interficietur.* Non inveniatur in te qui obſervet ſomnia, non audies verba ſomniatoris, neſcitis quod ſomnia extollunt imprudentes & multos errare fecerunt? Quin imò mitte eos non ad Moyſen, non ad Salomonem, ſed ad Poëtas & Cathonem, ut fortè reſipiſcant diſcentes: Somnia nè cures, nam fallunt ſomnia plures. Excita ſomniatores, doce ignaros, ſi forte convertantur & diſcant quot apparitiones deceptoriæ a malignis leguntur immiſſæ, & quot noxias opiniones & credulitates introduxerunt, quòt in Beguardorum extaſibus emerſerint illuſiones, quòt vanæ ex curioſis ſtudiis & ſollicitudinibus illabuntur, quòt ex ſtellarum impreſſionibus & humorum complexionibus & corruptionibus complexionum & tumultibus cogitationum dormitantibus ingeruntur. Interrogate Salomonem quomodo ſollicitas curas ſequuntur ſomnia: quare ubi multa ſomnia, plurimæ vanitates. Nonnè vos docuit Paulus Apoſtolus: *Non omni ſpiritui credere, ſed probare ſpiritus ſi ex Deo ſint*? Et Jeſus Filius Syrach: *Qui citò credit levis eſt corde.* Et Iſaias: *Qui crediderit non feſtinet.* Ecce vos docebat & prudens Virgo quòd ſæpè Angelus ſathanæ tranſigurat ſe in Angelum lucis, quando cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Vos autem è contra his qui in levitate ambulant particicipes omni verbo creditis, in quibus diaboli levitas non Chriſti charitas omnia credit, nihil ſalubriter ſperat: Ecce ſomniatores apparuerunt in terra noſtra, terrentes populum per ſomnia. Sed apparebit quid profint illis ſomnia ſua, & quod ſomniatores fruſtra locuti ſunt,

niſi

niſi forſan ut dormiant ſomnum ſempiternum, & viſus ſomniorum malorum finaliter conturbet eos, & gloria quam ſomniis quærunt velut ſomnium avolans non inveniatur & eis pro gloria confuſio accumuletur. Penſate ergò ſomniorum ſuperſtitiones, palpate pericula levitatis credendi, & opiniones introducendi ex dormientibus, & vigilantium miris & inſolitis viſionibus tam variis, ut dicebatur, modis, & cauſis fieri poſſibilibus, & quantam idcircò eventus talium ambiguus maturi examinis diſcuſſionem expoſtulet, antequam, ſi negotium ex Deo ſit, rationabiliter conſtet. Etiam hoc nobis clarè inſinuat examen diligentiſſimum, quòd in Sanctorum canonizatione (qui etiam potentibus coruſcant miraculis) ſancta inducit Eccleſia. Igitur verecundemini leves, immò leviſſimi, famam mordere Beati Patris Bernardi propter ſomnium verè fictitium. Neſcitis quomodo & undè advolaverit auribus veſtris? ni forte ex ore alicujus Beguardi inſaniris, neſcientes cui creditis. Quomodo tali creditis? Nonnè facietis obliviſci populum nominis Dei propter ſomnia? Jube ſanctiſſime Pater Franciſce, ut ponant hi oſtium circumſtantiæ labiis ſuis, & cuſtodiam ori ſuo nè præcipitent in infernum, fatuam in publicum ſtultè ballantes narrationem, Sanctis in contumeliam, populo in injuriam, eis non in gloriam, ſed confuſionem & opprobrium ſempiternum.

Novæ infamiæ pullulatio ex eadem pugna opinionum.

CAP. VI.

SEd ecce vetus macula concivis tui Bernardi venerabilis per tuos jam deſpumavit in novam, proch dolor! vetus querela concepit dolorem, peperit iniquitatem, tantò ſæveriorem, quantò moderniorem. Franciſcus de Maronis tui Ordinis quidam Profeſſor Univerſitatis Pariſienſis, Doctor Theologicus, neſcio quo zelo ductus Sancti Patris Bernardi quamdam ſcripturam ſuæ aſſertioni & Ordinis ſupradicti, verborum ſuperficie contrariam prætendentem, & ſono quodam inſinuantem gloriosam Virginem originalem maculam contraxiſſe, veriùs reprehendentem levitatem, & temerarium auſum Canonicorum Lugdunenſium celebrantium feſtum Conceptionis MARIÆ levi quodam rumorum vento ejus præcipitanter afflatum, irreverenter negans, negationem ſcandalosè colorans & falsè excuſans dixit & ſcripſit, non plus in hoc Bernardo

eſſe credendum quàm in eo quod dixit in quodam Sermone Virginem glorioſam per Conceptionem Verbi ſuæ Virginitatis ſigna amiſiſſe inſignia. Quam aſſertionem omnium piis auribus horrendam & ſcandaloſam alius Frater Minor nuper Pariſius ſententias legens in vacationibus coram ſolemni audientia impudenter & publicè narrare præſumpſit, prædictum Franciſcum in ſuæ ſolutionis indecorem allegans colorem, & impropriæ famæ pallorem, quia reprehenſus ſuper hoc Theologicæ eſt accuſatus facultati: & meritò nè impunitas culpæ aliis viam paret delinquendi in ruborem rueret confuſionis & in judicium corrigentis revocationis allegavit, ſiquidem in hac forma, quidam Doctor hujus ſcholæ excellentiſſimus & inter alios Univerſitatis Pariſienſis approbatiſſimus Franciſcus de Maronis, qui in rei veritate multa vidit & ſcivit, & fuit maximus Clericus, ſic ait in 3. Sentent. in quæſtione de Conceptione Virginis: Bernardus hic non eſt recipiendus, ſicut nec in Sermone, in quo amiſſionem ſignorum Virginalium per Conceptionem Verbi inſinuat. Et propter hoc dicit Guarro Doctor Ordinis noſtri inter Doctores magis famoſus, qui fuit Magiſter Scoti, quod Bernardus apparuit cuidam Monacho cum macula in pectore, dicens illam ſe habere propter peccatum originale quod dixit ineſſe Virgini, ex quo cùm ſentire dicitur qui peccanti amicabilem ſe præbet & non contradicit, ut dicunt jura, nonnè tunc iſte fatetur ſe diſcipulum horum & imitatorem in dictis illis & ſe tenere cum eis, tantùm eos appretiando & auctorizando, quantum enim quis ponderat & auctorizat Doctorem, quem allegat pro ſe, tantùm arguitur aſſentire illi, quare etiam ſic affectuosè commendaſſet eos, & gloriosè extuliſſet, niſi ut audientes eorum dictis fidem adhiberi faciat. Igitur laborabat inducere audientiam, ut crederetur Bernardum prædicaſſe, Virginem perdidiſſe ſigna Virginitatis in Conceptione Verbi, & quòd erraverit Virginem credendo in originali conceptam, & ideò apparuerit cum macula, & per conſequens ut tota ejus doctrina haberetur ſuſpecta. Igitur cùm illi Doctores fuerint admodum ignoti, & modicæ vel melius auctoritatis antequàm ipſe canonizaverit eos, & per conſequens non moviſſet ad credendum illos errores de Bernardo ipſe non modicum videtur audientiam ſcandalizaſſe, & S. Doctorem ſuum tam de infamia & hæreſi notaſſe, cùm non fuerit ad colorationem ſuæ ſolutionis & opinionis: ſed in decolorationem & apparentiæ dimunitionem, ſic leviter ſanctum & approbatiſſimum Doctorem propter ſuam poſitionem negare, hoc enim innuit, poſitionem irra-

irrationabilem & inveriſimilem & facit deſpicabilem, non autem oſtendere convenienter, quod intentio tanti Doctoris ſtet cum poſitione, quia reductus dicitur ad metam qui in defenſione poſitionis ſuæ arctatur negare famoſos & approbatos Doctores. Et ſi dicas non fuit coactus, quia potuit faciliter gloſſare eum. Igitur protervè & vanè glorioſè defendebat poſitionem ſuam, & non zelo inquiſitionis veri & profectûs populi. Igitur de protervia & præſumptione eſt arguendus.

Reprehenſio eorum à quibus pullulavit.
CAP. VII.

ECce ergo novum partum pertinaciæ opinionis antiquæ, aſſertionem execrabilem abſque omnis Scripturæ apparentia, ſine omni rationis umbra, quam Maronis (neſcio quis) ſpiritus peperit, & ejus diſcipulus auctorizavit & in medium non cautè protulit: dum ſui magiſtri maculam latere non patiens, etiam in proprii Ordinis dedecus eam patefecit in foribus, indignum recitatione illius Franciſci dictum ſanctiſſimi Doctoris Bernardi præferendo auctoritati, ſibi in opprobrium & maximum audientibus ſcandalum. Die, quæſo Franciſce, in quo Sermone Bernardi vidiſti, quòd dicis, & ſi in ſermone aliquo vidiſti, die undè, quod Bernardus fuerit, noſti? Et quòd per Sanctorum æmulos Doctorum corruptores, non dico tui ſimiles, non fuerit appoſitum? Die Doctorem, in quo reperiſti hoc allegatum, vel ſaltem die finxiſti aut à quo forſan pertinaciæ ſocio audiſti narrari? Nonnè tuus vagus allegandi modus, quo dicis in quodam Sermone non quo nec quo libro, taceo de libri capitulo, manifeſtè te accuſat, & de fictione te redarguit, fortè nimis abbreviatè ſtuduiſti Theologiam, vidiſti Doctores non Sanctos, ſed Scoticos, Occamiſticos, & taliſmodi curioſos, quorum inebriatus fumoſis opinionibus ſacras videris non penſaſſe Scripturas. Non legiſti utique libros Beatiſſimi Patris & Doctoris Bernardi, qui non dubium ab hac re præſervaſſent inſania, & ſcripto exclamantes. Concordi intellectu conſentientes uniformi, ut infra videbitur glorioſam Virginē cujus præcellentiam inter aliorum libros privilegiant multiplicius extollunt, ſingularius ſigna ſuæ Virginitatis inſignia nullatenùs amiſiſſe, ſed ante partu, in partum, & poſt partum inviolatam, immaculatam ſemper permanſiſſe, tam altiſonè promunt, & jugiter profitentur, quod

qui

qui libros ejus legens hoc non videt, nihil videt, & qui eum ſic ſentire non percipit, idiota eſt, nihil intelligit. O miſerabilis & cæca pertinacia opinionum Dominici & Franciſci! uſquequo perducis, quo colore te decoloras? ſpuis in gloriam Beatorum, ruis ſic in profundum tenebrarum, ut decenſus in infernum ſit aſcenſio oris tui ſuper cœlum? Nolo dicere ſanctos Patres Dominicum & Franciſcum harum agitari pertinacia opinionum, nec ſacros ipſorum Ordinis, ſed quoſdam ſi qui ſint utriuſque Ord. effrænati animi litigioſos, protervos & contumelioſos harum opinionum defenſores, quorum nonnullos ego ipſe in ſcholaſticis exercitiis frequenter Pariſius audivi inflate & contumelioſè ſe in his ſibi impingentes opinionibus, Scripturas corrumpentes, injurias ſibi dicentes, quos & ſermones de Conceptione moderni opinionis utriuſque & quæſtiones variæ patenter clamant in lucem. Et quoniam in pertinaciam non ſonat jam concorditer omnis unius Ordinis in unam conſentire opinionem, aliis concorditer contradicentibus. Olim enim expertiores in ſcripturis & ſanctiores unius Ordinis non ſic concorditer contra alios ſe ingerunt. Nonnè Spiritus Dei eſt Spiritus pacis & concordiæ? Nunquid moderni ſunt patribus ſanctiores & in veritatis inquiſitione ferventiores, quos ſpiritus indignantis ſic diſſipat diſcordiæ? Contra quos invehitur præſens Epiſtola, declarans quanta ex eorum pertinacia pericula ſequantur, & ſcandala oriantur. Et ecce jam duos detractionis radios frivolæ pertinaciæ opinionum harum adhuc turgentis in graviora, quæ in gloriam Bſſ. Patris Bernardi tenebreſcere non reluceſſere cœperunt, quoniam non eam clarificare anhelarunt, ſed, ut audiſtis, turpiſſimè maculare, diffamare & exterminare, utinam reſipiſceretis cæci & duces cæcorum, qui ficti & ſomnioſi rumorum Guarronis nullius apparentiæ credulitatem, famoſi & ſanctiſſimi Doctoris præponderatis auctoritati, & in hoc Maronis famoſi Lectoris, nullius auctoritatis, frivola allegatione Venerabilem Bernardum poſtponere ſpiritu temeritatis impiè ducti auſi fuiſtis. Nunquid major eſt ſapientia Bernardi quam rumor quem audiſtis? Quomodo dum lucem habetis creditis in tenebras? Si oditis eum, ſaltem operibus habetis credere, illa ſunt quæ teſtimonium de ipſo perhibent veritatis. Quid vos movet juris ignaros, quod malum de alio nullus credere debet antequam probetur, & quod ſic omnis ſuſpicio de alterius malo potiùs repellenda ſit quàm recipienda, quod etiam propter vehementem ſuſpitionem non debet quis condemnari de hæreſi, nec ex ſuſpicione temeraria

caria vult Deus hominem ab homine judicari, taceo quòd Sanctos. Vos autem è contra garrulitatem facientes auctoritatem, in Sanctos Dei electos leviſſimè audetis abſurdas ſuſpicari hæreſes. Nolite quæſo invidere, timete detrahere, ſcientes detractores aliud nil facere quàm in pulverem ſufflare, & in oculis terram ſuſcitare, ut quantò plus detractiones perflant, tantò minùs de veritate videant. Ecce quid ecclypſat veſtræ mentis oculum detractionis agitatio, quam in profundum mergit carnalis affectio, arrogantia & vanitatis præſumptio, & ſi non terreant detractionis tenebræ, terreant ſaltem detractoris pœnæ, quibus diffamatores hominum, pejores raptoribus rerum, rigorosè cenſentur corporaliter affligendi, & ſpiritualis excommunicationis gladio feriendi. Sed quid ſi in profundum tam abierit invidiæ excæcatio, & correctionem blaſphemet & emendare contemnet, habes Evangelium: *Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Audi Gratianum, & infamia ſi nobis teſtis eſt in cœlo & teſtis in corde, dimittendi ſunt ſtulti ebullire ſtultitiam cordis ſui, donec in conſummationem veniat quæ ducit ad mortem vindicibus flammis æternaliter exercendam.

Invocatio Sancti Dominici pro remedio. CAP. VIII.

O Sancte Pater Dominice Chriſtiani gregis prædicationis titulo paſtor eximie, nunquid & tu cogitas quem & qualem gignat fragili in populo periculoſum rumorem, & qualem de tua Religione & de univerſali clero ſiniſtram ſuſpicionem, quod tuo cumulatione Franciſco in uno prædicante anno & loco & publicè exclamante Beatam Virginem ab originali peccato omninò fuiſſe immunem, & tu alio in anno & loco vel ſæpiſſimè in eodem totis niſibus jugitur clamas oppoſitum: vereor detractori non ædificatoriè, malediçè non diſcretè, injuriosè, non amorosè, igitur quomodo animalis populus ex hoc faciliter non præſumat, vos ad invicem ſimiliter & in pluribus aliis punctis fidei diſſentire, & à ſæculari clero ſchiſmaticè diſcrepare, immò totum clerum in articulis Fidei & Chriſtianæ Legis punctis titubare, & firmam ſtabilitatem non habere facillimè conſequenter cogitabit? Nonnè cùm univerſalis ſæcularis clerus & Romana Eccleſia cum Franciſco & aliis Religionibus univerſis feſtum illud Conceptionis Virginis Glorioſæ ſolemniter celebret, & jam magno temporis tractu celebrare conſueverit, te ſolùm in hoc recalcitrante, conſequens videtur, ut citò te lapidabit populus & con-

demnabit totus residuus clerus? O quàm utilius taceretur quam de Virginis prædicando Conceptione, jam hæc jam oppositâ opinio tam pertinaciter asseratur, & cervicosè defendatur, ubi utique non spiritus devotionis exagitatat, sed zelus vanæ ostentationis prædicatores inebriat! Mirum quomodo provida Apostolicæ Sedis circumspectio, dudum his silentium non imposuit, & talesmodi altercationum latratus tot parturientes mala non amoverit. Concordate igitur, obsecro Sancti Patres Dominice & Francisce vestrorum professores Ordinum; impetrate hîc declarationem veritatis. Mittite de cœlis spiritum unitatis, præscindite morum offendicula, tollite occasiones errorum, priusquam nimis multiplicetur zizania, radicetur in vestris pertinacia, & tota fidelium Ecclesia generaliter conturbetur & scandalizetur, nempe facta est opinio ista Ordinum vestrorum lapis offensionis & petra scandali. Sanè quanti periculi occasio esse poterit illarum opinionum pertinax perseveratio superioribus pensatis neminem æstimo latere.

Invocatio S. Augustini pro eodem. CAP. IX.

ETiam tu Venerande Pater Augustine paululum attende, & corrige tui Ordinis qui fortè eodem temeritatis aulu maculatos, salubria tuæ prædicationis seria deserentes ad fabulas se convertunt & narrationes falsas, quibus cùm favorem quærunt, se extollunt, alios despiciunt, quod etiam diabolo auctore infatuati turpiter suprà tactum fictæ maculationis somnium in ambone prædicare non verentur, sic indiscrete in Virginis excellentiam, ut cedat in ipsius devotissimi amatoris & laudum ejus singularissimi præconis contumeliam, in præcipitium Christianæ plebis quam os incautum occidit prædicatoris, garrulatoris superstitionum anilium, recitatoris fabularum, quas contra jure sermonibus immiscentes in uno ore cum Jovis laudibus Christi laudes pronunciant: hodiè narrant iniqui fabulationes, non sicut lex tua Domine, luce clarius non monita sanctitatis, præmia virtutum, comminationes pœnarum, vitas Sanctorum Patrum priscorum, studia honestatis, sed scurrilitates noxias & insanias fallas, fomenta vitiorum, occasiones errorum, & id ipsum veri quod promunt, verborum phaleris & rithmis, modis loquendi obvolvunt, abusivis obruunt tenebris disponunt curiosè, gratis sudant & infructuosè laborant, quia non ut sciant & scire faciant & vitia odire, virtutes diligere. Sed ut sciantur & ab incipientibus inde famati

famati & mirati altius promoveantur & laute voluptentur, non quærentes Deum & animas, ſed in quibus regnum Dei non eſt, honorem, potum & eſcas. Neſciunt quam inconvenienter pauperem Chriſtum prædicant cum pingui ventre rubentibus buccis eum annuntiant. Obmuteſce indiſcreta vox prædicationis, quieſce inutilis labor perditionis, ſile jam pruriens ſermonis clamor, occidis non vivificas, bonum evellis mala replantas. Dic Pater Auguſtine, ut hi apponant digitum ori & cuſtodiam labiis ſuis, ut fortè reſipiſcentes ambulent in ſtylo prædicationis tuæ, in hortationibus Patrum, ut eorum imitatores in labore cum ipſis fructum benedictionis conſequantur ſempiternæ. Cave optime Auguſtine nè plures tui maculentur ſicut non diu eſt unus, ſcio quis, maculæ prædicator condigne ſentiens in pœna, quòd de macula prædicando commiſit in culpa, ſic peſſimè eſt maculatus quòd honore privatus evanuerit in confuſione memoriam relinquens.

SECUNDA PARS EPISTOLÆ,

In qua harum duarum Auctores diffamationum generali conſideratione multipliciter arguuntur.

Primum Capitulum ſecundæ Partis arguit ex parte irreverentiæ & injuriæ Sanctorum.

HIs itaque generaliter peroratis obviandum venio ſpecialius temerariis prædictorum auſibus & præſumptionibus periculoſis, & eorum radices tangendum magis intrinſecus & evellendum perampliùs, & primò calcet Epiſtola Maronem cum diſcipulis ſimul & Guarronem cum maculis. Secundò, interroget per ſe maculigeros procaces. Tertiò, exterminet Maronitas pertinaces. Igitur ô maculigeri & Maronitæ audientes quòd adhærens Deo unus ſpiritus eum eo eſt, attendentes Philoſophum, quòd amicus eſt alter ego, voſipſi judicate ſi offendens unum non de puſillis iſtis, ſed de maximis regni cœ-

lorum civibus, an nedum ſuper vos mercamini Dei indignationem, quin, imo & totius triumphantis Eccleſiæ (forſan æternæ maledictionis) imprecationem, quippè omnis injuria, unum lædens cœleſtium civium, intimo amicitiæ nexu & flammantis charitatis funiculo ſinceriſſimo unitorum totam triumphantem contra ſe provocat Eccleſiam. Nam & hoc infinitè inferior moralis parit amicitia. Hic in ſociali conventu civium mortalium, immò familiaris notitia & domeſtica commoratio, etiam deſperatorum hominum, quia (Ariſtotele teſte) homo naturaliter eſt animal gregale & politicum. Nonnè Chriſtus de prædeſtinatis viriatoribus loquens dixit: *Quicquid feciſtis uni de his minimis, mihi feciſtis?* Nunquid diligit plus Chriſtus hujus mortalitatis indigenas quam cœleſtis patriæ divinos incolas, quorum minimum ipſemet Chriſtus majorem prædicavit maximo in regione hominum. Nonnè ſecundum, jura injuria Epiſcoporum eſt injuria Chriſti, & Deum crucifigunt qui ſuis Sacerdotibus injuriantur Domini. Quid ergò de injuriantibus Sanctis Dei præleCtiſſimis, verè inſanitis, etiam minimam irreverentiam taceo reverentiam, imò quæcunq; leviſſimum irreverentiæ nutum oſtendentes in cœli cives, domeſticos Dei, BB. Angelorum conſortes, militantes Eccleſiæ adminiſtratores, hominū cuſtodes necnon totius naturalis decurſus rectores. Inſenſati non timetis, quod qui olim Deus etiam mortalium hominum imperfectorum querelas & injurias conſueverat celeriter exaudire, ſtarim injurioſos acerrimis exterminando afflictionibus (ut luce clariùs divinæ cum humanis canunt hiſtoriæ) prompte exaudiet clamorem Sanctorum ſuorum, quacumque die clamaverint ad eum, & percutiat vos maledictione & obprobrio ſempiterno, qui electos ſuos & amicos (quos honoravit nimis & gloriâ & honore coronavit) ſic inhonorificatis, & honorem non deferfertis digniſſimis, quos cœlorum rex voluit honorare.

Arguit eos ex parte ingratitudinis. Cap. II.

Ecce veſtri Ordinis Doctores multi & Chriſtianorum Philoſophi Ariſtolem Paganum non ſolùm ſonantem, ſed potenter rationibus probantem contrà Scripturam: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, & creationem negantem beneficiorum memores non protervæ & indignanter negant, ſed pro viribus textum ejus reverenter in verum reflectunt ſenſum, & eum ſtudioſè nituntur gloſſare. Vos autem ingrati & indigni beneficiis doctrinæ & meritis vitæ Sanctorum Doctorum relictis

in

in ſalutem vobis & anteceſſoribus veſtris, quibus & quotidiè utimini, reficimini, & tota fidelium gloriosè illuſtratur Eccleſia & ſuſtentatur, ſpiritu pertinaciæ & gloriæ vanæ inflammati (vereor in damnationem veſtram) auſi facti eſtis, nedum Doctorem Chriſtianum, ſed Chriſtianorum ſanctiſſimum B. P. Bernardum negare, & negationem excuſando ipſum turpiſſimè diffamare; vani ubi zelus fidei vos ita ardenter inflammavit adverſum hæreticos, fidei demolitores, morum corruptores, ſicut modo ſpiritus ſuperbiæ debacchari fecit in Doctores Sanctos, Fundatores fidei ſaluberrimæ doctrinæ Auctores, rectificatores morum, extirpatores validos vitiorum. O Patrum percuſſores, funtnè illæ grates quas eis refertis? Eſt illa honoris retributio pro eorum tantis ſudoribus & laboribus die ac nocte, quibus veſtram ſalutem ſinceriſſimè zelaverunt! O nequam recompenſatio filiorum in tantos Patres! O nefaria inſultatio, et ſi Paganus Ariſtoteles vos condemnet, ſic docens: Non ſolùm dicere gratiam juſtum eſt quorum aliquis opinionibus communicavit, ſed & his qui ad hoc ſuperficialiter enunciaverunt. Etenim hi conferunt aliquid nam habitum noſtrum præexercitati ſunt. A quibuſdam enim opiniones, ſcilicèt vanas, accepimus, ſed alii, ſcilicèt opinando licèt erroneè ut hi ſcilicèt benedicentes, forent fortè occaſio fuerunt. Quomodo igitur excuſabimini ingrati, immò ingratiſſimi de vitio maximè ingratitudinis, qui nedum ſciendi occaſionem, ſed clariſſimam & ſaluberrimam omnis veritatis declarationem à Sanctis Doctoribus habetis ſalubriter vobis relictam verè inexcuſabiles Ariſtoteles vos prędicat.

Arguitur ex parte vanitatis & proterviæ. CAP. III.

RUrsùs veſtros Doctores qui ſcholas vacuis & fumoſis opinionibus maculaverunt & in eis jam ſcholaſtica exercitia nimis inutiliter occupaverunt, ad unguem defendere nitimini, & colorate, gloſſare noviſtis, ſed & ſtudiosè laboratis, ut prurientes opiniones phantaſticas imaginationes in omnes ſeminetis, ipſos altè & egregriè intitulatis, hunc vocantes Doctorem ſubtilem, illum irrefragabilem, hunc luculentum illum perſpicuum, illum proficuum, iſtum rotundum, illum profundum, venerandos autem ac ſpectabiles Doctores Sanctos, qui de fœcundiſſimo ſui pectoris lumine almo pabulo S. Scripturæ totam Eccleſiam reficiunt, & fidei puritatem in nos laborosè perduxerunt, non ſic honoribus attollitis, immò irreveremini, utpotè Sanctum Thomam ſibi contradictionem impingen-

do, ejus auctoritatem non ponderando, nescio ob quid, si non vanam ad ostentationem. Jam parùm distat quòd non Hieronymum, Augustinum, Ambrosium & Gregorium (ex quo sanctissimum Doctorem devotissimum Bernardum, doctrinæ saluberrimæ diffamatoriè negatis) irreverenter reprobatis, frivolè & protervè impugnatis, in ejus auctoritatis & approbationis immeritam diminutionem, vestram inglorificationem parturientes quàmplurimis boni desiderii & affectûs ad ejus doctrinas salutiferas per noxiam depressionem, & ad vestras opiniones frivolas damnabilem anhelationem, utinam attenderes proterva cervix, & frivola Sanctorum æmula, noverca Doctorum, superiorum inimica, quomodo in hoc dicto erroris pericula ponis, scandala morum & impedimenta fœlicium meritorum, quòd Sanctos Doctores quos nec intelligis nec intelligere vales, decentet exponere dedignaris, & tibi ignotæ intelligentiæ frivolæ sic condemnas & injuriosè impugnas. Sanè quantùm distat oriens ab occidente, tantùm cogitationes eorum à cogitationibus tuis, & viæ intelligentiæ eorum à viis dementiæ tuæ: pensa quantùm discrepat hodiè terrenæ vitæ conversatio in cœlis venerabilium præcedentium Doctorum à modernæ vitæ carnali affectione mundiali, à cogitationum strepitu, à vanæ gloriæ appetitu, æstimo quantùm exaltatur cœlum à terra. Igitur nimirum protervia excœcati, si Sanctos Doctores, spiritualissimos viros intelligere primo accursu non valeatis, cùm ipsi sitis animales homines, qui non sapiunt, quæ Dei sunt, nec sensum Domini norunt, licèt indignis explicatum vobis divinitus per Sanctos suos Scriptura clamante Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.

Arguit ex sequela magnum periculum. CAP. IV.

ET si tam choruscantis vitæ & tam famosissimæ sanctitatis & auctoritatis Doctor, sicut devotissimus P. Bernardus est, & semper fuit tam execrabilem hæresim prædicetur docuisse, & in Scripturis reliquisse, utpotè quòd matris Domini virginalia rupta fuerint claustra, quomodo Scripturæ quatuor Doctorum (quibus sustentatur universalis Ecclesiæ machina, scilicèt Augustini, Hieronymi, Ambrosii, & Gregorii) non erunt ab audientibus hoc eâdem ratione & facilitate de hæretica pravitate plurimum suspectæ? & quid jam magis in procinctu est & magis in puncto vacillat, quàm ut etiam negentur & quatuor isti, præsertim

tim cùm devotiſſimum Patrem & Doctorem Bernardum, non minoris gratiæ ſanctitatis & divinæ illuſtrationis, ut facta demonſtrant ejus, & illorum clarè hoc teſtantibus hiſtoriis & legendis. Nunquid igitur ſi ſilentio tranſeantur & tolleretur Bernardus diffamari, negari, reprobari, idem temerarius auſus & in illos quatuor & implicitè concedi clarè convincitur, & præcipuè in venerabiles Doctores omnes, Sanctorum non gaudentes titulo audaciſſimè debacchari aut impingi permittitur. Ubi ergò erit fidei ſecuritas? Ubi ſoliditas doctrinæ? Ubi non contradicetur? Quis Chriſtianus hoc non ſtupet? Quis talibus ſollicitè obviare non ſtudet? Quis Doctor Catholicus horum negligens prævenire occaſiones culpabiliter non omittit? Obſecro, ipſi judicate, uſquequo patimini hoc ſcandalum, quamdiù ſcandalizabitur Chriſti populus, confunduntur Doctores & vos non veremini? & ſi injuria propria patienter ſuſcipienda ſit, verùm non Dei & Sanctorum eſt ſilenda, ſed repentè ulciſcenda. Si non ipſi curetis, veni tu Domine Jesu, aufer ſcandala de regno Dei, quòd Chriſtianorum ſacroſancta eſt Eccleſia tua.

Arguit ex qualitate & habitudine Sanctorum Doctorum inquiſitione veritatis. Cap. V.

ITem non veriſimile, imò infinitè inveriſimile eſt Sanctos Dei electos, qui viribus totis, conatibus ſanctiſſimis, totali circumſpectione adhibitâ diligentia ad utilem declarationem dubiorum, claram diſpoſitionem Scripturarum, ædificationem morum, remotionem errorum, tamen ſpiritu divini accenſi amoris, non carnalis favoris, non honoris, non divitiarum, non gloriæ vanæ, in vinea Domini, quæ domus Iſraël eſt ſanctiſſima, videlicèt Chriſtianorum militante Eccleſia, tam diligenter & tam jugiter ſudaverunt, ſanctum Spiritum, qui per eos regit Eccleſiam permiſiſſe labi in errorem quemcumque Chriſtianæ Fidei adverſarium, imò nec in cujuſcumque periculoſi falſi aſſertionem vel affirmationem, quo humanæ diligentiæ vigilans circumſpectu poteſt ſubterfugere, præſertim cùm ſufficienter facientibus quòd in ſe eſt (quod proprium eſt verè & heroicè virtuoſorum, ſicuti erant priſci temporis Sancti Chriſtianorum Doctores) divinæ miſericordiæ largitas ſupernaturaliter ſuccurrere & dirigere in agendis & cognoſcendis nunquam diſtulerit. Taceo de errore qui utinam ſiluiſſet quem omnis pia auris audire con-

contremiscit, & pura mens nauseat Christiani, quomodo in hoc vanus ille Franciscus, sanctissimi Patris & Doctoris Bernardi molitur limpidissimam maculare doctrinam & ejus remittere famam & auctoritatem. Nescio ob quem nisi ut se poneret in Cachinnum derisionis & diffamiã per orbem, & ut esset fama ejus ut stercorantis in fontem limpidissimum civitatis, cujus fama confusionis statim abiit per universam regionem.

Confirmatio præcedentis. CAP. VI.

ET cùm puræ humanæ auctoritatati plerumque de necessitate salutis probabili (licèt non omninò sine formidine) credendum sit, quia dicit Scriptura: *In ore duorum vel trium stat omne verbum.* Idem doctrina moralis dictat; Sicut enim in scientiis & artibus unicuique experto credendum est, ita in moralibus unicuique probo in sua conscientia est credendum, nisi appareat de errore pro hoc quod Scripturæ divinæ Ecclesiæ experientiæ, vel manifestæ rationi obviat. Iterùm unusquisque afficitur naturaliter ut sibi credatur, quare secundùm legem naturæ, sicut quilibet vult sibi credi, ita alteri credere tenetur. Valdè protervus igitur esset & graviter peccaret contra Scripturam, contra moralem doctrinam, contra legem naturæ qui nulli humanæ auctoritati quovismodo præberet assensum, quantò ergò magis scripturis Sanctorum Doctorum, de quibus ex prædictis vehemens est præsumptio & apparentia, quòd specialiter à Deo directi fuerant in his eorum dictis, quæ nec expressè in divinis scriptis habentur, nec in eis sequuntur evidenter non repugnantibus eis, nec Ecclesiæ nec experientiæ, nec rationi de necessitate salutis vehementissimâ verisimilitudine & probabilitate credendum erit. Magnopere igitur & maturissimæ discretionis calculo talesmodi scripturæ Sanctorum Doctorum ab omnibus sunt pensandæ, tractandæ & reverenter exponendæ, & non garrulosè negandæ & impugnandæ.

Arguit ex periculo erroris & scandali in populo. CAP. VII.

CÆterum dicere publicè Doctorem tam famosæ & approbatæ auctoritatis & tam notoriæ sanctitatis, quemadmodum est & semper fuit Beatus Bernardus, & maximè ipsum in quodam sermone protulisse præmissum

miſſum hæreticæ pravitatis errorem & horrorem, non dubium grande affert infirmis fidei hæſitationis ſcrupulum & erroris nutum, videlicet an glorioſa Mater Salvatoris virginalem obtinuit integritatem in partu & Verbi Conceptione, ſi tam ſanctum Doctorem in toto ſuæ vitæ decurſu tantæ & famoſæ ſanctitatis hoc prædicaſſe, crebriùs eorum perſtrepet in aures.

Arguit ex habitudine B. Bernardi ad Virginem glorioſam. CAP. VIII.

EST iterùm infinitè veriſimile, glorioſam Virginem devotiſſimi ſui amatoris & ſingulariſſimi laudum ejus exclamatoris, totius devotionis excitatoris, flammigeri Beati Bernardi intelligentiam ſic direxiſſe, & eloquentiam moderaſſe & limitaſſe linguam quòd nullatenùs in cujuſcumq; erroris vel falſi aſſertionem incautè prorumperet, maximè virginalis honoris offenſionem, vel quòd cederet in ſuæ amatricis maculam. Si enim quædam alia nullius momenti reſpectu prædicti erroris devotiſſimus Pater & ſimiliter Auguſtinus ſpiritu veritatis admoniti quandoque retractarunt, quomodo idem ſpiritus talimodi errores & aſſertiones in ſuis libris paſſus fuiſſet? Et ſi ipſe, quomodò virginalis favor non clamaſſet, ſed ſilentio tranſiſſet errores hujuſmodi, & ſi diſſimulaſſet fortè in aliis, utique errorem Maronis nullo modo ſiluiſſet, ſi præconis eximii doctrinam & ſuæ virginitatis gloriam falſæ macularet. Quomodo etiam Virgo ſui tanti amatoris aſſertionem quam cumq; poſt ejus mortem in ſomniali viſione vel alia retractandam ſibi in diffamiam, populo in ſcandalum & Virgini in indecentiam ſiluiſſet, & non potiùs priuſquam migraret ipſum moviſſet, ad hujus execrabilis erroris correctionem, præſertim cum ea ſis vituperium infamiæ pro egregia laude Virgo gratiſſima ſuo devotiſſimo retribuiſſet laudatori, quòd incredibile eſſe & virginali repugnare conditioni quis non videt?

Arguit ex fine retractationis & utilitate correctionis. CAP. IX.

ITem retractiato debet ſic palam & notoriè fieri ſcripto, voce vel apparitione, ut ratione illius ab aſſertione retractata deſiſtatur, error

veatur, aliàs retractatio fruſtraretur debito fine. Si gitur Beatus Bernardus ad retractandum aliquid venit vel miſſus fuit in viſione ſomni, hoc debebat ſic palam fieri, ut conſtaret ſufficienter ad cavendum de errore, niſi fingatur forſan perfunctoriè ſe habuiſſe in hoc, quaſi verecundiam palliare niſus fuerit, quod ſivè in ſtatu purgatorii fuerit pro tunc, ſivè in regno cœlorum, irrationabiliſſime fingitur, cùm in ſtatu præſenti homo ſanctus nullo modo inſufficienter retractando pateretur errorem periculoſum remanere, timore verecundiæ & confuſionis: hoc eſt clarum in proceſſu Sanctorum Doctorum Auguſtini & aliorum in retractando aliqua, quæ quandoque eis videbantur. Multò ergò minus in ſtatu purgatorii vel beatitudinis exiſtentes vellent, ſic negligenter & inſufficienter retractare, aliquid ab eis retractandum pro quo remitterentur hîc in mundum. Et cùm nullius teſtimonii & apparentiæ ſit rumor illius ſomnii de macula Beati Bernardi, nec omninò dicitur fruſtra ſic apparuiſſe, cùm in nullo moneat ad cavendum vel corrigendum quamcumque aſſertionem Bernardi. Eſt etiam veri miraculi conditio ſecundùm jura, ut ſit ad fidei corroborationem & ad morum rectificationem, ſed hoc ſomnium nihil facit ad corroborationem fidei, ſed ad confuſionem & ſcandalum populi, quæ ſunt opera Principis tenebrarum Auctorem ſomnii prodentia: quomodo etiam optimus Deus & miſericordiſſimus, de poſſibilibus ſemper faciens quod meliùs eſt, & Sanctis ſuis poſt hanc vitam, honorem, & non vituperium accumulans permittit quòd devotiſſimus Doctor hunc errorem in præſenti vita non retractaſſet? ut alia quædam nullius gravitatis reſpectu illius, toti populo utilius & Doctori decentius potiùs fieri non decreviſſet: ſed obgarritis, quòd Bernardus in apparitione illa ſufficienter apparuit, & fecit quod in ſe fuit, ſed Monachus cui apparuit timens ſui Ordinis Doctorem diffamare, noluit aſſertivè & ſeriosè manifeſtare viſionem, vel ſi ſcripſit vel ſufficienter retulit, ipſi impedierunt evolare rumorem: ſed iſtud eâdem facilitate refellitur quâ fingitur, nullam enim apparentiam habet hoc, ſed magnam falſitatem, eò quòd à protervè tenentibus Virginem non habuiſſe originale, in colorem ſuæ opinionis fictum fuerit, & quòd viſio fuerit dœmonis illuſio in diffimationem devotiſſimæ & utiliſſimæ doctrinæ Beati Patris Bernardi, ut colligi poteſt multipliciter ex prædictis. Item, quare non potiùs cùm haberet ſui Ordinis fratres ſuſpectos, apparuit uni Ordinis Minorum, qui ſtatim clamaſſet hoc in plateis? Et quare videns illam ejus appari-

paritionen fine fruſtratam eſſe, & non tendere in erroris emendationem, ſed in ſuæ doctrinæ confuſionem non multoties iteravit illam poſteâ?

Arguit ex diſcretione ſcribendi & docendi Sanctorum Doctorum. CAP. X.

ETiam Sancti Doctores pœnitùs ab omni pertinacia aſſerendi quicquam immunes, omne quod ſcripſerunt tali proteſtatione & dictandi diſcretione ſalierunt, quòd eorum Scripturæ nulli (niſi ex ipſiuſmet culpa, negligentia vel malitia) quamcumque errandi offerent occaſionem, nam ipſimet eorum ſcripturis judicaverunt non amplius eſſe credendum, quàm divinis inniterentur revelationibus, Scripturis ſacris, claris rationibus (Beato Auguſtino hoc atteſtante) de ipſius & aliorum Sanctorum ſcripturis in Prologo libri de Trinitate. Et Hieronymus dicit: Non mihi credas ſi tibi aliquid dixero, quòd ex veteri vel novo Teſtamento haberi non poſſit. Si ergò ita eſt, quòd opportunitas, immò quòd fatuitas Doctores Sanctos, poſt mortem fruſtra apparere, ad confuſionem non correctionem, & errores retractare in ſuſpectis ſomniis, quos ſufficienter & providenter caverunt proteſtationibus in ſuis ſcripturis, & quos vivi totis niſibus eis patefieri cupierunt, Deum devotiſſimè pro hoc ſemper exorantes, ut in vita præſenti utiliter retractarent, pœniterent & ſalubriter corrigerent, nè poſteris errandi occaſionem præſtarent, ut manifeſtum eſt per eorum diſcurrenti libros.

TERTIA PARS EPISTOLÆ

Specialiter contra Guarronitas maculæ Somniatores.

De Signis pudoris, seu maculis Sanctorum.

CAPUT I.

POst hæc dicite quæso maculigeri, si illa macula fuerit stigma strenuitatis & honoris vel confusionis & pudoris. Si primum, quomodo signum honoris & decoris dicitis maculam. Si verò alterum & jam Beatus Bernardus fuit in statu gloriæ, quomodo confusio cadit in Beatum sivè fuerit inferiùs super terram, sivè superiùs teneat patriam, cùm de hoc statu scriptum sit. Omne maledictum non erit ampliùs. Si verò pro illius apparitionis tempore ubi hoc purgatorium incoluit, rogo invenite culpam, quâ tanta diuturnitate degere debuit in pœnis, cujus semper vitæ decursus sic ferbuit asperrimis pœnitentiis, & qui tam sanctè, tam purè, tam Angelicè vixit in humanis, qui tot miris coruscans tandem migravit ab inferis, frivolè illum fuisse tanto tempore, immò aliquanto tempore in doloribus purgatorii quâ fronte temeritatis ponere auderetis, & nitimini maniretis, & conditionem excitaretis hominum, dicentes Bernardum nedum se sub hujusmodi maculæ signo in visione ostendisse & monstrasse, sed etiam ipsum perpetuè hoc inde coris signum in regno cœlorum gestaturum, sed hoc obviat vestro primo Auctori, & somnii de macula allegatori Guarroni 12. quæst. 3. dicenti, ideò apparuisse Bernardum cum macula, ut quæ non retractavit vivendo, retractaret mortuus per somnia, quod est & fuit superiùs reprobatum in capitulis octavo, nono & decimo secundæ partis. Item, cùm Bernardus non sit in corpore, sed anima in regno cœlorum, igitur illa macula erit in pectore animæ beatæ contra Scripturam clarè Apocalypsis ultimo loquentem ad litteram de Civibus cœlestis Jerusalem: *Non intrabit in eam*, inquit, *aliquid coinquinatum, nec faciens abbominationem.* Item, nec pœnitentia hujus vitæ, nec purgatorii

post

poſt eam ſufficeret quitare plenè omnem pœnam commiſſam pro ſtatu viæ. Item, quare non diceretur ſimiliter Auguſtinum, Paulum & quamplurimos cœli cives electiſſimos, talis maculæ dedecus à fortiori in via meruiſſe, cùm Auguſtinus manifeſtè hæreticus fuerit & Chriſti divinitatem negaverit, & Paulus Chriſtum blaſphemaverit, & ejus doctrinam omninò extirpare niſus fuerit? Nunquid plus eſt peccare hæreticando protervè & ſcienter contra Chriſti divinitatem, Spiritûs ſancti bonitatem, in quem peccatum factum non dimittitur hîc, nec in futuro, quam eſſet errando ignoranter diſplicenter & pœnitenter. Si verò vultis dicere, quòd hujuſmodi macula Bernardi, non eſt aliqua res poſitiva, ſed eſt ſolùm quædam nota indecentiæ, quæ ei ineſt ex hoc quòd peccavit errando ibi, quia eſt ad reverentiam & honorem homini non erraſſe, ſic & non peccaſſe cum ex hoc homo rectè lauderur. Igitur oppoſitum ineſſe alicui eſt nota verecundiæ & cujuſdam indecentiæ, etiam eſt nota indecentiæ, quòd habens vellet ſibi non ineſſe, & ſic eſt de peccaſſe, & ſic erraſſe. Sed ſi ita intelligitis, dicere habetis, quòd Petrus & Paulus Principes Apoſtolorum maximas portent maculas, & quod communiter ſanctiores & beatiores magis ſint maculoſi, quia *ubi abundavit peccatum ſuperabundavit & gratia*, imò habetis dicere, quòd quilibet beatus portet tot maculas in perpetuum differentes ſpecie quòt ſpeciebus peccatorum in via peccavit, quia peccaſſe quocumque peccato ineſt neceſſariè & irrevocabiliter, & tot in numero quot vicibus numeraliter peccavit. Ecce quomodo regnum Dei dedecoratis maculis, impletis abominationibus, diffamatis ſomniis, claudicis ipſum vobis, quòd gloria & omni honore coronatum vivis ex lapidibus, gemmis vernantibus, civibus ornatiſſimis diſpoſuit ædificare altiſſimus, omnis expers indecoris, omni decoris glotiâ in perpetuum corruſcans, à ſæculo non eſt auditum, in libris non eſt ſcriptum, Chriſtiano corde non eſt cogitatum, Sanctos Dei, cœli cives glorioſos, electos ante mundi conſtitutionem, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu Dei, & de quibus ſcriptum eſt: *Sine macula enim ſunt ante thronum Dei*, in perpetuum geſtare ſigna ſivè indicia in memoriam olim commiſſæ in via culpabilis pravitatis. Auguſtinus enim 22. lib. de Civit. Dei cap. 19. oſtendit, quòd omnia prava corporis (& à fortiori animæ) quæ in hac vita ſunt contracta, ſunt dedecori, & in reſurrectione non ſunt futura. Porrò, inquit, coloris ſuavitas, quanta erit, ubi juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui? Et ſi ſecundùm Apoſtolum corpus noſtrum configurabitur claritati corporis Chri-

ſti erit, vel corpus Chriſti maculoſum, vel noſtrum ibi ſine macula. Et ſi ſecundùm jura macula corporis notabilis removet hìc à miniſterio altaris, quomodo regnum Dei non excludet maculam in Beatis? Etiam ſecundùm jura, ſicut per unum membrum macula in omne corpus diffunditur ſic in omnem Eccleſiam maculam effundit, qui corpus ſuum maculat. Igitur unum maculans ſupernorum civium totam triumphantem maculat Eccleſiam.

De ſtigmatibus honoris in Beatis. CAP. II.

AUdiſtis de maculis pudoris, audite aliquid de ſtigmatibus honoris. Inveni quandoque ſcriptum Beatos geſtaturos ſtigmata vulnerum militando pro Chriſto hìc ſuſceptorum inſignia victoriæ & ſtrennuitatis. Legi in Evangelio, quòd Chriſtus poſt ejus reſurrectionis gloriam ſuis Diſcipulis oſtendit cicatrices & pedum & manuum & lateris, quæ & tribus cauſis præcipuè reſervavit in corpore, licèt incorruptibili & dotibus gloriæ prædito, ſcilicet ad corroborandam fidem Apoſtolorum, quia ſurrexerat, & ut ſemper repræſentet Patri quale genus mortis tulit pro nobis, qui eſt quidam modus intercedendi pro nobis, & ut in judicio videant perfidi in quem pupugerunt, & oſtendat omni carni ſigna victoriæ ſuæ, miles qui fortiter egit, & multis vulneribus profoſſus eſt, ſi ait illi medicus, vis ſanari ſine omni cicatrice, vel cum cicatricibus ſine omni deformitate? puto quòd in ſignum gloriæ ſuæ: & pro exemplo alios animandi ad idem reſervaverit cicatrices: his ſignis decoris, his ſtigmatibus honoris, non indiciis pudoris, cœli incolæ Dei milites ſtrenuiſſimi gloriosè fulgent in regno cœlorum. Illic Franciſcus in gloria ſtigmatum Chriſti confortatur. Illuc Sebaſtianus multa vulnerum cicatrice gloriatur. Paulus decollationis ſtigmate per collum decoratur. Quo etiam Petrus ſplendet altè gloriùs & decollatorum omnium nitet valdè numerus. Illic Laurentius ſtigmate gaudet ignis, Bartholomæus rubore fulget ſanguinis. Omnis martyr decore ſui lucet vulneris.

Quòd immeritò præ aliis ſanctis Doctoribus Bernardo attribuitur macula. CAP. III.

MIror ſatis venerande PaterBernarde, in quo merueris ſolus tu præ cæteris maculam portare, & totam pertinaciam opinionum de Conceptione in te potiùs debachari, ſomniando te geſtare vel monſtraſſe maculam, in ſignum quod maculaveris immaculatam, dicendo eam peccatum habuiſſe originale, quam in Apoſtolum Paulum, in Beatum Auguſtinum, & in alios ſanctos Doctores, & non ſanctos, in quorum ſcripturis æquè expreſsè, imò expreſſius, idem inſinuatum clarè reperitur, nunquam maculam in cœlo geſtant, & iſti quare ſimiliter maculam in viſione non monſtrarunt in revocationem hujus erroris, quod Bernardum longè minùs aſſerentem erraſſe prædicatis, ubi etiam alii Doctores ſub tali proteſtationis maturitate & diſcretione locuti ſunt in hoc peccato, ut Bernardus fecit in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, ubi poſtquam de ſanctificatione multorum in utero tractavit, ait. Cærerum quatenùs adverſùs originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſivè pro iſto ſivè pro illo Propheta, vel ſi quis alius ſimili præventus gratiâ fuerit, non facilè dixerim, ſanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus ſanctificavit cum eadem ſanctificatione prodiſſe ex utero quam acceperunt in utero. Et ſubdit. Durum eſt, minimè tamen auſim de hoc quippiam mea ſententia diffinire: igitur videtur dubitaſſe, an aliquorum ſanctificatio in utero fuerit ita perfecta, quòd prævenerit eos etiam quantùm ad originale peccatum. Et ille modus ſanctificationis in utero meritò Virgini competere deberet, cùm in omnibus gratiis ultra alios gaudeat prærogativâ. Item, Epiſtolam illam concludens, ita dicit. Quæ autem dixi, abſq; præjudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis & Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc (ſicut & cætera quæ hujuſmodi ſunt univerſa) reſervo, ipſius ſi quid aliter ſapio paratus judicio emendare. Et ut plenius oſtendat, ad quid vadit intentio ejus in illa Epiſtola ita dicit ante finem: Libenter glorioſa hoc honore carebit quo vel peccatum honorari vel falſa induci videtur ſanctitas, alioqui nulla ratione ei placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis, nam ſi ſic aliqualiter videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter

cipitanter atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Undè miramur, inquam, satis quam vitum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse novam inducere celebritatem quam ritus Ecclesiæ adhuc nescit, nec probat ratio, nec commendat antiqua traditio, nunquid Patribus doctiores ac devotiores sumus? periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus præsentiam præterivit.

Intentio Bernardi in Epistola ad Canonicos Lugdunenses de Conceptione Virginis gloriosæ. CAP. IV.

EX prædictis potest perpendi clarè, quomodo totum pondus intentionis suæ ferebatur ad arguendum levitatem & præsumptionem illorum, & ad ostendendum quod adhuc non fuit sufficienter certum nec ratione nec auctoritate, an Virgo fuerit concepta sine originali, & non ivit mens sua ad asserendum eam habuisse originale, nec prohibebat ideò festum Conceptionis celebrari, quia Mater Domini concepta fuit in peccato, ut Franciscus de Maronis sibi imponit, sed quia nondum ad hoc festum motivum habebatur sufficiens, nec ad hoc quòd Virgo concepta esset sine peccato cùm esset adhuc tanta vel major apparentia de oppositio. Et expressè nititur ibi ostendere insufficientiam motivorum quæ tunc occurebant. Quando enim arguebatur sanctus conceptus non præcessisset, nec sanctus esset partus qui honoratur, si sic dicit Beatus Bernardus, igitur eâdem ratione utrique parenti Virginis, dies festi deberent deferri, & avis & proavis ipsorum simili ratione, & sic tenderetur in infinitum festorum numerus, patriæ, inquit, est non hujus exilii frequentia hæc gaudiorum & tanta numerositas festivitatum, ei res decet non exules. Item dicit, ostendunt etiam quoddam scriptum cujusdam supernæ (ut aiunt) revelationis, ac si non quilibet possit scriptum tale confingere, in quo Virgo videatur suæ Conceptionis celebritatem mandare: imò quare non & parentum ejus juxta mandatum, *Honora patrem & matrem*, facilè est, inquit, videre talibus scriptis & persuationibus neminem debere moveri ad illa, quibus nec ratio nec auctoritas invenitur favere. Et refellens aliud motivum subjungit: Quæ etiam consequentia est, partus, vel natalis fuit sanctus, igitur conceptus præcessit sanctus, quia sanctitas in utero potuit ad natale procedere, sed rursum sanctitas natalis non potuit sanctificare Conceptionem? Et consequenter ex verbis

bis ſuis elicitur quòd vult in Conceptione Beatæ Virginis à commixtione ſeminum uſque ad ejus animationem omninò ſimiliter fuiſſe actum ſecundùm legem originalem quantùm ad inductionem fomitis in embrionem, ſicut in aliis filiabus Adam. Et tales diſpoſitiones materiales quæ ſunt fomes & concupiſcentiæ habituales radicatę in carne corrupta ex peccato primorum parentum, ad quas conſequitur culpa originalis in anima ſi eis conjungatur, ſæpè vocantur peccatum. Et ſic etiam videtur Propheta ſumpſiſſe peccatum quando dixit: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, quia in uno homine non eſt niſi una culpa originalis. Chriſtus verò nec ſubfuit unquam culpæ nec ejus corpus talibus originalis culpæ ſequelis, quæ ſunt fomes & inordinatè materiales diſpoſitiones radicatæ in carne. Et ſic ſolùm uni, ſcilicet Chriſto reſervata eſt ſancti prærogativa conceptûs, quâ omnes ſanctificaret ſolus, & omninò abſque peccato veniens purgationem faceret peccatorum, ut dicit Beatus Bernardus ibidem. Et quod non plus intenderit, poteſt etiam ex pluribus aliis dictis ejus ibidem clarè perpendi, imò ex dictis ejus convinci videtur, quòd in primo inſtanti, in quo Virgo exiſtebat in utero fuit ſanctificata, quia dixit expreſsè, ſi Joannes Baptiſta, Jeremias, David dicens: *In te confirmatus ſum ex utero*, ſanctificati ſunt in utero, quomodo fas eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſerat ad vitam, fuit ergò proculdubio, inquam, Mater Domini ante ſancta quàm nata ex utero. Poſt dicit: ſi igitur ante conceptum ſui ſanctificari potuit? Quoniam non erat, minimè, ſed nec in ipſo quidem conceptu propter peccatum quod inerat, reſtat, ut poſt conceptum in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quod ſanctificatio excluſo peccato ſanctam faceret nativitatem non tamen Conceptionem. Quæritur ergò, quare non accepit ſanctificationem tam citò ſicut erat exiſtens in utero? Si dicis, quia peccatum inerat, quæro, quare pro illa menſura magis prohibebatur à culpa ſanctificationis infuſio quàm in quacumque menſura poſteriori, in qua peccatum etiam erat magis radicatum? & nulla poterit dari ratio; igitur illa ratio Bernardi non convincit, ſed fuit una apparentia ad oſtendendum quod non fuit evidens Virginem conceptam ſine peccato. Item, tota cauſa quare Doctores & Sancti videntur ponere Virginem habuiſſe originale, eſt ut ſalvetur lex & ordinatio communis Dei de incurſu peccati originalis, igitur per nullam diviſibilem moram debebat eſſe in culpa originali, quia ſi per medietatem illius menſuræ

fuiſſet in peccato, lex iſta fuiſſet ſufficienter ſalvata, igitur & mirabile eſſet quare Deus illam communem legem & ordinationem ita rigoroſè & durè vellet teneri, quòd etiam ejus propriam matrem non vellet privilegiari contra illam, cùm non appareat opportunitas notabilis. Et cùm Deus faciliter & ex parvis motivis communem legem etiam naturalis curſûs immuter frequenter, faciendo cœlum ſtare, non permittendo corpus Virginis incinerari, & ita de multis naturalibus & ſupernaturalibus ordinationibus, in quibus contra legem ordinatam invenitur frequenter diſpenſaſſe ubi non occurrebat longè tanta congruentia & decentia, ſicut in propoſito, & maximè cum ad hoc opus redemptionis eſt utilius & magis provocaret ad Dei dilectionem honorem & gratiarum actionem. Et quis dubitat cùm iſta primò occurrant cuilibet tam expertum & circumſpectum Doctorem circa dignitatem maternitatis Dei & utilitatem humanæ redemptionis & circa modum & conditionem divinarum ordinationum hujuſmodi conſideraſſe. Igitur putandum eſt omninò quòd ſolùm ſuis perſuaſionibus reprimere & eradicare levitatem & præſumptionem conabatur illorum Canonicorum, & non aſſerere Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe. His penſatis poteſt Beatus Pater dicere, ut dixit in fine Homiliarum ſuper *Miſſus eſt*, ſi communem celando utilitatem peccavi, Apoſtolicum ſequendo præceptum, *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, & glorioſæ Virginis exemplum dubitando quomodo fiat iſtud, potens erit pia Virgo apud ſuum miſericordem filium hoc meum excuſare peccatum.

Quòd alii Sancti expreſsiùs aſſeruerint Virginem in originali conceptam. CAP. V.

AUdite nunc annè alii Sancti & Doctores expreſſius dicant Matrem Domini conceptam in originali peccato & magis abſque proteſtatione videantur ac abſolutius aſſerere. Et audite primum Apoſtolum ad Romanos hoc loquentem de introitu peccati in mundum propter primi hominis peccatum & dicentem quòd ipſi omnes peccaverunt. Et primæ ad Corinthios 6 Item Beatum Auguſtinum in de fide ad Petrum: Firmiſſimè tene, nullatenus dubites omnem hominem natum ex viro & muliere conceptum eſſe in originali. Et idem dicit in de Nuptiis & Concupiſcentia, ſcilicet quòd nullus poteſt concipi ex viro & muliere ſine peccato originali

mali. Et ſuper illud Joannis primo: *Ecce Agnus Dei*, dicit quòd ille ſolus innocens fuit. Item, libro 1. de Baptiſmo parvulorum ait: Solus Chriſtus ſine peccato natus fuit. Idem dicit de Baptiſmo libro ſecundo. Item contra Julianum. Concupiſcentia quæ eſt radix omnis mali fuit in ea ſivè in corpore Virginis quam non potuit contrahere Filius Virginis. Item, Hieronymus ſuper illud Pſalmi, *De manu canis unicam meam*: aut intellexit Chriſtus animam ſuam, quæ ſola fuit ſine peccato. Item Beatus Gregorius in commento ſuo ſuper Cantica exponens illud: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*, dicit: electus ex millibus Chriſtus eſt, qui ex totius humani generis maſſa, ſolus ſine peccato reperitur. Chriſtus verò non ſolùm ſine peccato fuit, ſed etiam peccatores ſuâ juſtitiâ & ſanguine redemit. Item, Anſelmus libro primo, Cur Deus homo, capitulo nono, Virgo ipſa, undè aſſumptus eſt Chriſtus, in iniquitatibus concepta eſt, &c. Et idem in de Conceptu Virginali capitulo 14. Item, Damaſcenus libro tertio capitulo vigeſimo ſecundo, ubi habetur ſupervenit Spiritus ſanctus purgans ipſam. Igitur invenit eam maculatam etiam uſque ad conceptionem Filii. Item, de Conſecratione diſtinct. 3. capitulo primo in apparatu: Feſtum Conceptionis non eſt celebrandum, quia concepta fuit in peccato.

Quòd non eſt aſſerendum firmiter concluſionem harum & ſimilium ſcripturarum eſſe falſam nec prædicandum Beatum Bernardum erraſſe eò quòd illis videbatur annuere ſcripturis. Cap. VI.

His attentis & ſimilibus æſtimo neminem diſcretæ & maturæ mentis debere oppoſitum concluſionum harum Scripturarum firmiter & ſecurè aſſerere & pertinaciter defendere & per conſequens non eſt arguendus Bernardus nec quiſquam de errore qui dictis Scripturis videtur annuiſſe. Undè non poſſum Franciſcum de Maronis excuſare de pertinacia & inordinato zelo, cùm reſpondendo ad auctoritatem Bernardi in Epiſtola allegata dixit: Bernardus non eſt hîc recipiendus, ſicut nec in Sermone in quo amiſſionem ſignorum virginalium per Conceptionem Verbi inſinuat, recipi ſolet, quoniam ſecundùm jura: Qui bonos ex levi ſuſpicione accuſat hunc non charitatis, ſed invidiæ ſtimulus exagitat.

Quis autem non diceret temerarium hoc judicium, quod procedit ex tam levissima æstimatione? Æquè enim faciliter potuit, eum glossare sicut negare, immò eadem glossa quâ dictas auctoritates expressiores glossavit immò ibi glossavit Anselmum in auctoritate expressissima superius allegata, dicens, quòd dictum est illud Discipuli & quod Anselmus illud dubitavit, ubi autem est dubium, dicit, ibi magis pia positio est eligenda. Et noluit advertere, quod Bernardus minùs assertivè loqueretur in illa Epistola, quàm Anselmus in auctoritatibus suis. Et omninò quæ oportunitas fuit quòd negando eum, imponeret ei fictè turpissimum errorem, cùm non esset ad propositum, nec ad colorem opinionis suæ, ut ostensum fuit capitulo 6. primæ partis. Et si Bernardus ibi non est recipiendus, igitur nec Augustinus in auctoritatibus prædictis, sicut nec in multis, quæ retractavit, & ita nec Hieronymus. Ex quo non apparet major ratio negandi Bernardum in illa materia quàm Augustinum vel Hieronymum, imò & Apostolum cum æquali expositione & faciliori sit exponibilis. Etiam si tam est execrabilis error in visione somni retractatus, quòd propter hunc Bernardus portavit maculam, igitur non plus Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Apostolus Paulus sunt recipiendi in hac materia, quàm Bernardus, quia in nullo retractato errore est quicumque Doctor recipiendus. Quid ergò nisi spiritus proteruiæ & vanæ levitatis eum movere poterat? Et mirum est, si ita commune & solitum erat tempore suo Beatum Bernardum in aliquo sermone non recipi, quando ipse solus de hoc mentionem fecit & nullus alius de hoc in scriptis memoriam reliquerit, nec sermonem in quo hoc dixit, communicavit, nec intitulavit. Igitur videtur meritò suspectus de fictione & levitatis præsumptione, præcipuè cùm dicat per Conceptionem, quoniam de hoc pœnitùs nihil reperitur in Scripturis Beati Bernardi, nec colorem habet aliquem mundi, sicut in quarta parte Epistolæ videbitur.

Ostendit prædicantes assertivè quòd Virgo habuit originale, esse reprehendendos. CAP. VII.

PEnsato deindè dicto Salvatoris: Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo & alium Paraclitum mittam vobis qui docebit vos omnem veritatem & suggeret vobis quæcumque debetis facere, supple in decursu Ecclesiæ, pro diversis temporibus & hominum variationibus.

tionibus. Sunt enim ſucceſſivè divinæ veritates explicandæ Eccleſiæ pro expedientia temporis, nec omnia pro omnibus temporibus myſteria expediebat revelari nec omnes aperiri Scripturas. Et ideò ſecundùm Jura, revelatio divina inſtruit ſpecialiter in agendis, dirigit in Scripturis, & multa ſervat uſus Eccleſiæ licèt ſcripta non inveniantur, & Deus quandoque revelat aliter quàm ſcripta Sanctorum tradiderunt, ut de Sanguinis conſecrat. Similiter penſatis quampluribus veriſimilibus motivis, congruentiis, auctoritatibus & multum convenientibus & rationabiliſſimis expoſitionibus & gloſſis omnium dictarum auctoritatum & ſimilium, reputo eſſe valdè illum reprehenſibilem, qui aſſertivè prædicat populo Virginem conceptam in peccato originali, propter ea quæ dicta ſunt in capitulo primæ partis Epiſtolæ, & maximè reprehendi debet, ſi oppoſitam exprobret opinionem, & eam cenſeat hæreticam vel eroneam.

Oſtendit modum reſpondendi ad auctoritates oppoſitas in Summa. CAP. VIII.

QUia juxta uſitatos modos loquendi, & terminos accipiendi in Scripturis humanis & divinis, & juxta conſuetos modos interpretandi plurimos paſſus Scripturarum, poſſunt rationabiliter omnes auctoritates prædictæ exponi, & convenienter concedi poteſt, Matrem Domini originale contraxiſſe, ad intentionem auctoritatum, ſcilicèt ſecundùm inferiorem radicem. Ita enim reperitur frequenter in Scripturis affirmari aliquid ſecundùm inferiorem radicem, cujus tamen oppoſitum Deus evenire diſpoſuit æternaliter. Ita hîc quia ipſa, quantùm eſt de ſe non evaſiſſet hanc maculam, & ſic quantùm in ſe fuit contraxit. Sic etiam Deus denominatur velle omnes homines ſalvos fieri, eò quòd antecedentia ſufficienter dedit reſpectu ſalutis cujuſlibet, ita & proportionabiliter in propoſito. Item, quia nullus homo ex ſe poteſt dicere veritatem, ideò Propheta univerſaliter pronunciavit: *Omnis homo mendax*, licèt non omnis homo mentiatur. Item, dicit Auguſtinus: Tanta unuſquiſque commiſit mala à quantis fuit præſervatus virtute divinâ. Igitur homo denominatur agere quòd quantùm de ſe eſt, ageret, & ita pati. Et iſto modo intelligitur auctoritas Auguſtini de fide ad Petrum, & eodem modo aliæ Bernardi & aliorum. Similiter, quòd juxta conſuetos modos

loquendi & utendi terminis, poſſit denominari purgata ab originali culpa, licèt eam non contraxerit: apparet, quia Chriſtus dicitur ſegregatus à peccatoribus, & tamen ſegregatio tam præſupponit conjunctionem, ſicut purgatio polſutionem. Item, Virgo dicitur purgata à filii generatione ſecundùm legem & tamen non fuit inquinata. Similiter in Angelis concedit Dionyſius purgationem, in quibus nulla macula eſt. Convenienter ergò & juxta communem modum loquendi hominum, poteſt dici purgata à peccato, quòd non fuiſſet niſi privilegium præceſſiſſet. Sicut etiam quilibet redemptus dicitur liberatus à damnatione quam incurriſſet, & hujuſmodi. Et ita etiam congruenter dicitur ſanctificata à ſanctitatis carentia, quæ nata erat in cauſa ſicut dicuntur Angeli purgari à tenebris, quæ ineſſet ſine tali illuminatione. Similiter communibus modis loquendi denominatur convenienter redempta non obſtante quod nunquam habuit aliquod peccatum, nam ſicut Patres antiqui virtute meriti Chriſti futuri fuerunt ab originali contracto liberati, ita Mater Dei ex ſpeciali prærogativa, virtute ejuſdem meriti ab originali debebat præſervari. Similiter poſteritas filiorum Iſraël dicitur redempta à ſervitute Ægypti, quamvis nunquam fuerit ſub illa ſervitute, imò etiam ex tali præſervatione perfectius & plenius fuit redempta omnibus quia magis liberatur à ſervitute qui prævenitur, ſic ut nunquam ſerviat quàm qui de ſervitute eripitur, quia quantò magis feſtinatur à ſervitute & ab obligatione redemptio, tantò eſt magis intenſa: igitur ſi obligationem præveniat eſt maxima dicenda. Etiam major liberatio dicitur fieri illi qui minùs ſervit, igitur maxima ei qui nunqnam. Magis igitur fuerunt liberati, in utero ſanctificati quam ex Baptiſmate purgati. Manifeſtum etiam eſt quòd diſcurrendo per concordantias bibliæ, de Omnes, omnia, &c. inveniuntur plurimæ auctoritates, quas oportet exponi ſtante communi lege vel conſueto curſu. Et ſimiliter quibus oportet univerſalitatem diverſimodè reſtringi & determinare in exponendo eas, & eo modo exponatur Apoſtolus.

Inducit apparentias & congruentias, quòd Virgo non habuit originale. CAP. IX.

SUnt etiam rationes & apparentiæ multæ pro iſta parte. Primò, quia multæ concluſiones ſunt ab Eccleſia determinatæ, ad quas non erant

ita

ita expreſſæ & tot SS. auctoritates & Scripturæ ſacræ, igitur videtur, quòd Spiritus ſanctus reſiſtat in hoc auctoritatibus illis, cùm Eccleſia ſinat feſtum illud celebrari, & ut communius illam opinionem teneri, imò ferè ab omnibus de Eccleſia tenetur, excepto Ordine uno, non obſtantibus illis ſcripturis. Item, ſicut in materiis topicis & moralibus, quædam falſa ſunt, quæ videntur probabiliora multis veris ex apparentibus in lumine naturali, ita etiam eſt in materia practica Theologica, quòd videlicèt ex ſuperficie & ſono auctoritatum Sanctorum vel Scripturarum, aliquæ falſæ concluſiones videntur habere majorem colorem veritatis aliis veris. Et hoc oritur, quia Doctores antiqui non attenderunt præciſionem & diſtrictionem ſermonis, ſed largè locuti ſunt, & magis hortatoriè, plus enim ſtuduerunt ſanctitati, quàm cautæ & præciſæ locutioni, loquentes modo communi ad pium intellectum. Item, ex naturaliter notis nullam apparentiam habet opinio prædictorum, ſed ſolùm ex auctoritatibus. Sed oppoſita opinio magnam apparentiam habet utroque modo, & ſimiliter ex apparenti & rationabili expoſitione omnium auctoritatum, igitur videtur ſimpliciter apparentior. Item, auctoritates eorum, non ſufficiunt cauſare fidem de concluſione eorum, quia aliàs eſſet articulus Fidei, & ipſi ſine formidine crederent. Item, auctoritates illæ ſunt de præpoſitionibus Scripturæ & Doctorum, quæ poſſunt veriſimiliter ſecundùm plures ſenſus licitè exponi, igitur non ligant. Item, Doctores tenent communiter infantes pœnâ ſenſûs non cruciari, & tamen auctoritas Auguſtini in de fide ad Petrum expreſsè dicit oppoſitum, & ita etiam eſt in multis quæ communiter tenentur, quibus tamen expreſsè obviant auctoritates Auctorum & Scripturæ, quæ etiam minùs aptè quandoque exponuntur quàm in propoſito, igitur apparentia auctoritatum non debet multum obſtare. Item, iſta propoſitio: iſtæ auctoritates ſunt in tali ſenſu ſumendæ non habet apparentiam ex auctoritatibus, ſed ſolùm ex rationibus & conjecturationibus minoris credibilitatis longè quam appoſita opinio: igitur eorum opinio ſimpliciter eſt minùs evidens. Item, nulla eorum auctoritas eſt, quin ſine incurſu hæreſis, poſſet licitè ad ſenſum alium exponi. Item, partem iſtam tenuerunt diu boni & devoti, & mortui ſunt in ea, & videtur miraculis confirmata, ut appareret in Legenda. Item, arguitur argumento Gamaliëlis in actibus Apoſtolorum, dicentis: Sinite, ſi ex Deo eſt, non poteritis reſiſtere, ſin autem per ſe peribit, quia nullum violentum diu durat. Sed modò iſta opinio continuè invaleſcit & fortificatur & continuè plures adhærent ei & firmi-

mitu

mius radicatur in Christianis; igitur à Deo videtur negotium esse. Item, communis usus legis Christianorum habet personas egregias eximere à lege communi propter excellentiam earum. Et quia Virgo Mater Domini excellentissima exprimitur in Scripturis, igitur excellentissimè privilegiata intelligitur. Item, incõparabiliter inferiores eâ leguntur sanctificati in utero eo modo quo opposita opinio dicit eam sanctificatam, igitur nobiliori modo credenda est ipsa sanctificata esse in utero. Dicunt, ostendatur privilegium, respondetur quòd multa facta sunt circa Christum, Apostolos & Matrem ejus, quæ non sunt scripta in libro hoc, ut dicit Scriptura. Item, dicere eam omnium excellentissimam est dicere eam privilegiatissimam, imò propter nimiam excellentiam Virginis Scriptura supponit talia sibi debere; propter hoc etiam non est certificandum ex Scripturis de ejus corpore, an assumptum sit in cœlum, quia propter excellentiam personæ & status maternitatis Dei non potest fideli benè confideranti circa hoc esse dubium, & ita est in proposito. Et ita etiam est in multis aliisque præcellentiis, quas attribuimus Virgini, ad quas non habemus magnam apparentiam ex Scripturis. Item, posterioribus Doctoribus multæ veritates reservatæ sunt, quâs non attigerunt determinativè priores, sicut fuerunt sanctis Doctoribus respectu Apostolorum. Si dicant, Augustinus dicit in de Civitate Dei, quia quod in Romanis amor & affectio præcessit fidem, ideò suspecta credulitas fuit, quia amor præceps est & nescit modum. Sed in lege Christi fides præcessit amorem. Igitur ex quo credulitas de Conceptione apud vulgus oriatur ex amore & affectione ad Virginem, non suspecta videtur, sed ita dicemus quòd omnia dicta in commendationem sunt suspecta de sancto Dominico & de sancto Thoma in eorum canonizatione & Legenda.

Apponit auctoritas ad idem. CAP. X.

SUnt etiam auctoritates pro ista parte & primò Augustin. lib. de Natura & Gratia circa medium, ubi dicit: Excepta S. Virgine MARIA de qua propter honorem Domini nullam prorsùs cùm de peccatis agitur habere volo quæstionem. Inde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum quòd concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hâc igitur Virgine exceptâ si omnes illos Sanctos & Sanctas cùm hîc viverent congregare

posse-

poſſemus & interrogare utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? utrùm hoc quod iſte dicit, an quod Joannes Apoſtolus, rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis. Si hoc interrogari potuiſſent unâ voce clamaſſent. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* In quo videtur innuere quòd ipſa nulli peccato ſubjacuerit. Item, Sanctus Thomas ſuper primum quærens, Si Deus poſſit res meliores facere; Reſpondendo ad auctoritatem Anſelmi, dicit expreſsè quòd Virgo nunquam fuit maculata originali nec actuali. Item, Anſelmus ſpecialem librum fecit de hoc, in quo aſſerit & determinat eam non fuiſſe conceptam in originali. Idem ex intentione probat Richardus de S. Victore in uno Sermone de Conceptione. Item, Anſelmus in de Conceptu Virginali, cap. 18. ubi ait: Decebat ut illius hominis conceptio de materia puriſſima fieret; nempè decens erat, ut eâ puritate quâ major ſub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret. Ad idem eſt Lynconienſis, ut dicitur. Et idem poſuit Alexander Neckam exponens illud Cantieorum: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, ſcilicèt, nec actualis nec originalis. Item, Hieronymus in Sermone de Aſſumptione. Cæteris per partes præſtatur gratia, MARIÆ verò ſe totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Chriſto, quamquam aliter & aliter. Igitur etiam habuit gratiam præſervationis ab originali, licèt aliter quàm Chriſtus. Idem, nihil eſt gratiæ, nihil candoris, quòd non reſplendeat in glorioſa. Modò non habuiſſe originale, eſt reſplendentia gratiæ. Igitur & Ildephonſus Toletanus Epiſcopus clarè hoc determinat, ut allegat Vincentius lib. 7. cap 65. vide ibi. Si dicatur; iſti Doctores ſunt modicæ auctoritatis & parvi reſpectu eorum, qui videntur oppoſitum dicere. Eſto quod ſic: Reſpondetur quòd Deus conſuevit frequenter parvulis revelare quæ noluit auctenticioribus. Similiter iſti ſunt poſteriores Doctores antiquis & videntur etiam eis plures veritates reſervatæ, quas præterierunt Doctores antiqui vacantes ſerioſius circa alia, quia non ordinavit Deus ſic, quòd ſoli antiqui Doctores certificarent Eccleſiam de omnibus nihil reſervando poſterioribus & modernis diſcutiendum.

Ad quam duarum opinionum esset potiùs declinandum. CAP. XI.

ISTis tribus viis colligendo apparentias, patet clarè quòd opinio de non conceptione in originali potest ita sanè teneri sicut opposita, quia omnis conclusio non repugnans Articulis Fidei nec determinationibus Ecclesiæ, nec humanæ scientiæ stans cum sacris & authenticis Scripturis verisimiliter & rationabiliter expositis & glossatis sanè sine impinctione hæresis sustineri potest. Modo quâcumque datâ ipsa exponi potest rationabiliter & eo modo quo consimiliter solent plurimæ auctoritates Scripturæ. Item omnes Sancti Doctores fundati sunt super Apostolum, igitur sicut Apostolus intelligit, ita & ipsi, quia secundùm sensum antecedentis debet esse sensus consequentis. Modò nullus Sanctus Doctor legitur unquam determinasse dictum Apostoli non debere sic exponi, sicut exposuerunt rationabiliter juxta præmissa in capit. 8. tenentes Virginem non contraxisse originale. Et singulis pensatis utrobique satis favorabilius & verisimilius videtur gloriosam Matrem Dei nunquam in mortali peccato & filiam iræ fuisse & damnationis, quàm quòd sic. Augustinus enim videtur dicere quòd quilibet adultus actualiter peccavit qui originale habuit. Item, in dubiis, si contingit declinare ad unam, potiùs ad partem magis piam & utilem declinandum est, modo ista pars opinionis est longè majoris devotionis occasio & divini honoris, & error esset longè excusabilior qui ex amoris magnitudine oritur. Et ergò dicit quidam Doctor, si debeam hîc deficere, cùm non sim certus de altera parte, magis volo deficere per superabundantiam dando sibi aliquam prærogativam, quàm per defectum diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam excellentiam quam habuit, quia secundùm Aristotelem: prodigus est minùs malus quàm parcus.

Ostendit festum Conceptionis solemnissimè celebrandum, sivè concepta fuerit in originali, sivè non. CAP. XII.

COlligitur tamen ex prædictis quòd hîc nulla pars prædicationis est assertivè colligenda, prædicanda populo, nec à quoquam firmiter

ter aſſerenda & oppoſita exprobranda, ſed utraque potiùs tamquam problema, neutra eſt abſolutè habenda uſque ad determinationem Eccleſiæ. Ideò prædicari debet, quòd veritas neſcitur adhuc ab Eccleſia, & quòd ſivè fuerit concepta in originali, ſivè non in nullo impedit feſtivitatem de Conceptione, quia ſi eſſet concepta ſine originali, adhuc illa feſtivitas non celebraretur ſub reſpectu amplexûs Annæ & Joachimi nec ſub reſpectu formationis ipſius embrionis in utero cùm in iſtis fuerit actum reſpectu Virginis, ſicut in aliis communiter fit, ut innuit Bernardus ibi ſupra. Sed celebranda ſub reſpectu ad primam miraculoſam ſanctificationem Virginis in utero ſcilicet in primo inſtanti ſui eſſe, vel ſi fuit in illo inſtanti in culpa originali celebrari debet ſub reſpectu ad ſanctificationem immediatè poſt, quia poſſibile erat, quòd per nullum tempus maneret in culpa, ſed per ſolum primum inſtans ſui eſſe, quia primũ inſtans potuit eſſe ultimum inſtans non eſſe gratiæ ſubitò vel ſucceſſivè infundendæ. Igitur ex quo lex communis detractione peccati originalis ſufficienter ſalvaretur in Matre Domini per hoc quod ſolùm per inſtans ſubfuerit illi legi, nulla ratioeſt, quin Virgo debebat quantùm ad ſanctificationem in utero in hoc privilegiari præ aliis ſanctificatis in utero. Quòd autem rationabiliter ſolemnis feſtivitas de hoc ſit habenda patet, quia ibi fuit primordialis divinæ gratiæ miraculoſus fluxus pro reformatione humani generis & prima inchoatio noſtræ redemptionis & aurora diei gratiæ, ideò meritò ob hujus contemplationem conſurgere debet Eccleſia, & exultare de hac prima reſplendentia tẽporis gratiæ. Offert etiam illa ſolemnitas materiam multiplicis devotionis, humilitatis & gratiarum actionis, quin ſcilicet occaſione illius prædicatur vel conſideratur humanæ conditionis univerſalis utilitas in conceptione cum peccatis & miſeriis, quam Virgo ſola evaſit de ex propagatione natis, & quin advertimus, ſi poſuerimus eam originale habuiſſe, quòd Deus à tam rigoroſa & duriſſima lege damnationis nos mirabiliter liberare dignatus eſt, reſpectu cujus etiam propriam matrem noluit prævenire, & quin contemplamur divinam permaximam dignationem & miſericordiam in hoc quod peccatores etiam juſtificat in utero ſine quibuſcumque meritis præcedentibus, ſed ex ſua mera liberalitate, oſtendens per hoc quòd omnis juſtificatio & gratiæ largitio eſt merè gratis data liberaliſſimâ ejus prævention e, ut ſic excitemur Deo de omnibus gratias agere? Ecce quantæ devotionis materiam & quàm optimas & ſaluberrimas contemplationes affert fidelibus celebritas hujus ſolemnita-

tis, ideò meritò ab Ecclesia est instituenda.. Nec obstare debet, si dies sanctificationis ignoretur præcisus, quia etiam non est cura si dies Nativitatis Virginis vel Assumptionis & hujusmodi non habeantur. Sufficit enim habere septimanam vel mensem, non est enim cura in talibus de temporis præcisione, sed de devotionis excitatione, & excitationis occasione & de divinæ gratiæ regratiatoria exultatione.

QUARTA PARS EPISTOLÆ

Ostendens Beatum Bernardum non insinuasse amissionem signorum Virginalium in Matre Domini.

CAPUT I.

NUnc vos interrogo Maronitæ, declarate qui virginitatis signis seu signaculis garrulatis frivolè devotissimum Bernardum intactam & immac. privasse MARIAM Virginem ante partum, in partu, vel post partum. Si genarum decore, si labiorum purpureo colore, si faciei albore sanguineo, si uberum nodo virgineo, si defectu lactis pro fomento, si ventris parvitate & corporis gracilitate, & si quæ sunt similia, quibus ablatis vel potiùs suspensis ad tempus integritas non læderetur virginalis, ut in ipsa probaretur veritas Matris, & in Dei Filio ostenderetur realitas humanitatis hæreticè sentitis dicentes non esse credendum docenti in Virgine hujusmodi fuisse incorrupta Virginitatis signacula. Malè cantastis cum Ecclesia. Alvus tumescit Virginis & similia, & undè justus Joseph arguebat quòd Virgo erat in utero habens Angelus dixit ipsi Joseph: *Fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Igitur ipse timuit antequam esset gravida modo communi de viro aliquo, igitur corporalibus signis communiter apparentibus impregnatis cognovit eam esse gravidam. Item, fuit desponsata viro, ut dum communia signa in ea apparerent de fornicatione non haberetur suspecta, undè Bernardus, dic quæso quis enim videns non desponsatam & gravidam non potiùs diceret meretricem quàm Virginem? Non autem decebat dici hoc de Matre Domini. Tolerabilius ergò atque honestius fuit putari ad tempus

Christum

Chriſtum de conjugio fuiſſe natum, quàm de fornicatione. Nunquid videtis quòd Virginem non caruiſſe talibus ſignis virginitatis, eſt eam virginitatis honorem longè majorem non habuiſſe, pura filii Dei gloriam maternitatis? ergò qui prædicaretis hoc docenti non eſſe credendum Dei Filium de Virgine verè eſſe natum & verè eſſe mulieris Filium, hæreticantes negaretis. Oro de his ſignis non intelligite, ſed credite Evangelio, quia væ diſſolutis corde qui non credunt Deo, judicabuntur omnes qui non credunt hanc veritatem.

De moralibus Virginitatis ſignaculis. CAP. II.

FOrtè ſentitis moralia virginitatis ſignacula Virgini amoviſſe Bernardum, qui Virgini verecundiam, ſimplicitatem, geſtuum gratitudinem, fœmineæ pietatis dulcedinem & minimas conditiones (quæ virgineæ puritatis ſunt moris ſignacula) ipſam Virginem præ omnibus Doctoribus glorioſiſſimè inſignivit, & omni decoris ſpecie & moralis decentiæ floſculo Matrem Domini excellentiſſimè characterizavit, undè Bernardus in Sermone de Epiphania exponens illud: *Invenerunt puerum & MARIAM Matrem ejus*, inquit, Chriſtus puer apparet cum Virgine Matre, ut ſimplicitatem & verecundiam ante omnia nobis quærenda eſſe doceat. Nempe & pueris ſimplicitas naturalis, & cognata Virginibus verecundia eſt. Ecce clarè confitetur in ea hujuſmodi ſigna virginalia, & ipſam verè Virginem poſt partum fuiſſe. Ex quo etiam ſequitur quòd ſemper ante partum fuerit Virgo hujuſmodi etiam morum ſignacula virginalis pudicitiæ excellentiſſimè Matri Domini attribuit in Homeliis ſuper *Miſſus eſt*. Et aliis in ſuis libris per totum.

De ſignaculis pulchritudinis virgineæ phiſonomiæ corporalis.

CReditiſnè Bernardum corporalis diſpoſitionis Virgineæ indiciis Virginem privaſſe, cui ſcivit & dixit ſupernum naturæ artificem omnis gratiæ infudiſſe plenitudinem, quâ exteriùs redundante longè plus Moyſe facies coruſcavit ejus, ſcilicèt, Virginis glorioſæ illum caſtiſſimis viſceribus amplexantis ac materno fomento nutrientis in utero, à cu-

jus solâ visione & allocutione facies Moysi abiit fulgida & radiis cornuta? Et cui consequenter rerũ magistra mortalium natura, quicquid decoris virginitatis quæ glorioſis de signaculis fœminei corporis effigies capere potuit, totam artem exhauriens, sic excellenter, sic redundantur sibi donavit, quòd nedum his in suæ virginitatis gloriam radiaret, quinimò sui vultûs Angelici solo aspectu omnem petulantiæ ardorem contemplantium se extingueret, & in castitatis vota efficaciter provocaret. Nempè si solo visu basiliscus interficit hominem, & fœmina muliebria patiens inficit speculum ratione internæ infectionis squalidæ, Quid mirum si solus aspectus fœmineæ virginitatis, quam omnis plenitudo puritatis naturæ & gratiæ interiùs possidet & exteriùs mirè effluit, omnem concupiscentiæ motum & cogitationem puritati Virgineæ repugnantem etiam solo aspectu efficaciter refrænaret? Et nunquid vultis dicere in risum & cachynnum, quòd Bernardus barbam appoſuerit Virgini & sexu privaverit eam muliebri, & in hoc ejus virginitati derogaverit, quod signaculum posuit pulchritudinis in deliciis paradisi, speculum Angelis, in quo virginitatis glorioſæ fulgent sigilla, clamant indicia, exultant claustra virginalia, signa tripudiant, encœnia ludunt pulchritudinis virginalis? Undè Bernardus Homilia 2. circa principium: His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque pariter corporis ac mentis decore præfulgida, specie suâ & pulchritudine suâ in cœlestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut Regis cœlestis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuntium ad se de superis educeret. Quis igitur Rex Regum, & Dominus Dominantium, & non concupivit speciem talis Virginis? Cujus Regis tam glorioſus Filius ad liberandum susceptur us hominem qui talis Virginis horruisset uterum? Nunquid hoc inferte volunt quòd hujus Virginis vultus & tota phisonomialis effigies omni morali relucentia & decentia erat pulcherrima, inclinans ad omnem virtuum honestatem morum compositionem & laudabilem positionem, alias enim Virgo illa non videtur habuisse omni modo gratiæ plenitudinem, nisi in ea etiam fuisset omnis gratiositatis corporalis phisonomiæ nitor fœmineo possibilis sexui. Undè gratior est pulchro veniens in corpore virtus. Et cùm filius potuit suæ matri ex parte illa omnem gratiositatem & pulchritudinem conferre, & hoc erat expediens & decens, cùm debebat esse pulchritudinis signaculum & omnis decentiæ speculum, meritò eam etiam exterioris phisonomiæ optimâ relucentiâ sic insignivit, ut omnis morum decor, & fœminei corporis

poris pulchritudo in ea præfulgeret, & ratione objectalis influxus etiam ſolius phiſonomiæ ejus humanas mentes vehementiſſimè ad ſpiritualia raperet, omnes inordinatas paſſiones reprimendo. Iterùm quomodo non eſſet pulcherrima illa Virgo, quæ totius pulchritudinis peperit filium? De cujus pulchritudine Bernardus tertiâ Homiliâ. Audiſti de ſapore fructûs virginalis: audi & de ſpecie. Si enim ille fructus mortis non ſolùm ſuavis fuit ad veſcendum, ſed etiam (teſte ſcriptura) delectabilis aſpectu, quantò magis vitalis fructûs vivificum decorem debemus inquirere, in quem (teſte alia Scriptura) deſiderant etiam Angeli proſpicere, cujus pulchritudinem in ſpiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion ſpecies decoris ejus.* Et in Pſalm. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Quomodo talis filius, cùm potuit, omnis pulchritudinis matrem ſibi non fabricaverit & elegerit? Item, oportunitas poſtulat, omnis pulchritudinis decentiam in Virgine & ejus filio fuiſſe ut corporali effigie optimè paſſionarent intuentes, ſcilicèt ad pietatem, miſericordiam, humilitatem, caſtitatem, &c. ad quæ provocandum in hominibus Dei Filius cum Matre Virgine venit in mundum ipſomet dicente. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Igitur pleniſſimè hujuſmodi debebant in eis relucere ad extra, ſcilicèt geſtu, phiſonomiæ habitu, ut eſſent exemplar perfectum & norma vitæ, & omnium virtutum ſpeculum. Etiam ſecundùm Philoſophum, natura phiſonomizat corpora præſidentium ſpeciali elegantiâ, ut in eis reluceant in aſpectu gratioſitas, terror, ſtupor & hujuſmodi paſſiones utiles dominanti reſpectu ſubditorum. Igitur cùm Chriſtus debuit eſſe Rex virtutum & ejus glorioſa Mater Regina mundi, congruum erat ut omnium artifex eorum corporales effigies ad hoc decentiſſimè effigiaret, tam pro ſtatu viæ quàm pro ſtatu patriæ: ulterius inferrent hi necdum Virginem in primo inſtante ſui in utero ſanctificatam fuiſſe, quinimò etiam artem naturæ à principio conceptionis tam venuſtiſſimi virginei corporis miraculosè & ſupernaturaliter directam fuiſſe in convenientiſſimam & decentiſſimam fœminei ſexûs effigiem complexionem, quantitatem, qualitatem & totalem imaginem & ſi eſt quòd totalirer miraculosè divina gratia ſemper ſpecialiter præſens fuit futuræ Dei Matri, etiam in ejus corporis in utero formatione quomodo diceretur, animam ejus in primo inſtanti animationis maculam contraxiſſe originalem? Nunquid Deus magis ſollicitatur ornare corpora quàm animas?

De Signis virginalis integritatis essentialibus & quòd Bernardus illa MARIÆ inesse clarissimè docuit.

CAP. IV.

SI verò de signis intelligitis, quibus cessantibus virginalis integritatis deperditur gloria, quæso pœnitemini & obmutescite nefas hoc de sanctissimo cogitare Doctore, supplicate veniam, suscipite correctionem, si fortè convertatur furor ejus & benignè vos ad veritatem reducens se illius oppositum semper & corde sensisse & in scripto reliquisse clarissimè demonstret vobis, afferendo in medium suæ doctrinæ libros & ante omnia Epistolam ad Canonicos Lugdunenses, in qua, quod irreverenter negaretis & impugnaretis sumpsistis, & oppositum frivolè vestræ negationis respicere neglexistis. Nam ibi ita scribitur: Dico peperisse Virginem non tamen partem à Virgine, alioquin ubi erat prærogativa Matris Domini, quâ singulariter creditur exultare & munere prolis, & integritate carnis? Et ibidem, Virgo regia falso non eget honore veris emulata honoris titulis & insulis dignitatum, honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem, mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare divinam, extolle virum nescientem & concupiscentiam & in parturiendo dolorem, hæc, inquit, mihi de illa canit Ecclesia & me eadem docuit decantare, Quomodo ergò protervi dicitis, eum sensisse quòd Virgo in concipiendo perdiderit signa virginitatis vel concipiendo ex viro vel experiendo in se sola libidinis concupiscetiam, cùm clarissimè utriusque oppositum asserat. Apparet hîc levitas & vestræ vanæ gloriæ ventus quo vos agitante talia sine causa dicitis, & ponderare Sanctorum doctrinas negligitis. Audite quid dicat in ultimo sermone de Vigilia nativitatis: Fratres, inquit, generationem istam quis enarrabit? Angelus nunciat, virtus obumbrat Altissimi, supervenit Spiritus sanctus, Virgo credit, fide concipit, parturit Virgo, manet Virgo. Quis non miretur non dicit, libidine concipit? & in Prologo secundæ Homeliæ super: *Missus est.* Deus siquidem quem MARIA peperit Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloriâ singulari in terris prævenire curavit & gratiâ, quâ, videlicet, intacta conciperet & pareret incorrupta porrò Deum hujusmodi decebat nativitatis quâ non nisi de Virgine nasceretur, talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum, & secun-

da

da Homilia ſuper *Miſſus eſt*, exponens illud Iſaiæ: *Egredietur Virga de radice Ieſſe.* In hoc, inquit, Iſaiæ teſtimonio florem Filium, Virgam intelligę Matrem, quæ & floruit abſque gramine, nec Virgo concepit ex homine, nec virgam floris læſit emiſſio, nec Virginis pudorem ſacri partûs editio. Item, *miſſus eſt*, ait, *Gabriël à Deo ad Virginem diſponſatam viro*, quare deſponſata, cùm eſſet, inquam, Virgo electa, & ut oſtenſum eſt, inquit, Virgo conceptura, Virgo paritura? Mirum cur deſponſata fuit non nuptura, &c. Et in fine Homiliæ 3. Chriſti Mater aptiſſimè ſyderi comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit Filium, nec ſideris radius ſuam minuit claritatem nec Virginis Filius ſuam integritatem. Item, Homilia 3. Nec fefellit, inquit, intentio quin & Chriſtum ſibi Filium vendicavit, nec propoſita pudicitiæ violavit. benè igitur gratiâ plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & inſuper fœcunditatis gloriam acquiſivit. Et infra: Filius tecum qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & ſibi referat genitale ſecretum & tibi ſervat virginale ſignaculum. Item, in quinto Sermone Vigiliæ Nativitatis Domini, cui, inquit, poterit aſper aut durus videri, qui nec ipſi Matri in nativitate quicquam aſperitatis aut læſionis intulit? Et infra. Non ſolùm ſine pudore conceptus & partus ſine dolore, ſed & Mater ſine corruptione. O verè novitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inviolata permanſi? Ecce præclariſſima teſtimonia, quòd Beatus Bernardus nec in Conceptione nec in partu ſenſerit Chriſti Matrem ſigna amiſiſſe virginalia. O filii individiæ, genus nequam, vanè glorioſum, numerate vices, quotate paſſus, ſi poteſtis, & quoties vocet Dei Matrem Virginem in univerſis libris ejus, toties rubore confundamini. Et ſi in unica illa Epiſtola allegata novies nominet Chriſti Matrem Virginem, nunquid infinities in univerſis libris devotiſſimi Patris verecundiam & confuſionem patiemini?

Removet ex prædictis falſam de Bernardo cogitationem unam. CAP. V.

NUnc claret ubique quàm impiiſſimè cogitetur ſanctum Patrem & Doctorem cum Helvidio hæreticaſſe ejuſque rationibus & monitis coactum glorioſæ Matris Domini virginitatis negaſſe gloriam. Sed quam facilè fuit reſpondere ſibi, cùm hæreticus ille arguebat, *Ioſeph non cog-*

noscebat eam ; donec peperit : igitur post partum cognovit eam, quòd hoc non sequitur, quia ly *donec* sumitur ibi negativè solùm pro semper. Et cùm etiam arguebat; Christus dicitur primogenitus Filius Mariæ, igitur hoc est respectu aliorum posteà genitorum, quod non sequitur, quia Christus dicitur primogenitus, non quia alii fuerunt post eum, sed quia nullum peperit ante eum, & iterùm cùm dicit: Joannis secundo legitur Christum fratres habuisse, igitur Mater ejus peperit plures filios; quod similiter non sequitur, quia in Evangelio Fratres Christi nominantur cognati ejus germani, sicut Abraham & Loth nepos ejus dicuntur fratres. Et quomodo ponderosus Doctor & expertus in Scripturis his tam irrationabilibus rationibus moveretur & non potiùs ex Scripturis & rationibus, quibus oppositum convincitur? Quòd enim Maria & Joseph virginitatem voverint innuunt Scripturæ & probat ratio, quoniam cùm Christus nulli in passione Matrem suam servandam tradiderit, nisi Virgini, non est verisimile quòd ante conceptum dum adhuc juvencula esset, traderetur alicui nisi voto & facto Virgini custodienda. Item, si Virgo non habuisset speciale votum perpetuæ virginitatis stultè respondisset Angelo dicenti : *Ecce concipies in utero, quomodo fiet istud*, & ergò sic respondendo voluit scire, si cum hoc Virgo maneret sicut voverat, & Angelus respondendo certificavit eam quòd sic, dicens: *Spiritus sanctus, &c.* Quàm etiam Virgo beata fuisset ingratissima si tanto & tali filio non fuisset contenta. Et quam Joseph quia dicitur sanctus & justus verè sceleratissimus fuisset, si templum Spiritûs sancti & speciale habitaculum Dei violare ac poluere præsumpsisset. Item, Mater Domini erat sanctior post partum, igitur à fortiori competebat ei status perfectior & spiritualior, & ille est virginitatis: igitur & quòd concipiendo mansit Virgo, apparet, quia Angelus dixit ad Joseph timentem, quòd esset corrupta, ex quo scivit se non cognovisse eam : *Non timeas, quia quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Quomodo ergo his & consimilibus incomparabiliter motivis potioribus non fuisset Sanctus Pater motus in contrarium illius hæresis?

Removet aliam de ipſo cogitationem frivolam.
CAP. VI.

FOrſitan cogitaſtis Beatum Bernardum hunc in errorem prolapſum tali ratione philoſophica: Chriſtus verum corpus humanum habuit, igitur de ventre egredi non potuit ſine ruptura illius pelliculæ, quæ ſigillum vocatur virginale, quinimò aliàs duo corpora fuiſſent in eodem loco, cujus oppoſitum omnis clamat Philoſophia. Sed quomodo hâc ratione motus fuiſſet qui philoſophiæ jugo collum numquam ſubmiſit, ſed eo amoto divinis innixus Scripturis in altiora pœnetravit, Chriſtum legens ingreſſum ad diſcipulos clauſis januis & de clauſo exiſſe ſepulchro & horum ſimilia. Fortè impiè cogitatis eum in prædictum cecidiſſe errorem ex eò quòd Lucas dixit: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur.* Igitur Chriſtus naſcens illas partes aperuit, igitur Virgo eum non peperit. Fuerunt hinc qui dicebant Chriſtum non habuiſſe verum corpus humanum. Alii quòd per viam uteri non fuerit natus Chriſtus, quæ omnia ſunt figmenta, dicit Papa Benedictus XII. lib. 1. ſuper Matthæum ſuper illo. *Et paries Filium.* Ideoque verum corpus habuit Chriſtus, & per eandem viam quâ alii de ventre egrediuntur, natus fuit Chriſtus, teſtante Damaſceno lib. 4. cap. 6. quemadmodum, inquit, Chriſtus conceptus Virginem concipientem conſervavit, ita partus ejus virginitatem cuſtodivit inviolatam ſolùm pertranſiens per eam clauſam ſervans ipſam per auditum quidem Conceptio, Nativitas verò per conſuetum eorum, qui naſcuntur, exitum. Et ſi quidam fabulentur per coſtam partum eſſe Dei Genitricis, etiam non impoſſibile ſibi erat & clauſam portam potiùs pertranſiſſe & ejus non lædere ſignacula, qui per portam clauſam intravit ad diſcipulos, & idem habetur in Epiſtola Conſilii Epheſini, ubi dicitur: Ipſe conditor ſæculorum Patri coæternus & univerſitatis conditor juxta ſubſtantiam ſibimet uniens humanam naturam nativitatem ſuſtinuit ex vulva corporea. Ex his conſequens eſt, quòd quia ſic egreſſus de utero fuit Chriſtus, & Mater pariendo nihilominùs extitit Virgo, quòd in illo partu duo corpora fuerunt in eodem loco, ſcilicet corpus Chriſti & partes illæ Virginis quæ ſigillum

appellantur virginitatis quòd in Christiana Fide veritatis concedendum, omne id autem, quod dicit Lucas, quòmodo creditis illuminatissimum Doctorem Beatum Bernardum nescivisse quòd ibi loquitur Evangelista? Communi modo quo alii primogeniti nascuntur, & quod ad intentionem legis Moysi, illa apertio nihil aliud est nisi concipere & parere prolem, sicut è contra conclusio talium partium, de qua multipliciter habetur in Scriptura, ut Genesis 2. & primi Regum 1. capitulo, nihil aliud est, nisi non posse concipere vel concepram non posse parere prolem. Et quòd illæ partes realiter aperirentur lex non intendebat, vel quòd Lucas nihil aliud intendebat innuere, nisi quòd Christus per illas partes, per quas alii fœtus, egressus sit, & dici aperire solùm quia eas transivit, non quia rupit, vel quia distenderit claustra virginalis pudoris frangendo, ex qua siquidem distensione in parturientibus modo communi dolor oritur, cujus omninò expers erat partus virginalis: undè Bernardus super Missus est. Homilià 3. Concipies, scilicèt sine peccato, gravida eris, sed non gravata, paries, sed non cum tristitia, nescies virum & gignes Filium. Quis ergo nisi omninò cerebrosus diceret potiùs his & similibus motivis frivolis & nullius coloris ponderosum & circumspectissimum sanctum Doctorem motum fuisse in tam execrabilem errorem quàm in oppositam veritatem & præclarissimis in quatuor Sanctorum Doctorum scripturis tam notoriè proclamatis, & ex Evangelicis & Apostolicis Scripturis, hanc Catholicæ Ecclesiæ veritatem manifestissimè protestantibus, & ex totius Ecclesiæ auctoritate, quæ Christi Matrem ante partum, in partu, & post partum inviolatam fuisse Virginem & permansisse in perpetuum in Hymnis & Canticis resonet altisonè, & Decretis & Conciliis approbat, & quòd insuper veteris Testamenti apertissimis figuris, prophetiis hanc veritatem mirâ consonantiâ insinuantibus, ut pulcherrimè deducit ipsemet devotissimus Doctor Bernardus super Missus est, Homiliâ 2. coloratissimè illi veritati applicat?

Removet aliam. CAP. VII.

FOrsitan scio quid cogitatis, vultis dicere quòd Bernardus contradixerit sibi in uno libro scribendo Virginem virginalia perdidisse sigilla & posteà in alio oppositum. Sed quæso hoc quomodo cùm à puero in alphabeto habuerit & cordi impresserit, quia *conceptus est de Spiritu san-*

cto,

do, natus ex MARIA Virgine. Et in Litania cantaverit: Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis. Et auribus ejus, ſicut & omnium ſcholarium à pueritia inſonuerit poſt partum Virgo immaculata permanſiſti, & hujuſmodi. Nunquid ille aſſerendi habitus à puero hæreditatus faciliter evelli potuit & non ex motivis violentiſſimis, ſicut experimur in nobis? maxima eſt hæc inſania: ſi priuſquam ſcriberet ſuper Miſſus eſt, fuit aliquando oppoſitæ opinionis, quomodo taceret de motivis, quæ quandoque eum cogerunt ad talem hæreſim contra aſſenſum à puero inductum? Quomodo eſſet oblitus tantæ mutationis ejus de non hæreſi in hæreſim, & iterùm de illa in priſtinam veritatem? Quomodo tam eum cogentia motiva non ſolviſſet, nec de ipſis mentionem feciſſet? Et quomodo opinionem ejus ſecundam laborioſè probare niſus non fuiſſet, ſi quandoque appoſitæ fuiſſet opinionis? Audite ipſummet loquentem in Prologo ſuper Miſſus eſt. Libet, inquit, id tentare potiſſimùm aggredi quod ſæpè animum pulſavit loqui, videlicet aliquid in laudibus Virginis Matris, igitur ante intendebat laudare Matrem Virginem non violatam mulierem; & propter eandem fatuiſſimum eſt fingere quòd poſtquam fecit ſuper Miſſus eſt, in prædictam lapſus fuerit hæreſim.

Removet aliam objectionem.

ADhuc aliquid reſtat, vultis dicere quòd Bernardus credidit Virginem in partu vel in conceptione fuiſſe corruptam & Deum poſteà ipſius reparaſſe virginitatem audiens Verbum Angeli: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, ac ſi oculatiſſimus Doctor ignoraſſet commune id philoſophicum, ſolo enim ipſo & Deus privatur ingenita facere, quæ utique ſunt facta; ſexto Æthicorum 2. capitulo, & ac ſi ignoraſſet præteritum non poſſe revocari quòd naturaliter in mentem venit nedum Philoſophorum, ſed communium hominum ratione fruentium, quòd omnes Sancti Doctores, Philoſophi & Poëtæ in ſuis docuerunt libris; undè Hieronymus ad Euſtochium: Audenter loquor cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare Virginem non poteſt poſt ruinam.

Excludit aliam objectionem. CAP. VIII.

SEd nondum exinanita est fex pravitatis vestræ, quia fortè allegatis quemdam Sermonem, nescio si Bernardi, qui incipit: Si linguis hominem loquar & Angelorum: ubi de partu Virginis ita habetur. Nihil quippè ibi doloris, nihil clamoris erat, nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultimo repetebat. Neque enim Christus erat in peccato conceptus, cujus solius est donare peccatum, ideòque egrediente Christo nullum exigens tormenti vectigal ultro januas natura reserabat. Istud primò non est ad propositum vestrum, quia fingitis Bernardum insinuasse amissionem signorum Virginalium per Conceptionem Verbi, non per partum. Etiam Sermonem istum non esse Bernardi potest fortè ex modo dictandi satis perpendi. Et si suus sit, exponendus est hîc Beatus Bernardus in illo quòd dicit super Missus est, Homiliâ tertiâ: Filius tecum qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum & tibi servat virginale signaculum, sicut exposita est superiùs auctoritas Lucæ Evangelistæ, maximè quantùm ad ultimam responsionem ibi datam. Et quod sic exponi debeat innuit cùm dicit, miro modo sibi reserat, si enim natura modo communi reserasset non fuisset miro modo, sed naturaliter consueto: occasione istorum rationabiliter potest moveri dubium, utrùm si aliqua Virgo via Spiritûs sancti conciperet aliundè sine concursu viri purum hominem & quantùm ad totum residuum relinqueretur cursui nostro, ita pariendo perderet virginitatem, hîc multum perfunctoriè transeundo videtur, quòd virginitas corporalis connotet non subfuisse partialiter nec completè primæ requisitæ actioni vel passioni vel proportionali ad prolis generationem. Et ergò omnis fœmella quæ aliter conciperet, Virgo conciperet, & omnis fœmella cujuscumque speciei aliàs suscipiendo semen vel imprægnationem modo naturali suæ speciei debito perdit virginitatem, quia sy virginitas connotat horum privationem. Exindè videtur etiam quod si communis esset cursus naturalis aliquarum fœmellarum sine conjunctione masculi concipere, illæ perderent virginitatem sic concipiendo, & sic conciperent [scilicet ex conjunctione masculi vel aliunde, dummodo non paterentur, similiter suo modo naturali non perderent virginitatem, ulterius videtur quòd omnis fœmella, cujus naturalis cursus est ex conjunctione masculi concipere, aliter concipiens sine proportionali libidi-

ne

ne vel paſſione concipit Virgo. Non enim videtur deperdi virginitas niſi deciſione ſeminali in maſculo & in fœmellę ſuſceptione, ſive ex hoc vel etiam ex ſola receptione à maſculo, quia non videtur quod ex omni ludo puerorum venereo cum puellulis dependatur eorum virginitas, nec tamen maſculus nec fœmella perdit virginitatem in omni ſeminis deciſione, quia non in pollutionibus naturalibus, quæ ſunt in purgatione naturæ nequiores, ſed in omni alia deciſione ex aliquo motu libidinis prævéniente deperdi videtur virginitas: undè ille Hildebertus Senenſ. Epiſcopus in quodam Sermone: Porrò, inquam, quâ ratione Virginem eſſe dicam ignoro quam aſtruis per attrectationem genitalium ſeminis effuſione maculari. Ulterius videtur de ratione perditionis virginitatis non eſſe aliquam rupturam fieri vel læſionem, apparet, primò de perditione virginitatis in maſculo. Similiter apparet de fœmella maturæ diſpoſitionis & debitæ ætatis in qua non videtur oportere aliquid tale fieri. Item in ſtatu innocentiæ deperdidiſſet Virgo virginitatem; & tamen certũ eſt, quòd ibi non fuiſſet violentia vel ruptura nec dolor, igitur non videturde ratione eſſe virginitatis aliqua taliſmodi integritas corporalis. Sed de ratione virginitatis videtur non habuiſſe vel habere deciſionem ſeminalem tali vel tali modo vel genitale, niſi ſubfuiſſe tali vel tali actioni vel paſſioni, ita quòd ruptio virginitatis non ſit, niſi aliqualis laxatio virginalis clauſuræ & ſtructuræ alicujuſmodi ſeminalis ſeparatio. Item ſi ex ruptura alicujus continuitatis perderetur virginitas, tunc Virgo poſſet perdere virginitatem factâ læſurâ illâ violentè aliundè quàm per virum, quod non videtur. Ex iſto videtur concludi quòd omnis fœmella quæ Virgo conciperet conceptum communi modo pariendo virginitatem non perderet, quia in pariendo non oportet fieri diſſolutionem continui, ſicut nec in ſtatu innocentiæ, & ſi fiat modo aliqua læſio illa videtur impertinens ad perditionem virginitatis juxta dicta. Etiam non videtur quare magis genitalis vel naturalis apertio repugnaret virginitati quàm ventris elevatio & matricis dilatatio & uberum pro lacte ingroſſatio & hujuſmodi, ſed iſta non obſtãt, quin maneant virginea ubera & virgineus venter, &c. Tenendum eſt inconcuſſè Virginem glorioſam Matrem Domini omnis modi violationis & devirginationis omninò expertem fuiſſe tam in concipiendo Chriſtum, quàm in pariendo; verumtamen ſi Chriſto egrediente naturâ januas communi modo reſeraſſet, ſicut non fecit, ut dictum fuit, adhuc tamen virginitatem non perdidiſſet, quia naturalis dilatatio fœminei genitalis ad exitum fœtus devirginatio non videtur

tur debere dici ex dictis, quia devirginatio videtur solùm se tenere ex parte talismodi actionis vel passionis antecedentis ad susceptionem fœtûs. Decuit tamen Matrem Domini in hoc privilegiari, ut nec communi modo pareret, sicut nec in communi modo concepit, ex quo erat Deo unum æquè faciliter possibile sicut reliquum, & non obviaret rationi veræ filiationis & maternitatis respectu fœtûs. Et ex quo modus ille pariendi supernaturalis erat ad virginalis pudicitiæ decentiam, excellentiam & decorem, ideò peperit modo prædicto in capitulo 6. Et idem testatur Augustinus Homiliâ 12. super Joannem: Quòd, scilicet Christus exivit de utero per pœnetrationem corporum, ideò Dionisius in Epistola ad Gayum, quòd Christus, inquit, exivit uterum Virginis, opus fuerit Deitatis & quòd intravit januis clausis, ista sint dicta ut gloriosissimæ Matris Domini nostri Jesu Christi integerrima virginitas omni pœnitùs careat suspicione & erroneâ circa eam opinione & cogitatione, & in excusationem super hoc devotissimi ejus amatoris & excellentissimi ejus laudum proclamatoris Beati Patris Bernardi Abbatis Clarevallensis.

Hortatur Virginem ad lætitiam super restitutione sui devoti ad honorem pristinum. CAP. IX.

AUdisti Virgo hunc errorem, audisti & alium de macula; uterque destructus & remotus. Jucundare filia Syon & exulta nunc satis filia Jerusalem, quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, devotus tuus honori restitutus est, habes Bernardum in Diademate quo coronasti eum Dilecta sua, revixerunt, quæ decorem perdiderunt egregia tuæ laudis præconia, redierunt quæ saporem amiserunt de te dicta gloriosa in tui Bernardi doctrina melliflua, quæ ejus auctoritatis siniſtra maculatione discolorari cœperunt & insipere, sed sagittis eorum conversis in corda ipsorum versa fortuna machinatio in maculam valdè sibi cessit in gloriam. Quippè non fuit infirmitas hæc ad mortem, sed ut gloria virginalis Dei Matris & sui dilecti amatoris manifestaretur in illa, & ejus famaretur auctoritas & doctrinæ ejus aperiretur divinalis veritas, & universalis bonitas & uberrima utilitas. Igitur omnes accurrite, apertus est fons sapientiæ Verbi Dei in excelsis, doctrina videlicet, quæ eloquia scaturit pulchritudinis, fœda abluit turpitudinis, fœcundat solitudinis deserta, in qua lucent veritates occultæ clarè cunctis traditæ de habitu-

dine

dine Creatoris & Creatore de Incarnatione Salvatoris æternæ genituræ Trinitatis imagine libertatis indagine rectitudo morum, explicatio myſteriorum, hæreticorum confutatio, omnis ſtatûs informatio, contemplatio cœleſtium, terreſtrium abdicatio, contritionis ſtimulus, dilectionis igniculus, quid plura? revera omnis devotionis excitatio, declaratio veritatis, omnis virtutis exemplar & imago, hîc de petra mel effunditur & oleum de ſaxo duriſſimo, huc accedite, hîc ſapientiam veram haurite, cujus hauſtus inebriatos facit ſobrios, ſobrios reddit ebrios, poſitos in operibus mortis fert ad ſuperos. Igitur abjicite doctrinas, vitate Doctores, quorum fumis inebriati & exæcati inſanitis, tempus perditis, damnationem incurritis, ſanctâ doctrinâ neglectâ veſtra ſequimini deſideria, formalitates Doctoris Subtilis de Scotia, fictas quidditates Joannis de Marcia, qualiter, uniformiter, difformiter, in reſolvendo logicaliter & grammaticaliter Ockam, Sanctos Doctores non reputatis, ſed aurium pruritores glorioſis titulis extollentes obſcurum vocatis luculentum, cæcum perſpicuum, ſuperficialem profundum, angularem rotundum, fumoſum dicitis copioſum & fictitium vocatis inventivum. Non ſic chariſſimi non ſic, ſed reſipiſcentes Beatum Bernardum, quem inhonoraſtis, diligenter reſpicite, ut rurſum poſt tenebras reilluminemini & facies veſtræ non confundentur.

Canticum excuſationis Beati Bernardi, in laudem Virginis MARIÆ. CAP. X.

SEd ubi es Bernarde, qui hæc audis & virgineo ſcis tibi procurata favore? Quid ſibi retribues pro omnibus? Saltem dic ei egregiæ laudis Canticum excuſate de erroris impoſitione, felix MARIA, cui nec humilitas defuit nec virginitas. Et quidem ſingularis virginitas, quam non temeravit, ſed honoravit fœcunditas, & ſpecialis humilitas quam non abſtulit, ſed extulit fœcunda virginitas, & incomparabilis prorsùs fœcunditas, quam virginitas ſimilis imitatur & humilitas. Quæ eſt Virgo hæc tam venerabilis, ut ad eam mittatur Angelus, ut ſalutetur ab Angelo, tam humilis, ut deſponſata ſit fabro? Etenim ut noſtrum redimeret genus, miſſus eſt Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore digniſſimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandam ſuper omnes fœminas, admirabilem parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem

Virginem, carne Virginem, mente Virginem, profeſſione Virginem! denique qualem deſcribit Apoſtolus mente & corpore ſanctam, nec noviter, nec fortuitu inventam, ſed à ſæculo electam ab Altiſſimo præcognitam ſibique præparatam, ab Angelis ſervatam, à Patribus præſignatam, à Prophetis promiſſam, quantâ veneratione digna eſt in qua humilitatem exaltat fœcunditas & partus conſecrat virginitatem! à ſæculo non eſt auditum ut aliqua ſimul & Mater eſſet & Virgo, in laudibus Virginum ſingulariter canitur, quòd ſequuntur agnum quocumque ierit, quibus ergò laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Quibus eam comparabis? Verumtamen compara eam ſideri, quod ſicut ſine ſui corruptione ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium, nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem; ipſa ergò eſt nobilis illa ſtella ex Jacob orta, cujus radius univerſum mundum illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis & inferos pœnetrat, & terras etiam perluſtrans & calefaciens magis mentes quàm corpora fovet virtutes, excoquit vitia, ipſa eſt, inquam, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpacioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans doctrinis. O quiſquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare nè avertas oculos à fulgore hujus ſideris ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos cogitationum, reſpice ſtellam, voca MARIAM. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi ſimulationis, reſpice ſtellam, voca MARIAM, ſi iracundia, ſi avaritia aut carnis illecebra naviculam mentis concuſſerit, reſpice ſtellam, voca MARIAM, ſi immanitate criminum turbatus conſcientiæ fœditate confuſus judicii horrore perterritus baratro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita MARIAM, in periculis in anguſtiis, rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, nè deſeras conſervationis exemplum, ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipſa propitia in portum pervenis: ecce quàm gratiâ plena cum qua ſic eſt Dominus & cum qua ei tanta conſenſio fuit, ut ipſius non ſolùm voluntatem, ſed etiam ſibi carnem conjungeret ac de ſua Virginiſque ſubſtantia unus Chriſtus efficeretur, qui etſi nec totus de Deo nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet, nec duo filii, ſed unus utriuſque filius, nec tamen

men Filius Deus tecum quem carnè tuâ induis, ſed Pater genuit quem concipis, & Dominus Spiritus ſanctus, de quo concipis, Pater, inquam, tecum & ſuum Filium fecit & tuum, Filius tecum qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum & tibi ſervat virginale ſignaculum, ô Virgo prudens, ô Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ juſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti vel præcipit vel conſulit vel hortatur in carne non carnaliter vivere & in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras Beata Virgo, ſapientia carnis mors eſt & curam carnis nè perfeceritis in deſideriis? Ubi legeras de Virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare poteſt, & ſequuntur Agnum quocumq; ierit? Ubi legeras laudatos eſſe qui ſe caſtraverunt proprer Regnum Dei? Ubi legeras in carne enim ambulantes non ſecundùm carnè militamus, qui matrimonio jungit Virginem ſuam, benè facit, & qui non jungit meliùs facit? Ubi audieras, volo vos omnes eſſe, ſicut meipſum, & bonum eſt homini, ſi ſic permaneat ſecundùm meum conſilium? De virginibus, inquit, præceptum habuiſti, ſed nec conſilium nec exemplum, niſi quòd Unctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei & efficax ante tibi eſt factus Magiſter; & Filius priùs inſtruxit mentem quàm induerit carnem. Chriſto te devoveras exhibere Virginem, & neſcis, quòd ipſi te exhiberi oporteat etiam Matrem; nec ſuſpectam habeas prudens Virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem; concipies, ſed ſine peccato, gravida eris, ſed non gravata, paries, ſed non cum triſtitia; neſcies virum, & gignes Filium Mater, cujus eſt Deus Pater, Filius paternæ charitatis erit corona tuæ caſtitatis, ſapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis, Deum denique paries, & de Deo concipies, confortare ergo Virgo fœcunda, caſta puerpera, Mater intacta, quia non eris in Iſraël ultra maledicta.

Inducit confuſionem æmulorum. CAP. XI.

QUid ergo vobis videtur Maronitæ, abſtulit virginitatis ſignacula in conceptione vel in partu? Numerate in hoc Cantico quoties læſit Dei Matris clauſtra virginalia, & toties nunc verecundamini vos cæci & pigri, omni deriſione digni, qui hoc reſpicere negligentes ſibi hoc impingere auſi fuiſtis peſſimum præſumentes de Beatiſ. Doctore, verùm pœnitemini, ob ſcelerum magnitudinem non deſperate, ſed petite à S. Patre veniam, reſpicite ſtellam & invocate MARIAM.

Hortatio ejus ad quam scribitur.
CAP. XII.

INtellexistis hæc omnia & debite persastis? pensanda recolligite mille inconvenientia rescindite malè sonantia, Sanctorum irreverentiam Bernardi infamiam, plebis scandala, vanorum pertinaciam & temeritatem, vitiorum occasiones, errores & varias falsitates, judicate si talium Auctores impunes evadere debeant, vel potiùs ut stulti in culpa sapientes in pœna fiant, & nè perire permittatis audaciam, qui neque sunt, fiant nequiores, memoria horum cum sonitu revocationis solemnis & publicæ pœnitùs exterminari, ut acerrimæ correctionis gladio vulpes vineæ Domini demolitores velociter effugentur, & absque misericordia in partes vulpium in vastum solitudinis canibus agitentur, vestri autem amantissime Pater mi & magister interest, qui estis scriba doctus in regno cœlorum, & præditus auctoritate Cathedræ Moysi facienda docentes, & quæ docetis jugiter facere satagentes, venerari errores, auferre malum cogitatationum, recolligere scandala & tollere de Regno Dei, labia claudere hæreticorum, præsertim ora obstruere prædicatorum, qui friuolè ausi, temeritate ebrioti in vestri Ordinis Doctorem Sanctissimum & Prælatum supremum diffamatione irreverenter hæresis impositione non sunt reveriti turpissimè debachari.

Concludit victoriam Bernardi contra suos æmulos.
CAP. XIII.

JAm exulto satis Venerande Pater Bernarde, dic audenter, dic nunc veraciter. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: fui opprobrium abundantibus & despectio superbis. Sed enim non potentes mihi quid profuit illis? prolongaverunt iniquitatem suam, sibi accumularunt confusionem, hæreditabunt fortè damnationem, Dominus justus concidit cervices eorum, conversi sunt retrorsum, ubi lingua, quæ concinabat dolos ubi nunc somnium, ubi Guarro & Maronitæ procaces, ubi nunc macula, ubi maculigeri? Convicti contrariantes sunt, muti sunt, sunt confusi, sunt detrusi: sequentes somnia cecide-

runt

runt, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, quæ ſtabilire non potuerunt. Ecce error eorum repertus eſt, laqueus eorum contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Explicit Epiſtola de macula Bernardi contra impugnatores Sanctorum Doctorum ad clariſicationem Virginalis integritatis & puritatis Matris Domini glorioſæ.

AD JACOBUM WIMPHELINGUM Seleſtatinum, in Magiſtri Henrici de Haſſia Opus Hexaſtichon Sebaſtiani Brant.

Doctrinâ egregium hoc, virtute, & laude decorum,
Prompſerat Henricus Haſſo Magiſter Opus,
In quo factitiam, veram quoque Relligionem,
Diſcrevit formis, mirificiſque modis,
Id VVimphlinge, tuâ præclarum ducis in auras
Elogium, vigili cura, opera atque fide.

AD CANDIDUM LECTOREM.

SVſcipe tandem hilari vultu, benigne Lector, qui Beatam Virginem MARIAM, *Sanctum Bernardum & Chriſtianam pacem amas, Epiſtolam Henrici de Haſſia, quæ ſicut Matris Dei, & Divi Bernardi honorem defenſat, ita faſtum, ambitionem, invectivas mutuas, & diſſenſiones quorumdam Fratrum mendicantium execratur. Hujus ſiquidem Henrici doctrinas, non ſolùm Ioan. Picus Mirandulanus & Ioannes Eckius, ſed cæteri quoque doctiſſimi ſuſpiciunt, colunt & venerantur. Verumtamen, & ſi non omnia forſitan adamuſſim preſſa invenies, id ſcias non Re-*

nati preſſoris aut Othomari Luſciniæ Caſtigatoris incuriâ, ſed exemplarium inopiâ contigiſſe. Vnum enim dumtaxat, & id quidem mendis reſperſum, in manu habemus. Plura verò conquirere multo etiam adhibito ſtudio nequivimus, quamvis paſſim apud eos in primis qui dulciſſimi Bernardi veſtigia peculiariter ſequi ſeſe profitentur diverſis litteris & interceſſoribus (maximè Iudoci Galli Rubeaquenſis, Frederici Griſei Concionatoris in Arcebudorina, & Ioannis Frederici Canonici in Oringaw, impetrare conati ſimus. Cur minùs obtinuerimus, incertum eſt. Si fortè neglectu litterarum, ſi ignaviâ luſtrandi Bibliothecas, ſi contemptu lucubrationis à ſæculari Theologo editæ, ſivè frigido in proprium Patronum affectu, cujus gloriam amplificari exiguæ forſitan eis curæ eſt, ſeu demùm ſordidâ liberalitate communicandi ſua, cùm bonum quodlibet (Ariſtotele teſte) quo communius, eo divinius. Tandem verò à piis Canonicis Regularibus in Trutenhauſen obtinuimus libellum à Priori noſtro exemplari pleriſque in locis præſertim in capitum ſectione diſſidentem. Suſcipe ergo, candidiſſime Lector, quantùm labore noſtro excudi potuit, Dominam noſtram venerare, immunemque à contagio crede nec dubites Bernardo maculam falſò inuſtam, faſtum, ambitionem, jactantiam, diſſenſiones, clamores, iracundiam, invectivas, aſſentationes & furorem (quo pro faba ad ſummum tribunal trahunt) fratrum mendicantium qualium Henricus meminit, nimiſque zelotypum eorum in unum ſui Ordinis Doctorem cum aliarum contemptu affectum nè imiteris.

Obſervatio noſtra pro hoc Auctore.

ANtiquitus fuerunt tres Henrici cognominati Henrici de Haſſia, viri litterati & Scriptores, ſi credendum Nomenclatoribus: quis autem illorum fuerit iſte Henricus, mihi ignotum eſt; duo autem de ipſo pro certo affirmare poſſum, primum, tractatum iſtum fuiſſe impreſſum ſub ipſius nomine, ut ſupra relatum eſt, & etiam manuſcriptum inveniri Coloniæ in Bibliotheca Patrum Cruciferorum: Secundum, ipſum immerito & abſque ulla ratione vel veritate inſurrexiſſe contra Guarronem Magiſtrum Scoti, & Franciſcum Mayronem Franciſcanos, quia Auctor primus maculæ S. Bernardi fuit quidam Nicolaus; primò Ciſtercienſis, deindè Benedictinus, qui per integrum ſæculum præceſſit Guarronem & Mayronem, ut videre eſt in noſtris Radiis, verbo Dominicus à S. Thereſia, col. 2166.

CLY-

CLYPEUS VIRGINIS D. ANTONII BONROMÆI,

Ex impreſsione Venetiana an. 1508. in 4. apud Petrum Liechtenſtein.

NOn hic eſt Cœlo Clypeus, quem ſumpſit abalto,
Urbem qui rexit Religione Numa.
Nec fuit ëolio manibus fabricatus in antro
Vulcani: hunc geſſit nec Thelamone ſatus.
Hæc quondam priſci verſu cecinere Poëtæ,
Qui, quæcumque volunt dicere, recta putant.
Aſt Bonromæus, geſtat qui in pectore fontem,
Antonius linguæ tale peregit opus.
Sub quo tuta manet Genitrix intacta Tonantis,
Purior electro, quæ ſine labe fuit.
O furor, ô rabies, ſuffuſa ô lingua veneno!
Deſine jam Matrem commaculare Dei.
Si te multoties Clypeo ſpeculaberis iſto,
Erroris nebula non capiere mali.
Errores cognoſce tuos fateare neceſsè eſt,
Quicquid ſub Clypei clauditur orbe ſui.

IOannes Chæregatus Epiſcopus Catarenſis Antonio Bonromæo ſuo ſalutem dicit. Opuſcula tua nuper acurato ſtudio libens aviduſque legi: Sed quòd laudes glorioſæ Virginis Genitricis Dei continet tanta cum jucunditate recepi; ut in repetenda illius lectione ego oculos nunquam ſatiaverim. Etenim quali tu acromate,

mate, (per immortalem Deum) quibus argumentis, quibus auctoritatibus, quo mucrone Virginem ab aſpidum morſu, maculam in in candorem illius cœleſtis lilij impingentium vindicas? Quâ Religione ſuſcipis? Quo ritu adoras? Denique quibus laudibus Reginam cœli proſequeris? Et quamvis humana verba ad laudem MARIÆ Virginis minimè ſufficiant; quæ ſupra Angelorum choros elevata à cœleſtibus virtutibus jam Beatiſſima prædicatur: Et (ut ait Hieronymus) quoniam ſupervenit in eam Spiritus Sanctus, & Deus totus illapſus portatus novem menſibus in utero, abſque dubio ampliſſima promeruit virtutum privilegia, quæ & gratiæ percepit plenitudinem. Et ideò de ea dicitur: Macula non eſt in te; *liber tamen tuus in medio paradyſi conceptus; & digito Dei conſcriptus, tanta quidem copia in defenſionem Virginis illuxit, & laudes illius gentliacas cecinit; ut meritò pullatorum pinguium blaſphemi grunnitus, & aculeata Nenia proterantur à te, conculcentur, & in pulverem redigantur. Fiatque Virgo Dei per virtutem ſacri Elogij tui pura, ſimplex & candida, quam cœnoſi ſues in conceptione ſui genuino dente commaculaverant. Igitur gratias ago tibi mi Antoni; ſed quales nec lingua dicere, nec mens cogitare, nec vires queunt rependere. Delectavit quippè admodum, & pavit animum meum jucunda ſancti operis tui lectio, mundam ab omni labe Virginem referendo: Quem librum, ut cupio eſſe perpetuum, ita tibi ſincerâ fide remitto publicandum; ut habeant devoti MARIÆ Virgini, in quo Matrem Dei, Dominam mundi, Reginam cœli, Portam paradyſi, Stellam maris, Auroram terræ conſurgentem ſpiritualibus oculis inter ſidereos choros radicantem comtemplentur; pulchram quidem ut lunam, electam ut ſolem, in qua non ſit macula, non ſit maculæ rubigo, nec quidem rubiginis ſtigma, & puram conſpicuamque per te cognoſcant, ut ab initio creavit eam Altiſſimus atque immaculatam. Vale mei memor, & ſalutem corporis cura, decus eximium litterarum. Patavij in Vigilia Annuntiationis MARIÆ Virginis.*

REVE-

REVERENDO DOMINO Alberto, Canonicorum Regularium Priori, Patribuſque omnibus ejuſdem Religionis Obſervantiſsimis Antonius Bonromæus, Artium ac Juris utriuſque Doctor, Comes & Eques, pacem & ſalutem in Domino ſempiternam.

ETſi Patres humana pietas nos moneat; & amor inter nos, & dilectio aliquid operetur in nobis; magis tamen charitas & dilectio, quæ eſt in Chriſto JESU, ut in omni patientia ſuſtineamus nos ad invicem, & ad benè operandum invitemus. Quod ad ſcribendum me coëgit, & non invidia, aut adulatio, aut error, aut avaritia, ſed & veritas etiam, quorum teſtis eſt Deus, qui ſcit quod non mentior, & tamquam parvulus loquar Sermonem meum inter vos, qui in gloria Dei vocati eſtis, & ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum in omni ſpe & virtute, & gratiarum actione, quæ eſt in Chriſto JESU. Videte ergo nè quis vos decipiat per philoſophiam, aut inanem mundi gloriam, & fallaciam, & ſecundùm traditionem hominum, & non ſecundùm Chriſtum, cum quo mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum eo. Et cùm apparuerit, & vos cum ipſo apparebitis in gloria.

Induite ergo, ſicut electi, & Sancti Dei dilecti, viſcera miſericordiæ, benignè amplectentes Dei Matrem, ſicut & Filium. Nam ſi charitas veſtra in filium eſt & dilectio, ſit etiam ante oculos veſtros & matris excellentia, & Religionis veſtræ dignitas, pietas & clementia, quæ vos honorabiles, vos pios, vos, ut decet, Sanctos faciunt, & cæteris anteponunt: Suſcipite ergò Matrem Chriſti, ipſamque mecum defendite quæſo, quoniam Charitas Filii nos admonet, & probitas Religionis veſtræ, nè vos, ſicut multi, per ambages ambuletis imprimendo Scripturæ falſos characteres, ac vanè interpretantes eas: quoniam littera occidit, ſpiritus autem vivificat. Non enim Scriptura Beatam Virginem ita affli-

git, ſicut & iſti ei adſcribunt quum dicat Scriptura: *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.* Et ſequitur: *Et fundavit eam Altiſſimus.* Quomodo ergo, ſi glorioſa antequam eſſet, potuit effici in eſſe turpis? Et pro eſſe peccati falſæ fuiſſent auctoritates illæ; cum primo tenebræ, deindè lux in Domino, & nulla participatio ſit, ut Apoſtolus inquit, juſtitiæ cum iniquitate, neque ſocietas lucis ad tenebras. Cui concordat Auguſtinus contra Manichæos, ſic dicens: Si potuit inquinari mater mea, cùm eam facerem, potui inquinari cùm ex ea naſcerer. Et Ambroſius in Homilia de Abel & Cayn. De hoc grege ſancta & immaculata illa & intacta ovis proceſſit. Et in Sermone de Gabaonitis: Hæc eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. Et Bernardus in Homilia decima tertia in cœna Domini: Non eſt, inquit, in filiis hominum, qui non fuerit in peccatis conceptus, vel poſtea converſatus, præter Matrem immaculati. Et idem in Sermone Aſſumptionis: Caro Mariæ ex Adam ſumpta maculas Adæ non admiſit. Auguſtinus de Natura & Gratia: Cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs volo de Beata Virgine habere quæſtionem; licèt deriſoriè ac vanè interpretentur de actuali, cùm impeccabilis eſſet non ſolùm mortaliter, ſed venialiter. Et idem in Geneſis 10. cap. Quid coinquinatius illo utero Virginis? Nam ſi fuiſſet in peccato concepta, Angeli & Eva fuiſſent incoinquinatiores. Et infra: Si pulvis meruit divinitùs animari, quantò magis caro, in qua itidem nemo fuerat operatus; præfert enim carnem, quantùm ad dignitatem in ſe, pulveri. Quam ſententiam Beatus Dominicus verè Religioſus, & non ſimulator ac fidelis Chriſti Diſcipulus dicit: Sicut primus Adam fuit in agro Damaſceno de terra virginea & immaculata formatus; ſic ſecundus Adam, videlicèt Chriſtus, fuit de carne virginea & immaculata conceptus: meritò caro præferenda pulveri, ut etam B. Andræas Apoſtolus, ut in ejus hiſtoria legitur, ſic inquit: Sicut de immaculata terra factus fuerat prævaricatori, ita congruum fuit, ut de immaculata Virgine naſceretur reconliator. Thomas in primo Sententiarum diſtinctione quadrageſimâ quartâ, articulo tertio; & in expoſitione Angelicæ ſalutationis in antiquis. Et Anſelmus: Si quid originalis peccati in propagine Dei Matris extitit; illud propagantium non propagatæ prolis fuit. Nec veritas revelata aliquo pacto reſpuenda videtur in Chriſti Religione: cùm hæc tota ferè ſit ſupernaturaliter revelata; ut Anſelmus teſtatur, neque, ut aſſerit, eſt Beatæ Virginis devotus, qui Feſtum ſuæ Conceptionis non celebrat. Ideò dicit Scriptura: *In ſole poſuit taber-*

tabernaculum ſuum. Et alia Scriptura: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol?* Et iterùm alia Scriptura dicit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cui Bernardus aſſentit in Sermone de Aſſumptione, dicens: Quæ enim Angelica puritas audeat illi comparari? Et Hilarius: Virgo benedicta ſuper omnes fœminas, quæ etiam Angelos vincis puritate. Et Ambroſius in lib. de Virginitate: Quid ſplendidius ea quam ſplendor elegit. Et idem: Tanta eſt hujus Virginis excellentia ut ab ejus narratione balbutiant omnes linguæ, excutiantur omnes intelligentiæ; deficiant omnes ſimilitudines. Et Auguſtinus in Sermone de Nativitate: Quoniam pretium noſtræ redemptionis immaculatum eſſe debuerat; propterea MARIA electa eſt, & ſuper omnes prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omni ſanctitate & virtute in utero matris repleta; ut de mundiſſima matre mundiſſimus naſceretur Filius: Et ſicut in cœlis Filius habuit immortalem Patrem & æternum, ſic in terra habuit Matrem omni corruptione carentem. Et in Tractatu Incarnationis: hominem peperit Virgo decora, Virgo Sponſa, tota pulchra, tota ſpecioſa, Flos florum, pulchritudo virginum, cœli Regina, mundi gloria; ô digna digni! O immaculata immaculati! O ſancta ſancti! O MARIA ſplendor incendii, gloria cœli! Et in eodem Tractatu: O fœlix fœmina inter cæteras fœminas benedicta, cujus venter fuit reclamatorium Dei, Templum Spiritûs Sancti, lectus eburneus, Chriſti thalamus! Et infrà: Quantæ ſanctitatis putabimus animam tuam fuiſſe, quæ ad imaginem Dei condita eſt? Et infrà: Ut tantùm placuerit creatori, ut eam ſibi faceret pallium laudis, & loricam glorioſi certaminis. Et in Sermone quadrageſimo tertio ad hæreticos: Qualis eſt Pater in cœlo, talis eſt Filius, ſicut qualis eſt Mater, talis ſecundùm carnem eſt Filius. Hieronymus ſuper nono capite Iſaiæ: In aula virginali nullâ ſorde maculatâ eſt Dei ſermo conceptus. Et Job decimo quarto: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Non enim de Chriſto loquitur, ſed de Beata Virgine. Et Cyrillus contra Neſtorium dicit temerarium eſſe in Beata Virgine ponere maculam vel peccatum aliquod. Sanctus Baſilius in Sermone Annuntiationis: Conſtat eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem. Et ſi quis alicubi aliter dixit; tunc eam ſub lege communi, non ſub ſpeciali, de qua ſpecialiter locuti ſunt, etiam derivativè ſed non formaliter. Non ergo vos terreant rugitus eorum, qui univerſales propoſitiones inducunt, non diſtinguentes inter univerſale morale & dialecticum: quoniam lex univerſalis non trahitur ad Matrem Prin-

cipis. Lege. *Princeps.* Digestorum de legibus. Et scribitur Hester decimo: *Non enim pro te hæc lex dicta est;* nec ad privilegiatos & immunes, ut Textus in paragrapho. Si quæ verò pragmatice in secunda constitutione codicis. Et de Silentiariis, lege. De curionibus, libro 11. Et Glossa in capite primo de Capellano Monialium, in Sexto: quòd maximè consentaneum videtur in Matre Dei gloriosa. Nam si à parvo dolore partûs, & contra legem communem ipsam exceptam confitemur, nonnè magis à labe peccati etiam, si à putredine corporis; contra etiam legem communem expressam ex ore Dei, Beata Virgo non est in pulverem reversa: ut Augustinus in Tractatu Assumptionis. Nec videtur incongruum, cùm corpus sit ex pulvere, si ad pulverem redit, redit undè exivit: In anima verò contrarium contingit; quia à Deo exivit, & ad inferos ducitur, ad pœnam destinatur, & lætitiâ æternâ prohibetur. Si ergò in his, quæ naturalia erant, & communi lege hominum à Deo statuta omnibus infligenda erant, MARIA excepta fuit, nonnè magis in his, quæ non erant naturalia, & quæ à divina Regula erant aliena præservari debebat? Imò dicit ibi Augustinus, quia Deus assumens quod non erat, ut verbum caro fieret; hoc est, Deus homo fieret, hoc corpus sacratissimum vermibus traderet, communi sorte de vermibus pulvis fieret; hoc sentire non audeo, dicere pertimesco. Si quis autem his refragari elegerit, cùm dicere non velit hoc non posse Christum, proferat, quia non conveniat velle, ac per hoc non posse: & si se veraciter consilium Dei de his nosse manifestaverit, incipiam ei credere, quod per regulam topicam magis debet animæ accommodari: quia si de quo minùs; ergo de quo magis. Si ergo potuit ipsam præservare contra legem communem, & fecit; ergò magis à putredine animæ. Et confirmatur; quia in corpore est duplex necessitas materiæ & necessitas peccati; in anima tantùm necessitas prohibitionis. Et confirmatur, quia multi erunt in fine mundi, qui non morientur. Paulus ad Thessal. quarto: Et Beatus Thomas quæstione sextâ de peccato originali, & tamen in eis erit necessitas moriendi, & revertendi in pulverem, & tamen non morientur nec revertentur in pulverem; sed rapientur in aëra, ut Beatus Hieronymus ad Minerum scribit. Et Augustinus in secundo de Baptismate parvulorum: Si ergo illi non solùm à corruptione, sed à morte; ergo magis in Beata Virgine. Imò dicit Beatus Thomas quòd necessitas moriendi non facit, quin aliquis à morte possit præservari; ergo magis à peccato. Præterea Ecclesia celebrat festum Conceptionis sub illis verbis: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem,*

nem, &c. Quæritur tunc, aut Ecclesia proponit verum aut falsum, non datur medium, & quælibet pars affirmat. Si dicis quod falsum tunc esset error in Ecclesia & hæreticum, quia esset interpretari alio modo quàm Ecclesia debeat: imò contra veritatem Ecclesiæ, capite, Hæresis Græcæ & capite. Hæreticus 24. quæst. 3. Cùm tamen possit errare, etiam si quid à solo Summo Pontifice fieret, ut Beatus Thomas Quodlibeticorum sexto, articulo decimo sexto: Nec etiam licet falsum dicere, etiam pro tuenda vita hominis, cap. Ne quis, & cap. Omne genus mendadacii. 22. quæst. 3. quin imò non solùm caret impetratis, sed severitati subjacet judicantis, 25. quæst. 2. Paragrapho. Et si legibus. Et §. Præsumptione, & §. Universa, quæ sunt leges ibi canonicatæ, imò clausula, si preces veritate nitantur, semper debet subintelligi, cap. Ex parte, & primo de Reservatis: & D. §. Universa. Et confirmatur, quia Deus non permitteret aliquem errorem in Ecclesia, ut catholici approbant, ibi multa corpora venerantur in terris. Dicunt quòd non intelligitur de corporibus Sanctorum. Quia Papa facit cum inspiratione Spiritûs sancti: ut Beatus Thomas quæstione nonâ, articulo decimo sexto. Item, nemo debet de aliquo crimine damnari, nisi convictus, aut sponte confessus, & in capite primo & sequentibus duobus, quæstione primâ junctâ Glossæ, ubi ponuntur modi condemnandi; imò oportet ut adsint judices, testes, accusatores & defensores; ut in capite primo, quarto, quæstione quartâ, & in capite de Manifestatione. Et clarè etiam in sequentibus duobus quæst. 4. Et in re dubia non potest fieri certa sententia, ut in capite, Grave, , & sequenti undecimo quæstione tertiâ. Et quæ judicanda sunt notantur in Glossa trigesima tertia distinctione, capite 81. Et semper servanda est misericordia potiùs quàm juris rigor vigesimo sextò, quæstione ultimâ; capite. Allegant. Et capite. Ponderet. Lege digestorum in finalibus. Quum ergo in hoc judicio non fuerint servata servanda. Primò, quia prætermisso juris ordine coram judice suspecto, sine defensore, absente parte non cõvicta, nec confessa; nisi per solam attestationem eorum, qui sunt judices & testes. Et nemo in causa sua potest esse judex & testis, imò nec judex nec testis, lege, Nullus. Digestorum de testibus, capite accusatores tertio, quæstione quartâ: Nam in hoc casu qui sunt accusatores? Qui sunt testes? Ipsimet fautores sunt judices & testes; & immisericordes de dubio judicant, & judicium Dei usurpant, ut in capite. Nomen presbyteri, & sequenti, & in capite. Multi corriguntur. Secundò quæstione primâ. Et sunt verba primò Pauli, deindè Augustini:

Multi sunt tollerandi *donec veniat Deus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* Et per solam eorum attestationem paragrapho. Solam. Tertiò, quæstione quartâ, & in lege solam. Capite de testibus. Item, quia non deponunt verisimilia, ideò eis non creditur. Capite. Præterea, & capite. Litteris de Testibus, capite. Quia verisimile de præsumptione, capite. Licèt causam de probatione, lege, ob carnem. Digestis de testibus, lege, non est verisimile. Et quibus causis majores, capite, si testes, quarto, quæstione tertiâ. Et confirmatur, quia aut testes deponentes, deponunt de certa scientia naturali aut supernaturali. Si naturali hoc est falsum, quia naturaliter non cognoscitur illud, quod fuit in primo parente, pervenisse in alios, quia cognitio nostra habet ortum à sensu, & non cadit sub sensu, imò contrarium esset dicendum secundùm viam Thomæ, quia fit resolutio usque ad materiam primam, si supernaturali, hoc non dicunt; quia non asserunt illud per revelationem habuisse; quia eis crederem, ut dicit Augustinus de putredine corporis B. Virginis: sed dato & non concesso, quòd esset articulus dubius, cùm tamen sit certus; cùm à Pontifice etiam approbetur, qui vicem Dei tenet in terris, capite. Inter corporalia. Juncto capite, quanto de translatione Episcopi, qui habet plenitudinem potestatis, capite, consequens, & capite. Quis nesciat. Undecimo digestorum: & debemus in quantùm possumus sustinere rem potiùs quàm eam deprimere, lege. Quoties, digestorum. De rebus dubiis, capite. In his, extra de privilegio, capite. Abbate, de verborum significatione. Et debemus esse proniores ad absolvendum quàm ad condemnandum, capite. Ex litteris, de probatione, capite. Inter dilectos, de finalibus instrumentis, lege digestorum. Ponderet, lege, Absentem. digestorum de pœnis. Si ergò essent rationes æquales, quòd semper negatur; nonnè debemus potiùs declinare ad partem, quæ tenet Beatam Virginem mundam ab omni peccato, quam in aliam partem? Cùm tamen omnes auctoritates (si rectè interpretentur) faciunt pro Beata Virgine, & rationes sunt efficasissimæ, & quæ in contrarium sunt non habent robur, nec scintillam efficaciæ; & Eccl. approbat: Et vos adhuc permanetis in iniquitate vestra, & maximè, quia in criminali requiruntur probationes luce meridianâ clariores, lege, sciant cuncti, capite. De probationibus, quod confirmatur, quia in dubia interpretatione legis, nonnè recurrendum est ad Principem, lege, leges sacratissimæ; juncta legi finalium, capite. De legibus? Sed sic est, quia si recurramus ad Christum gloriosum, non est credendum, quod voluerit propriam matrem comprehendi sub tali lege; & maximè quod leges

sunt

ſunt intelligendæ quemadmodum à condentibus intelligerentur. in L. Gloſſa tale pactum. Digeſtorum de pactis, juncto textui in lege: Si totas. Capite. De inofficioſa dote; & in lege finali de hæredis inſtitutione. Et ita credendum eſt quod Chriſtus Deus ſentiat. Imò Beatus Auguſtinus contra legem expreſſam datam à Deo Geneſis tertio interpretatus eſt Beatam Virginem non eſſe comprehenſam ſub illa. Et ita quilibet Princeps, L. Princeps digeſtorum de legibus. Et ſcribitur Heſter 15. *Non enim pro te hæc lex dicta eſt.* Ad hæc ſi fuiſſet concepta in peccato originali, ſequeretur quòd fuiſſet Deo magis odioſa, quàm Judas & Cain; ut argumentatur. Sic ille vel illa dicitur magis Deo odioſa & opprobrioſa, à qua plures perfectiones removentur, quam ille vel illa, à quibus nihil removetur: ſed Beata Virgo eſt hujuſmodi, ergo &c. Nam à Juda & Cain nihil eſt remotum ad quod eſſent ordinati, ſed ex demeritis eorum erant damnandi, & ita fuerunt, ergo &c.

Sed à Beata Virgine fuerunt remota omnia quæ ab Eccleſia ei attribuuntur, ut puta: *Ab initio & ante ſæcula cum eo eram ab æterno ordinata.* Imò ſi mortua fuiſſet, fuiſſet damnata. Et ſi diceretur: ab ea nihil fuit remotum, quod ante habuerit: ſed prius fuit eſſe peccati, deinde eſſe gratiæ, ſed contra, eſſe peccati præcedit eſſe gratiæ; ergo eſſe odii præcedit eſſe gratiæ, à convertibili ad convertibile. Fuit ergò Deo odioſa uſque ad inſtans gratiæ, quoniam ante erat in eſſe cognito tantùm, & non poterat eſſe grata & poſteà odioſa, quia in Deo eſſet mutatio, vel ſaltem Eccleſia proponit falſum attribuendo Beatæ Virgini, quæ ſibi attribuit ab æterno, quia tantùm ab inſtanti gratiæ poſſunt ſibi attribui. Unde ſi ſine reprehenſione ſacrorum Canonum dici poſſet; auderem tenere ipſam eſſe materialiter ita mundatam, ut etiam non ſolùm præſervatione, ſed etiam per præcedentem materiæ ſanctificationem ante infuſionem animæ; ut dignior ejus Conceptio fieret, quæ non ſolùm ad Virginis decorem, verùm etiam Chriſti: ſatis tamen eſt, ſi præſervativè per infuſionem gratiæ, quæ poſuit obicem, nè ipſa formaliter macularetur, ideò magis redempta. Sicut Beatus Auguſtinus ſuper Lucam ſeptimo: *Cui plus dimittitur*, dicit: Plus dimittere eſt præſervare nè quis incidat in malum quam ſi quis permiſerit incidere, & poſteà liberaverit. Sed quoniam non tantùm Beatæ Virginis dignitas & puritas nos admonet, ſed Chriſti, nè multa in eos inconvenientia deducantur, quæ poſitâ unitate formæ in compoſito deduci poſſent, quia videlicet eadem caro numero fœtida fuerit in conceptione corporis Chriſti, nec minùs opprobrioſum

probrioſum in Chriſto qnòd fuerit inferior in conceptione Adam, cùm fortiſſimum eorum argumentum ſit, quòd ſi Beata Virgo non fuiſſet concepta in peccato originali, fuiſſet æqualis Chriſto in conceptione; cùm tamen Chriſtus ſecundùm eos fuerit inferior ipſo Adam, contra Auguſtinum, Dominicum & alios, nec poſſunt inficiare, quod etiam magis opprobrioſum, quòd cùm à gladio vulnus mortale illatum, in carne cicatrix ſecundùm ſpeciem remaneat in mortuo; & vulnus illatum à peccato majus incomparabiliter eſt, quoniam cauſa mortis æternæ, illud temporalis: Cicatrix ergò, quæ in facie & in carne Beatæ Virginis illata à peccato, in ſpecie ſimilis eſt in corpore Chriſti, quòd ſatis ad intellectum comprehenditur, non minùs quæ in Chriſto turpe & opprobrioſum fuiſſet, ſi Filius adulteræ & fornicatricis eſſe deprehenderetur apertè. Ut clarè loquitur Scriptura Oſeæ quarto: *Et filius filiæ iræ*, multòque minùs potuerit ſupra Angelos exaltari; cùm qui aliquando in peccato non poſſit attingere gradum puritatis Angelorum, neque fieri habitaculum excellens Dei, quia nulla eſt ſocietas lucis ad tenebras. Si enim habitaculum illud ita fuit obſcuratũ, quomodo tam clarum ac præfulgens fieri potuit? Certè non capit intellectus. Et quod Deus habitaculum illud putridum voluerit ſibi præparare & antiquum, cùm novum habitaculum magis fulgidum ſit quàm antiquum & deturpatum; poſteà tamen pictum & ornatum: ſemper enim vetuſtatis fœtorem retinet, neque ad ſummam innocentiam & puritatem pervenire poteſt: quia, ut dicit Apoſtolus: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus.* Neque poſſet Deum perfectè diligere, cùm dilectio illa ſemper admixta ſit cum triſtitia peccati. Non potuit ergo in B. Virgine eſſe in Deum perfecta tendentia, ſed admixta cum triſtitia de peccato. Minuſque vos movere poſſent ad credendum vanę rationes eorum, qui impiæ ſententię adhærent, ſupponentes quod, ſi mortua fuiſſet, deſcendiſſet ad inferos, quam ſententiam diſputat Beatus Thomas, & concedit, quod, ſicut in cæteris, licèt tollatur culpa per ſanctificationem, non tamen tolluntur pœnæ, quæ maximè ſunt miritoriæ, & hoc idem fuiſſet in ea poſt ſanctificationem, ſicut in cæteris poſt circumciſionem. Crederem, tamen dicendum quod ſi tunc mortua fuiſſet, vel etiam poſt ſanctificationem perfectum locum habuiſſet & ſpecialem deliciarum, licèt ſit dicere impoſſibile quòd fuerit Mater Chriſti, & mortua in ventre matris. Maximèque credendum videtur quòd ſpeciali privilegio fuerat decorata. Nam cùm à pœna peccati originalis diverſis temporibus

diver-

diverſimodè genus humanum fuerit abſolutum. Primò enim per ſacrificium, deinde per circumciſionem, poſtremo per Baptiſmum, & in aliquibus etiam digniori modo, ut in Hieremia & Joanne Baptiſta in ventre matris. Nonnè ſi Hieremiæ ex ſpeciali privilegio, & Joanni Baptiſtæ ſupra alios mortales; nonnè magis conveniens erat ut aliquo præſtantiori & digniori modo Beata Virgo à tali labe eſſet liberata? Quòd non potuit, niti præſervando, aliter non fuiſſet eis ſuperior, & inter ſpinarum aculeos, non tamen pollutâ labe, licèt quantùm ad materiale & derivativum; non tamen formaliter, quod in anima conſiſtit. Et licèt omnes per eandem viam incedant, & idem transfretator, etſi alios per lutum, ſi tamen propriam matrem viderit venientem, & poterit eam ſicco pede transfretare, nonnè faciet? Nec ſecus ſentiendum, quòd filius matrem luto inficiat, deinde lavet, ſi poteſt eam mundam conſervare. Sicut in Deo glorioſo, qui eam ab æterno novit. Neque repertum eſt, eam ſub aliqua lege fuiſſe comprehenſam; multò minùs ſub iſta, quoniam lex generaliter loquens non trahitur ad ea, de quibus ſpecialiter eſt proviſum doli, clauſula digeſtorum, de verborum obumbratione, ſanctio legum, digeſtorum, de pœnis. Et ibi Gloſſa enumerat, neque propoſitio aliqua univerſalis, & à Deo univerſaliter dicta verificatur in omnibus: & præcipuè congruum in B. Virgine. Nam Exodi tertio promittit reducere populum, & tamen duo tantùm fuerunt reducti, Joſue ſcilicèt & Caleph Numeri vigeſimo ſexto. Et Iſaiæ quadrageſimo quinto: *In Domino ſalvabitur, & laudabitur omne ſemen Iſraël.* Et Micheæ ſecundo: *Congregatione congregabo Iacob totum.* Et Chriſtus: *Multi ſunt vocati pauci verò electi.* Ceſſant ergo rationes magis & auctoritates. Paulus: *Omnes in Adam peccaverunt*; non tantùm materialiter, ſed formaliter, exceptâ Beatâ Virgine, quæ formaliter non eſt polluta. Multæ etiam ſunt auctoritates Auguſtini contra Julianum: Solus Chriſtus ſine peccato, verùm quia per naturam, Beata Virgo per gratiam. Item, quia etiam materialiter: Chriſtus verò nec materialiter, quia per corpulentam ſubſtantiam, Beata Virgo per ſeminis commixtionem, & multò minùs formaliter. Auguſtinus: Chriſtus non ex illa carnis peccati propagine conceptus, quemadmodum ipſa fuerit concepta, 10. ſuper Geneſis capite decimo: Et clarum ex præcedenti reſponſione. Non eſt ergo Patres quod vos moveat ad credendum illud turpe, putridum, & auribus diſſonum; quod tamen non ſolùm Chriſticolæ, ſed religionis Chriſti profeſſores tanquam verum, tamquam conveniens, & tamquam ferè ne-

ceſſârium, eam, *quam ſol & luna mirantur, & in cujus conſpectu jubilant omnes filii Dei*; & quæ *ſuper choros Angelorum fuit exaltata*; & quæ fuit plena gratiâ, quæ Chriſtum concepit, quæ Chriſtum portavit, quæ genuit eum, quem cœli capere non poterant, quæ eum pannis involvit, quæ lacte ſuo æducavit, quæ pulchra, quæ nigra, ſed formoſa, amica Dei dilecta: *Hortus concluſus, fons ſignatus, columba Dei formoſa*, quæ ſine macula, quæ ab æterno ordinata: & ex Antiquis: Quæ, *necdum erant abyſſi, & jam erat concepta*; quæ, *quando præparabat cœlos aderat*; quæ, *quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos*, quæ, *quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum*; quæ *quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erat cuncta componens, ludens omni tempore, ludens in orbe terrarum*; quæ *in omni gente & populo primatum habuit*: quæ *requiem quæſivit, & in hæreditate Domini morata eſt*: quæ *ab initio & ante ſæcula creata* fuit: & qui eam *creavit in ejus tabernaculo requievit*: quæ in *Syon firmata, & in civitate ſanctificata*; quæ *exaltata quaſi Cedrus in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Syon*; *quæ quaſi palma exaltata in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho, & quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi plantanus exaltata ſuper aquas, quæ in plateis dedit odorem, ſicut cinnamomum & balſamum, & ſicut myrrha electa dedit odorem ſuavitatis*: quæ *quaſi ſtorax & galbanus & ungula & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporavit, & quaſi balſamum non mixtum odor ejus*: *quæ quaſi terebynthus extendit ramos & rami ejus, rami honoris & gratiæ, quæ quaſi vitis fructificavit odorem ſuavitatis & flores ejus fructus honoris & honeſtatis, quæ eſt mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis ſanctæ ſpei*, in qua omnis ſpes gratiæ & veritatis, omnis ſpes vitæ & virtutis, quæ pulcherima inter mulieres: *Et oculi ejus columbarum.* Turpiſſimam fuiſſe & Deo odioſam, in profundum demerſam, ac Deo abominabilem profitentur, ac probare conantur. Cùm tamen ipſa Virgo Beatiſſima ſit porta cœli, ſcala paradiſi, via, via errantium, ſalus omnium in ea ſperantium. Vndè ſi abominabilis illa ſententia vera fuiſſet, quæ tamen falſa & erronea, & incompatibilis Fidei noſtræ & Religioni, quæ in omnibus pia, juſta eſt & æqualis, in B. verò Virgine impia, injuſta & auribus diſſona, meritò contra filium dicere potuiſſet. Ecce quia non ſum ampliùs Mater Dei: non ludo coram te, non ſum formoſa, non ſum tecum, non ſum ordinata, ex antiquis, non ſum exaltata, ſed in profundum dejecta, tibi odioſa, abs te proſtituta. Ubi eſt veritas Prophetarum, qui de me canebant: *Quam pulchra es amica mea in odorem ſuavitatis?* Ecce nunc quam putrida ſum, nec ſum formoſa, imò deformis & tibi odioſa. Quomodo filiæ Syon falſo

me

me dixerunt beatiſſimam? mutaſtinè fili mi ſententiam? Nam Prophetæ ex tua inſpiratione dixerunt me pulcham, cum cæteris quæ de me jam dicta ſunt. Nunc verò falſum eſt dictum illorum? Ubi ergò veritas tua? Ubi in Matrem pietas? Ubi reverentia, Ubi miſericordia? Quoniam demergor in profundum. Et ſi mortua fuiſſem, fuiſſem damnata. Quòd ſanè viri integerrimi, ſi religio noſtra in omnibus accommodata ſit, maculaſque omnes abjiciat, in eaque nihil inhoneſtum ſit aut turpe, præter hoc quod in eam, quæ medium eſt & via ad æternam ſalutem maculam turpiſſimam ponunt. Cùm tamen non ſolùm ſine læſione, imò cum decoratione Religionis noſtræ oppoſitum tenere poſſimus, quod ex ſupraſcriptis Doctorum Eccleſiæ & aliorum SS. auctoritatibus & rationibus ſatis ſuperque comprobatum eſt. Nec ſit poſſibile tenere Beatam Virginem conceptam in peccato, niſi & confiteantur in corpore Chriſti illius peccati derelictam eſſe maculam conſequentem illud peccatum, quod utique turpiſſimum & magis diſſonum quàm ſi ſolùm in Beata Virgine nec poſſunt inficiari. Multa alia dicenda eſſent, quæ non ſolùm loquar in conſpectu veſtro, ſed *in conſpectu Regum & Principum, & non confundar.* Quoniam quæ loquor, loquor in charitate non ficta, in verbo veritatis, & in virtute Dei, ac cum armis juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris; & non minùs in charitate Domini noſtri JESU Chriſti & Matris, quæ ſit cum omnibus vobis. Amen.

CAROLUS ALBERTUS VERONENSIS Prior indignus Monaſterii Divi Joannis Viridarii Patavini.

VIrginis intactæ dubios Conceptio dudum
Doctores tenuit ſpicula longa trahens.
Et licet extiterint veteres jam ſanè periti,
Præcipuâ effulſit nullus in orbe fide.
Venit at ingenio en Antonius artis acuto
Præditus: ingenium judiciumque dedit.
Humanaſque ſimul, dictu mirabile, vires
Exceſſit: ſophiæ complicuitque jubar.

Scilicet ipſe tibi Lector ſententia quænam
Sit ſua demonſtrat, comprobat atque docet.
Alter Ariſtoteles veluti ſubtilia ſtrictim
Argumentatur robore dicta ſuo.
Vt volucris ſummas pennata volavit ad auras,
Iſtius admiror ſic probitate viri.
Ingenio cœlo dominatur turrique ſuperba
Doctrina gaudens circuit omne ſolum.
Quod nemo libare hominum, dictante tumultu
Eſt auſus, voluit ſcribere pace tuâ.
Vomer & ut curvus majorum dicta revolvit,
Proviſis Domino ſic modo fecit opus.
Ergo Lector ave, quæ nunc Antonius urbi
Protulit, ut noſcas quid ſua dicta velint.
Boromæa quidem gemino condigna triumpho,
Perpetua eſt ſoboles magnificanda viris.
Præſlita namque ſibi impertitur dona Minervæ,
Et ſudore ſuo participare jubet.
Elargitur opes Doctorum more novales:
Et ſummas graciles, quos retinere potes,
Ingenium jam cerne igitur mirabile Lector;
Iſtius exemplo ſemper acutus eris.

TRACTATUS
PRO IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE,

Cujuſdam Patris Benedictini, repertus in Abbatia S. Petri Gandavi, ubi magnâ veneratione cuſtoditur, vocatus ab Auctore *Cronodromus*, id eſt, *Curſus Temporum*, & ad finem libri dicitur, *fuit diſpoſitus & ordinatus* per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum Philip-Corivaldi, primum hujus nominis Abbatem illius Monaſterii. Libri Prologus incipit ſic: *Quemadmodum ex veteris variæque ſacræ paginæ fonte profundo, &c.* Opus verò incipit: *Quoniam rerum omnium primordiale Principium finiſque ſit ipſe Deus, idcirco, &c.* Et eſt ut ſequitur.

MARIA Virgo, Angelo nunciante, Joachim & Anna parentibus concipitur & naſcitur in Nazareth anno Octaviani Auguſti Imperatoris Vigeſimo octavo, Herodis Regis 18. ſecundùm Chronica, id eſt, 15. ante anno quam Chriſtum edidit, juxta librum Joachim, & revelationem factam Sanctæ Eliſabethæ. Fuit autem, ut teſtatur Hieronymus in hiſtoria, Joachim & Anna ex ſtirpe David oriunda, in Nazareth nata, Jeroſolymis nutrita: Pater ejus Joachim, Mater Anna dicebatur, domus paterna ex Nazareth, maternum genus ex Bethleem erat, uterq; tamen de ſtirpe David

descendit. Joachim enim de David descendit per Nathan, Anna verò per Salomonem: David enim inter cæteros habuit duos filios, Nathan & Salomonem; ex catena igitur Nathan post multarum generationum revolutionem, quidam, Levi nomine ut ponit Joann. Damascenus genuit Melchi & Pantheram, Pauthera genuit Barpantherâ, Barpanthera genuit Joachim patrem MARIÆ, ex David etiam per Salomonem descendens, & multis transactis generationibus verè creditur juxta Matth. in 11. generat. à David. Nathan filius Eleazar uxorem de eadem catena per Salomonem descendentem, ex qua genuit Jacob, defuncto autem Nathan Melchi ex catena Nathan Pantheris, scilicèt Levi nupsit uxori Nathan, & genuit ex ea Heli. Facti ergo sunt fratres ex eadem genitrice, sed diversis genitoribus Jacob & Heli. Jacob quidem ex tribu Salomonis & Heli ex tribu Nathan: defunctus est autem Heli sine liberis & accepit Jacob frater ejus uxorem suam ad suscitandum fratri suo semen, genuitque ex ea Joseph virum MARIÆ. Joachim ergo accepit uxorem nomine Annam, quæ habuit sororem nomine Hysmeriam. Hæc autem Hysmeria genuit Elisabeth & Eliud, Elisabeth Joannem Baptistam genuit, de Eliud natus est Eminen, de Eminen natus est Sanctus Servatius, cujus corpus est in oppido Trajecti super fluvium Mosam. Anna autem tres viros habuisse dicitur, Joachim, Cleopham & Salome, de Joachim unam filiam MARIAM Matrem Domini, mortuo Joachim accepit Cleopham fratrem Joseph, & genuit ex ea aliam filiam, quam similiter vocavit Mariam & nupsit Alpheo, & ex eo quatuor habuit filios, scilicet, Jacobum Minorem, Joseph Justum, qui & Barnabas, Simonem & Judam. Mortuo secundo viro, Anna tertium accepit nomine Salome, ex quo aliam filiam genuit, quam rursus Mariam vocavit, hanc Zebedeus duxit in uxorem, ex qua genuit filios duos, scilicet, Jacobum Majorem & Joannem Evangelistam. Unde & de hoc exstant versus.

Anna solet dici tres concepisse Marias,
Quas genuere viri, Ioachim, Cleophas, Salomeque,
Has duxere viri, Ioseph Alpheus, Zebedeus.
Prima parit Christum, Iacobumque secunda Minorem,
Et Ioseph Iustum peperit cum Symone, Iudam.
Tertia Majorem Iacobum volucremque Ioannem.

Fuit autem Virgo MARIA tam de stirpe regali, scilicet de tribu Juda quâm etiam de stirpe Sacerdotali & tribu Levi, unde constat eas fuisse cognatas MARIAM Virginem, & Elisabeth matrem Joannis Baptistæ,

quam

quam teſtatur Lucas fuiſſe ex tribu Levi, & de filiabus Aaron, & idcircò Zacharias Sacerdos de eadem tribu eam duxit, ſed ſciendum eſt, quòd ipſe Aaron & Joiada ſummus Sacerdos, ambo de tribu Juda duxerint uxores, undè tribus ſacerdotalis & regalis cognomine, ad invicem ſemper conjunctæ fuiſſe probatur, voluit enim Domini, ut hæ tribus privilegiatæ propter myſterium ad invicem miſcerentur, quia Dominus de eis naſciturus erat, qui verè Rex & Sacerdos pro nobis ſeipſum offerret; quod & ex nomine Chriſti, id eſt, uncti innuitur, quia ſoli Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ in lege veteri ungebantur, tribus etiam Levi inter cæteras ſortem non habebat, & ideò mulieres de illa tribu nubere poterant, cui volebant. Hiſtoriam B. Virginis MARIÆ, B. Hieronymus adoleſcentulus, in quodam libello legit, & poſteà ſenior recolens quòd legerat, tranſcripſit, Hieronymus in hiſtoria de Joachim & Anna. Joachim Sanctam Annam de Bethleem duxit uxorem. Vita eorum erat ſimplex, recta & pia omnemque ſubſtantiam ſuam trifariè diviſerunt unam partem templo & ſervitoribus ejus, aliam peregrinis & pauperibus erogabant, tertiâ ſibi & ſuæ familiæ uſibus reſervabant, ideò Deo juſti, hominibus pii per annos circiter 20. Domum caſtam, conjugium purum ſinè procreatione liberorum exercebant, voverunt tamen, ſi Deus daret eis ſobolem, eam ſe ipſius ſervitio mancipaturos, cujus rei gratiâ templum Domini ſingulis per annum feſtis frequentare ſolebant, cùm autem in encœniis Jeroſolymam Joachim aſcendiſſet Yſachar, qui & Symon Pontifex, videns eum inter concives ſuos cum oblatione adſtantem, ſprevit eum cum muneribus ſuis, dicens ejus munera Deo digna non poſſe videri, quem ipſe indignum prole judicaret, maledictumque eſſe, qui non genuiſſet ſemen in Iſraël, cujus ille opprobrii objectu pudore, confuſus ad paſtores in Paſcuis ſeceſſit, non enim domum repedare voluit, nè fortè à contribulibus, qui id à Sacerdote audierant eodem opprobrio notaretur, cumque ibi aliquamdiu eſſet quâdam die, dum eſſet ſolus, Angelus Dei ei aſtitit cum immenſo lumine ejuſque viſione perturbatum compeſcuit, dicens: Noli timere Joachim, quia ego ſum Angelus miſſus à Deo, ut annuntiem tibi orationes tuas exauditas, & eleëmoſynas aſcendiſſe in conſpectum Domini, vidit quippè pudorem tuum, & ſterilitatis audivit opprobrium non rectè tibi objectum: Et ecce & Anna uxor tua pariet tibi filiam, vocabiſque nomen ejus MARIAM. Hæc erit, ut noviſti, ab infantia Deo conſecrata, & Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: omne immundum non comedet, nec bibet,

bet, nec inter populares forinsecus, sed in templo Domini conversatio ejus: ita procedente ætate, sicut ipsa mirabiliter nascetur ex sterili, sic incomparabiliter Virgo generabit Altissimi Filium, qui vocabitur Jesus secundùm nomen suum, Salvator omnium gentium. Descedens ab ea Angelus apparuit & Annæ uxori ejus eadem annuntians, ita juxta Angelicum præceptum uteríde locis in quibus erant permanentes ascenderunt in Jerusalem & ad portam auream sibi invicem obviantes de mutua visione suâ lætati, & promissæ prolis certitudine securi debitas Domino humilium gratias retulerunt exauditori, & adorato Deo domum ingressi promissum certi & hilares expectabant.

Concepit ergo Anna, & peperit Filiam, utrùm autem Maria Virgo in originali peccato sit concepta vel non, plurimũ modernis temporibus quæstio ventilatur quibusdam Doctoribus ab omni eam originali peccato, & actuali divinâ potentiâ & dispensatione præservatam quamquam de massa Adæ peccatrice descendat, affirmantibus. Quibusdam verò eam in utero matris cum animæ infusione sanctificatam, ac ab omni originali crimine purgatam, asserentibus, quarum opinionum rationes potissimas non tamen nisi saniori pertinaciter inhærendo sub pia gloriosæ Virginis correctione levi stylo curavi inserere.

Posterior namque opinio, quam primò recitare propono à multis nutrita Doctoribus gloriosam ponit Virginem peccato originali detentam, & in eo conceptam, sed posteà per gratiam divinam sanctificatam & ab eo purgatam, & hoc tripliciter: nam quidam dicunt ipsam in originali peccato conceptam & per aliquod tempus in tali peccato remansisse, sed ante ejus nativitatem ex utero de tali peccatâm radicem, ut puto sui fundamenti ex dictis Beati Thomæ de Aquino, assumentes, qui in scriptis suis super Tertium Sentent. gloriosam Virginem in peccato originali conceptam planè ponit, nec in parentibus posse sanctificari, nec ante ante animæ infusionem, sed nec in ipso actu infusionis animæ, antè tamen nativitatem ejus ex utero fuisse purgatam.

Primum, quòd in parentibus nec ante animæ infusionem sanctificari potuit iis astipulat rationibus.

Quod non est, non potest sanctificari: sed Beata Virgo non fuit antequam conciperetur in utero matris suæ, ergo non potuit sanctificari ante Conceptionem ejus.

Item, Unigenito Dei Filio singularis Conceptio, partusque debebatur, sed Christi conceptio ex Virgine Matre fuit sine commixtione viri

viri ergo non decuit, ut mater ejus conciperetur, nisi per sexuum commixtionem, sed post statum naturæ corruptæ non potest esse commixtio sexuum, nisi cum libidine. Cùm ergò libido illa, quæ est filia peccati ex peccato primorum parentum proveniens sit causa originalis peccati in prole, ut Augustinus dicit: Videtur, quòd Beata Virgo ante Conceptionem sanctificari non potuit.

Item, ante animæ infusionem nondum erat capax gratiæ, cùm subjectum gratiæ sit creatura rationalis solùm, sed ante animæ infusionem non erat rationalis creatura, ergo nec gratiæ vel sanctificationis capax.

Secundum, scilicet quod nec in actu infusionis animæ sanctificata fuit ipse convenienter asserit, dicens, sed nec etiam in ipso, instanti infusionis per gratiam tunc infusam conservata est, nè culpam originalem incurreret. Christus enim singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum, hoc autem esse non posset, si aliqua anima inveniretur, quæ nunquam originali macula infecta fuisset, & ideò nec Beatæ Virgini, nec alicui præter Christum concessum est.

Tertium, scilicet, quòd Beata Virgo in utero post Conceptionem ejus, & ante Nativitatem à peccato originali purgata sit, & sanctificata. Ex hoc colligere nititur, quòd super omnes Sanctos à peccato purior fuit veluti divinæ sapientiæ electa Mater, in qua nihil coinquinatum incurrit, & cùm hæc puritas in quibusdam inveniatur, ut ante nativitatem ex utero mundarentur, ut de Joanne Baptista, Lucæ 1. *Spiritu sancto replebitur ex utero matris suæ*; & de Jeremia, Jeremiæ 1. *Priusquam te formarem ex utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te.* Non est dubitandum hoc multò excellentius Matri Dei fuisse collatum. Hæc Thomas. Hujus itaque sequaces mæximèque sui Ordinis Prædicatores, qui Jacobitæ nuncupantur, in tantam audaciam proruperunt, ut contra Virginem hanc sententiam minùs cautè in Matris Universitatis Parisiensis gremio collatione celebratâ inter alia publicarent hanc conclusionem unanimiter sustinentes, dicere Mariam in peccato originali non esse conceptam errorem, super iis tamen à fidelibus gloriosæ Matris & Virginis amatoribus dictæ Universitatis Doctoribus congruis victi rationibus sub umbra detestandi schismatis in Ecclesia regnantis sparsim delitescunt. Hanc etiam opinionem, quæ Mariam ponit in peccato originali conceptam quamplures solemnes Doctores eam sustinentes, & quamplures Sanctorum auctoritates pro eorum probationibus producuntur in medium,

primo per Apoſtolum ad Romanos: *Omnes peccaverunt & egent gratiâ Dei.* Item ad Romanos 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt per unum hominem.* Item, ad Epheſios: *Eramus naturâ filii iræ.* Item, ad Romanos 8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Et exponit Magiſter Sententiarum, tertio libro, diſtinctione tertiâ: Quomodo Chriſtus non in carnem peccatricem, ſed in ſimilitudinem carnis peccati venit, quia non mater eum concupiſcentiâ, ſed gratia concepit, cætera verò omnium hominum caro, caro peccati eſt quia concupiſcentiæ motu concepta: Unde & Auguſtinus de Baptiſmo parvulorum, ait, contra Arianos, quòd ſolus Chriſtus fuit ſine peccato & nullus membrorum ejus, dicere ergo Virginem fuiſſe ſine peccato eſt dicere eandem non fuiſſe membrum Chriſti. Item, Auguſtinus ſuper Joannem Sermone quarto, exponens illud verbum Joannis Baptiſtæ: *Ecce Agnus Dei, &c.* ait, quòd omnes ex illa radice venerunt, id eſt, ex illa progenie, de qua gemens David, dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et ſubdit Auguſtinus, quòd ſolus ille Agnus eſt, qui ſic non venit. Item, quia Julianus dixit, ipſum Iſaac fuiſſe conceptum ſine originali peccato, quia mater ſua ſterilis fuit naturaliter, quando eum concepit, ideò Auguſtinus contra Julianum, ait ſic: Ego autem propter ſanam fidem ex eadem concupiſcentiæ voluntate conceptum, etiam Iſaac ipſum, ex qua omnes detinemur uno excepto ab hoc malo, per quem liberamur à malo. Item, Auguſtinus 13. (Videtur error conſule cap. 14. de Trinitatis, lib. 13.) de Civitate Dei 9. Tractatus ille Pſalmiſtæ: *Solus inter mortuos liber*, ait: ſolus Chriſtus liber eſt de debito mortis, quia ſolus ſine peccato, nam mors inflicta eſt propter peccatum. Item, Auguſtinus ſuper Pſalmum: *In te Domine ſperavi*, ait, ſolus Chriſtus ſine peccato venit, *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei.* Item, Auguſtinus in lib. de perfectione juſtitiæ circa finem: Quiſquis, inquit, fuiſſe in hac vita vel aliquem hominem vel aliquos homines putat excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuit remiſſio peccatorum, contrarius directè eſt divinæ Scripturæ, ubi Apoſtolus dicit: *Per unum hominem mors intravit, &c.* Item, Auguſtinus lib. de Gratia Chriſti & peccato originali 2. cap. 30. idem teſtatur. Item, Auguſtinus ſupra Iſaiam, loquens de Chriſto: De Spiritu ſancto, inquit, natus abſtinuit peccato, *omnis homo mendax*, & nemo ſine peccato, niſi unus Deus. Servatum eſt ergo ut ex viro & muliere, id

eſt

eſt, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers eſſe delicti. Item, Auguſtinus de Nuptiis & Concupiſcentia dicit quod ideò Chriſtus non de concubitu naſci voluit, ut hinc etiam doceret omnem quidem concubitu naſci carnem & omnem talem carnem eſſe peccati. Item, ſuper Geneſim lib. 10. cap. 8. Proindè corpus Chriſti quamvis ex carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non ſic in ea conceptum eſt, quomodo fuerat illa concepta, nec ipſum erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati. Ubi clarè videtur eum ſenſiſſe carnem Virginis fuiſſe carnem peccati, ac hoc per ſecundum ipſum, qui oppoſitum aſſerit, hæreticus invenitur. Item, Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 20. quia ſine libidine, inquit, non eſt parentum concubitus ob hoc filiorum ex eorum carne naſcentium, non poteſt ſine peccato eſſe conceptus, & ideò infrà cap. 16. tradens hoc pro quadam regula Fidei ait: Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur cum originali peccato impietati ſubditum morti ſubjectum & ob hoc naturâ filium iræ naſci. Item, Auguſt. ſuper illo Pſalmo: *Iudica Domine nocentes me*; & ſuper illo verbo: *Induebam me cilicio*; ſic dicit: Dominus inde carnem aſſumpſit de maſſa ipſa, quæ mortem meruerat ex peccato, & ſequitur etiam, ut celerius dicam, MARIA ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus eſt propter peccatum, & caro Domini ex MARIA mortua propter delenda peccata. Convenienter inducunt & Sanctum Hieronymum ſuper illo verbo Pſalmi: *Et de manu canis unicam meam.* Ubi ſic ait: Anima Chriſti ſola ſine peccato, & à peccato immunis. Præterea Beatus Ambroſius in ſuo Exameron, lib. 1. ait ſolus Chriſtus ſine peccato, ſolus ſine vanitate: hinc Leo Papa in Sermone de Nativitate Domini ait: Solus itaque inter filios hominum Deus JESUS innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione factus eſt homo.

Præterea arguunt, ſi MARIA Virgo fuiſſet concepta ſine peccato originali, non indiguiſſet redemptione Chriſti. Conſequens falſum eſt, quia Chriſtus fuit univerſalis Redemptor omnium hominum, juxta quod ait Gregorius Chriſto: Redemptor omnium exaudi preces ſupplicum, &c. Super hæc teſtem, quo magis innituntur, eò quòd expreſſius videtur eorum opinioni aſſentire, adducunt Anſelmum 2. lib. Cur Deus homo, cap. 5. ubi ait: Virgo unde aſſumptus eſt Chriſtus, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater ejus, & in originali pec-

cato nata est; ipsa in Adam peccavit, *in quo omnes peccaverunt*. Item, de Conceptu virginali idem Anselmus cap. 5. ait: Tota natura humana in ipsis erat, & extra ipsos nihil erat: sic itaque si non peccasset qualis facta est à Deo talis propagatur, cùm ergò per peccatum facta sit peccatrix & corrupta, sequitur quod talis propagatur: cùm ergò Beata Virgo similiter in peccato propagatur, vel non feciſſet eam mater sua talem qualis ipsa fuit. Item cap. 3. Anselmus probat originale peccatum esse injustitiam, dicens, nec fuit solus inter homines Filius Virginis in utero natus, & nascens de Matre sine peccato aut non damnatur ille, qui sine Baptismo moritur nullum habens peccatum originale, aut sine peccato damnatur, sed nihil horum accipimus, ergò solus inter homines Filius Virginis est natus in utero, & nascens de Matre sine peccato. Item, Bernardus in Epistola ad Lugdunenses vetat ejus Conceptionem esse celebrandam, & hoc non nili quia in peccato concepta est. Item, ipse protulit post quod non fuit sanctificata in Conceptione sua. Undè dicit: fortè interamplexus maritales sanctitas se ipsi immiscuit conceptioni, & hoc ratio non admittit. Quomodo namque sanctitas absque spiritu sanctificante? Quasi dicat quod non est, & quod non fuit, ibi spiritus sanctificans: probat, dicens: aut spiritui sancto societas cum peccato fuit, quia in conceptione peccatum fuit, aut certè quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit. Et paucis interpositis, sic ait: Si igitur ante conceptum sanctificari minimè potuit, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum quod non inerat: restat igitur, ut post conceptum in utero existens sanctificationem accepisse credatur, libenter Virgo gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honoratur vel falsa induci videtur sanctitas. Præterea Damascenus lib. 2. cap. 3. ait: Spiritus sanctus supervenit purgans ipsam, sed purgatio præsupponit culpam; cùm ergo culpam actualem nunquam habuit, sequitur quod habuit originalem. Hugo etiam de Sancto Victore huic videtur opinioni assentire de Consecratione super illud capitulum, Firmissimè, ubi dicit: ergo & Beata Virgo, Jeremias & Joannes Baptista cum originali peccato nati sunt, cùm constet eos per concubitum maris & fœminæ esse conceptos; undè Conceptio Mariæ non debet celebrari, quia fuit in peccato originali concepta. Et Magister Sententiarum lib. 3. dist. 3. Quæritur etiam, inquit, de carne Verbi an priùsquam conciperetur obligata fuerit peccato, & an talis assumpta fuit à Verbo: sanè dici potest & credi oportet, juxta Sanctorum attestationes convenientiam ipsam priùs pec-

cato

cato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro, ſed *Spiritûs ſancti* obumbratione mundatam, ita ut ab omni contagione immunis uniretur Verbo. Et ſequitur: MARIAM quoque totam Spiritus ſanctus in eam perveniens à peccato prorsùs purgavit, & à fomite peccati etiam liberavit vel fomitem ipſum pœnitus evacuando, ut quibuſdam placet, vel ſic extenuando & debilitando, ut ei poſtmodum peccandi occaſio nullatenùs exſtiterit. Quam opinionem ſequens Guillielmus Ockam 3. Sententiarum, quæſt. 2. fomitem illum in Beatæ Virginis Conceptione, quando infundebatur anima ponit eſſe ablatum, ſic ſcilicèt, ut non poſſet inclinare voluntatem ejus ad aliquem actum tendentem in peccatum mortale, ſed non fuit ita ablatus, juxta eum quin poſſet inclinare appetitum ejus in actum tendentem in peccatum veniale. Et definiens ipſum fomitem, eſt, inquit, fomes originalis peccati qualitas corporalis inclinans appetum ſenſitivum delectabiliter vel triſtibiliter ad actum interiorem, qui ſecundùm rationem eligendus, ſed quando Filium Dei concepit ipſa fuit totaliter liberata à fomite, non quin remanſit adhuc illa qualitas, ſed ſic, quod non potuit inclinare voluntatem ad aliquem actum peccati mortalis aut venialis, & ex iſtis ſtatim infert corolariè quòd ante conceptionem Salvatoris Virgo MARIA potuit peccare venialiter, licèt non mortaliter, & poſteà non.

Arguunt alii ad idem, probantes Virginem MARIAM in peccato originali conceptam, & præ cæteris Hugo Cardinalis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ſuper illud Eccleſiaſtici 25. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*; ubi dicit: ſicut oliva amara eſt in radice, ſed dulcis in fructu: ita Beata Virgo peccati originalis amaritudinem habuit, ſed dulcem fructum protulit. Ad idem eſt Nicolaus de Lyra in Poſtilla ſuper Evangelia ſuper illud Lucæ 1. *Spiritus ſuperveniet in te, &c.* ubi dicit priùs venit Spiritus ſanctus ſuper Virginem adhuc in utero matris exiſtentem, eam ab originali purgando, ut communius dicitur. Ad idem arguit clara, ut ſibi videtur, ratione Doctor quidam de Ordine Prædicatorum Guillielmus Jordam in determinatione Exovienſi: Omnis, inquit, pœna juſtè inflicta, & non voluntariè accepta eſt ratione proprii peccati; ſed MARIA habuit multas pœnalitates juſtè & non voluntariè aſſumptas, igitur peccatum contraxit & non actuale; ergo originale major eſt maxima, mortalitas aliter non eſſet pœna juſta, & minor quòad primũ experientiâ patet, MARIAM habuiſſe famem, ſitim, & paupertatem & mortem, & non purè voluntariè, ſicut Chriſtus, quia tunc fuiſſet ipſa Redemptrix noſtra, quod eſt falſum.

Item, videtur implicare contradictionem post lapsum primi hominis aliquem nasci per naturalem propagationem sine omni peccato, quia quæ simul sunt naturâ, quandocumque unum est priùs & alterum, sed in apto nato habere gratiam, & non habente, simul naturâ est carentia gratiæ & culpa; cùm ergo omnes homines naturaliter propagati primo habeant carentiam gratiæ quàm gratiam, ergò priùs habent culpam quàm gratiam, quia carentia gratiæ convenit eis à principio intrinseco, gratia autem ex extrinseco. Prætereà positâ causâ ponitur effectus, sed carentia originalis justitiæ cum debito habendi eam est ipsa originalis culpa vel sufficiens causa ejus, cùm ergo omnes naturaliter descendentes ab Adam de necessitate nascuntur in carentia originalis justitiæ cum debito habendi eam, perdidit enim Adam hujusmodi justitiam pro se & pro suis posteris, sicut receperat eam pro se & omnibus suis posteris.

Item, arguunt quidam alii, si Virgo MARIA non fuisset concepta in originali peccato cum nunquam commisit actuale, tunc quantùm ad immunitatem peccati fuisset æqualis gradùs & dignitatis, sicut humanitas Christi, sed hoc non decuit Deum sic facere aliquam creaturam respectu cujus Christus ipse prærogativam non haberet, ergo in peccato originali concepta fuit: igitur his quampluribusq; aliis rationibus, dum Doctores suam fovent opinionem, nec per viam amoris, ut veri Virginis amatores, sed potiùs per viam rancoris, velut immaculatæ virginitati seniori insidiatores MARIAM fordidatam, MARIAM illutatam, MARIAM in fecibus originalis culpæ conceptam publicè non formidant asserere cum clamore horribili intonantes, & veris Virginis amatoribus comminantes, erroris eos censuræ subjacere clamantes, si intemeratæ virginitatis honorem Conceptionisque puritatem moliantur offendere, dicere, inquiunt, MARIAM non esse conceptam, in peccato originali error est, & hæc quidem eorum vesana conclusio iis Sanctorum auctoritatibus enumeratis superiùs ac ab ipsis juxta eorum insanum intellectum receptis, taliter ut præfatum est stabilitur, sed hinc paulisper recentiores temporis cum Sancti floruerunt Doctores, quorum auctoritates sunt præmissæ quidem verisimiles amatores Virginis per viam timoris, nè Sanctorum dictis obviare viderentur, procedentes, secretiori tamen indagatione rimantes immunditiam, tamen in sancta & immaculata quamquam timorosè ponentes quanto citius potuerant dictam maculam momentaneo temporis fluxu nituntur ab radice parumper dictæ cedentes

dentes opinioni ſub quadam palliationis effigie, dicentes ipſam Virginem glorioſam in primo ſuæ Conceptionis inſtanti originali culpa detentam, ſicut univerſæ maſſæ peccatricis ſobolem ex Adam derivatam uteris concretam maternis concipi ac propagari contingit, ſed in inſtanti immediatè hoc abſque alicujus temporis intervallo ſequenti divinâ gratiâ ſubito antequam alimenti quidquam reciperet ab originalis fomitis macula purgatam ac deinceps ſanctificatam variis mediis aſtipulare conantur.

E quibus præcipuè Doctor ille ſolemnis Henricus de Gandavo in ſuo 15. Quodlibeto pro hac opinione ſententiam ita promit: ſic igitur, inquit, mihi videtur, quòd in originale in Virgine per ſolum momentum inſtantis fuiſſe potuit natura non repugnante, & paulò poſt in eadem quæſtione: Ego, inquit, in præmiſſis de Virgine, niſi quod pium & dignum viſum eſt ſentire non potui, & ſalvo privilegio Chriſti, qui ſolus ex ſemine mundo ſine originali peccato conceptus eſt homo & alitus in utero, privilegium Virginis ſuper cæteros omnes homines eſſe ſentio, quod licèt in peccato originali concepta ſit homo ex ſemine immundo, in illo tamen non niſi per momentum permanſit, & ita licèt in peccato concepta, non tamen alita in peccato in utero matris fuit, cæteri autem omnes etiam ſanctificati in utero non ſolùm in peccato concepti, verùm etiam aliti in utero per aliquod ſpatium temporis fuerunt: hanc verò opinionem, quæ ponit Virginem glorioſam in inſtanti ſuæ conceptionis in peccato originali, & in inſtanti immediatè poſt hoc, & in toto tempore ſequente fuiſſe in gratia ab ipſo peccato purgata: Ipſe idem duabus rationibus unâ affectuali & aliâ naturali aſſecurare laborat. Conſtat, inquit, quod majoris amoris indicium fuit, ſive magis judicium magni amoris eam dotare cito, & quantocius dotari potuit, quam diutius exſpectare. Si ergo ſanctificari potuit Virgo & mundari à peccato, ut non niſi per inſtans ſivè momentum in macula originalis peccati fuit, rectâ ratione dictante hoc mihi, ut videtur, piè ſentiri poteſt. Secunda ratio ejus naturalis ſumitur in hunc modum: Virtute naturæ poteſt fieri quod aliquid in una actuali diſpoſitione maneat per ſolum inſtans: ergo & virtute divinâ hoc poteſt fieri. Patet conſequentia à majori, & antecedens probatur, quia ſi fabæ motæ ſurſum motu violento obviat lapis molaris motu naturali deſcendens inferius in contactu lapidis faba ſubito & in inſtanti mutata eſt in ſpatium ſibi æquale per motum ejus violentum ſurſum, & in eodem inſtanti ipſa faba motum naturalem lapidis deorſum

deorsum fabam impellentem, & tunc faba in termino sui motûs manebit solùm per instans, quia si maneret per tempus necessario oporteret lapidem molarem quiescere, quod est naturaliter impossibile. Sic autem, inquit, anima Virginis quasi mota ab inferiori in sua unione cum corpore, & corpore illo instanti quo illi unita est contraxit originale peccatum, & erat immunda, quia de immundo concepta semine & obtenebrata, sed non nisi per illud instans, nam per motum gratiæ desursum venientis subito post illud instans ab ipsa immunditia & tenebra mundata fuit, & deinceps, & per totum tempus sequens in gratia, & ab omni originali culpa sanctificata & immunis.

Et confirmat hoc quidam alius sic: Deus potest facere quod aliquis per solum instans sit in gratia & per totum tempus sequens sit sine gratia, ergo è contra poterit facere quod per solum instans aliquis sit in culpa & in toto tempore sequenti sit in gratia. Antecedens probat, quia agens per voluntatem liberam, cujus actio non est successiua potest per solum unum instans agere, & per totum tempus sequens cessare, sed Deus infundendo gratiam agit per voluntatem liberam, & ejus actio non est successiva. Consequentiam similiter probat, quia recessus à culpa in gratiam non est per motum, sed per simplicem gratiæ influentiam, sicut etiam recessus à gratia in culpam non est per motum, sed per hujus simplicis influentiæ substractionem. Et ideò quod repugnat uni repugnat alteri, & è converso, quod non repugnat uni, non repugnat alteri.

Fuerunt & de hac opinione per viam timoris Domini sustinentes supradictam opinionem. Bonaventura dist. 3. lib. 3. Richardus de Media-Villa eâdem distinctione. Ægidius de Roma distinct. 3. lib. 3. Petrus de Tharantasia lib. 3. dist. 3. Durandus ibidem. Horum quidam adhuc citius quam in secundo instanti Virgini maculam auferre nitentes ipsam ponebant in primo instanti suæ conceptionis in culpa conceptam, & in eodem instanti ab ipsa culpa purgatam & sanctificatam. Ad cujus opinionis declarationem instans temporis diuisibile esse in tria signa, puta A. B. C. dicebant. In primo itaque signo puta in A. fuit in Virgine originalis culpa sine gratia sanctificationis. In B. fuerunt gratia & culpa simul, non tamen inesse perfecto, sed quasi in quodam transitu, quia quamvis culpa & gratia cum sint opposita non possint esse simul inesse perfectò & permanenti, possunt tamen simul esse in transitu, & secundum esse incompletum. In tertio autem signo puta C. fuit gratia secundum esse habituale in Virgine & completum & expulsa est culpa totaliter. Quod autem

autem culpa & gratia sint simul in signo B. in Virgine modo prædicto, scilicet in transitu, & secundum esse imperfectum ipsi probant sic expellens & expulsum opertet esse simul, sed gratia est culpæ expulsiva, &c. Ex prædictis itaque opinionibus, ipsisque rationibus hinc idem pro ipsis adductis, velut quibusdam communis legis inviolabilibus firmisque, ut putant, sanctionibus, quidam filii rancoris, ut supra tactum est, suam curantes stabilire positionem, sed potiùs ex principiis naturalis legis ad eorum voluntatem intellectis absolutam divinæ voluntatis potentiam limitantes singularem Reginæ libertatem sub communis servitutis jugo reputantes, impii serpentis antiqui infectivi fomitis originale venenum in ipsam aperto ore revomunt, dignissimoque honori Reginæ detrahentes; Regia, inquiunt, Virgo falso non indiget honore. Novimus MARIAM Virginem esse mundi Monarcham, sed revera turpitur seminatam, cum fide stet ipsam sanctam natam, sed contra fidem est eam sine originali peccato conceptam. Dicere igitur MARIAM non esse conceptam in peccato originali, error est.

O lingua venenata, ô deturpati passeres, sic non cantat universalis Ecclesia sub umbra hujus Virginis requiescens, cùm intonat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Felix namque es, & omni laude dignissima. Cùm igitur harum opinionum apparentia, velut cujusdam densi vaporis nebula ipsam clarissimam maris stellam, mundissimam, scilicet Virginem in suæ formationis exordio deturpatam, falsisque criminibus primordialis fomitis sinistra suspicione mulctatam conspicio, totus in semetipso in præceps dilapsus confunditur animus, totiusque discretionis ecclipsata vivacitas ob prædictarum opinionum effulgentem evidentiam, dictorumque eas sustinentium authoritabilem reverentiam fluctuantem, jam animum vix ad conformem dictis opinionibus perduxissent assensum, nisi confestim immaculatæ Virginis gratia vacillantem animum celeri flatu præveniens & supra propriæ potestatis limites intellectum rationis scintillam tenuisset in ortu, longæque alterius progressionis modum ostendens ipsius Virginis dignissimæ Conceptionis primordia absque quacumque originalis fomitis confluentia Dei absoluta potentia, ut tantæ Reginæ congruebat honori celebrata subito divulgabat instinctu. Ast ego omnis ambitionis suspicione remota mentis meæ viribus collectis sub pio Ecclesiæ præcepto ejusque benigna, si peccem, correctione glorioſæ Matris Virginis attollens privilegium dictis obvians opinionibus in hanc coalui conclusionem.

Immaculata Virgo MARIA in ſua Conceptione peccatum originale non contraxit, ſed divinâ gratiâ ab omni originali ſimul & actuali fuit præſervata. Sed pro hujus concluſionis aliquali delucidatione ipſarumq; rationum ſatisfactione mentalis cognitionis laborarem inediâ elevatis pauliſper oculis fidei, Ecce duas vias latiſſimas mihi conſpicio, quibus poſita concluſio clarius poſſet comprobari, quarum una ſtuporis, altera amoris congruè ſibi nomen aſſumpſit, invectiſque oculis mentis in via ſtuporis ſupra humani intellectûs capacitatem mihi Virgo puriſſima abſque omnis originalis fomitis ſpurcitia concepta myſticâ revelatione clarè monſtratur, ubi & clariſſimus Cantuarienſis Antiſtes Anſelmus concluſionem prædictam declarans, glorioſæ Virginis Conceptionem, ut ſanctam & ab omni peccato, ſicut & ejus Nativitatem, immunem triplici miraculo fide digno celebrandam apertè denunciat. Primò, quidem Eliſinum Rameſienſis Cœnobii venerabilem Abbatem producens in medium, qui dum miſſus à Willelmo Normanorum Duce in Daciam revertenſque periclitaretur in mari, ipſamque Virginem glorioſam in extremis cum ſuis agonizans ſodalibus ſibi auxiliatricem devotius invocaret talia divinitùs in reſponſis recepit. Si Dei Genitricis Conceptionem 6. idus Decembris celebraveris, & celebrandam prædicaveris in priſtinam ſalutem redibus. Ille ſe promptum Virginis glorioſæ miniſtrum exhibens citiùs tempeſtate cedata Anglicis littoribus concito flatu ſalvus applicuit. Cunctis, quæ acciderant, notificans glorioſæ Virginis Conceptionem celebravit, & celebrandam prædicavit, continuoque idem venerabilis Præſul Anſelmus ad dictæ concluſionis proteſtationem ſecundum ſtupendum prodit miraculum, Clericum quemdam Regis Hungariæ fuiſſe Germanum, qui ducturus uxorem, cùm horas glorioſæ Virginis decantare ſibi ſolitas, eâ die ſibi omiſiſſe recordaretur, ſponſa domum miſſa, ab omnibus ſeparatus, ſolus in quamdam Eccleſiam coram ipſius Virginis imagine horas ſibi perſoluturus ſeſe recepit: Cùm hanc Antiphonam: Pulchra es & decora, &c. Diceret, ſubito apparens Virgo glorioſa MARIA eumque corripiens, ſi pulchra, inquit, ſum & decora, quid me dimittis & aliam ſponſam accipis? Cumque ille apparitione ejus pulchritudinem ſtupefactus ſuper omnem mundi pulchritudinem procul attolleret ac quidquid illa imperaret, ſe impleturum ſponderet, illa reſpondit: ſi, inquit, ſponſam carnalem, cui adhærere vis amore meo dimiſeris, & meæ Conceptionis feſta annuatim 6. Idus Decembris ſolemniter celebraveris, & celebranda prædicaveris, me ſponſam

ſam in regno Unigeniti mei laureatus habebis. Clericus verò domum redire renuens Abbatiam quamdam extra patriam petens monachali habitu decoratus, & poſteà glorioſæ Virginis meritis & precibus Eccleſiæ Aquileënſis Patriarcha factus feſtum Conceptionis ejuſdem die præfato cum propriis etiam octavis devotè celebravit, & celebrandum prædicavit.

Tertium quoque miraculoſæ probationis teſtimonium ad idem præfatus ſubjecit Anſelmus, Sacerdotem quoque Gallicum à villa quadam ubi cum uxore alterius fornicatus fuerat redeuntem adducens, qui cum ſecavam fluvium navicula ſolus tranſmeare proponens, horaſque Virginis glorioſæ dicendo in medio fluminis perveniſſet, unà cum navicula à dœmonibus præcipitatur, animaque ejus juxta operis mercedem, ad tormenta defertur, de hinc die tertio glorioſa Virgo ipſius miſeri animam à dœmonibus ereptam precibus ſuis & meritis corpori uniri obtinuit totumque hominem ab utroque funere reſuſcitatum arripiens de profundo pelagi ad portum incolumen advexit, & nè ampliùs tali peccato ſe daret ejuſque Conceptionis ſolemnia 6. Idus Decembris devotè celebraret, & celebrandam omnibus prædicaret, &c.

Hoc igitur triplicis revelationis fide digno teſtimonio excitatus prænominatus Antiſtes Anſelmus in Epiſtola glorioſæ Virginis Conceptionem dignè ab univerſali Eccleſia celebrandam, & per conſequens nihil originalis vitii in ipſa Virgine fuiſſe putandum, Epiſcopali authoritate corroborat: & quamquam, ut ſuperius eſt allegatum, idem Anſelmus antequam in Epiſcopatûs dignitatem ſublimaretur, libros edens de Conceptu virginali, & Cur Deus homo, alioſque quamplures glorioſam Virginem in peccato originali conceptam aſſereret, tamen miraculoſæ & divinæ revelationis inſtinctu admonitus Epiſcopali culmine decoratus Epiſtolam ipſam de glorioſæ Virginis Conceptione conficiens prætactaque miracula in ipſa conſcribens, pluribus inſuper rationibus glorioſam Virginem ab originali peccato immunem, ejuſque Conceptionem celebrandam, velut quæ dixerat retractans, certius inſinuat in eadem.

Secundò, in eadem via ſtuporis ſupra ſolitum imaginandi modum reſpicio glorioſam Virginem Mariam juxta prædictæ concluſionis tenorem ab omni originali ſimiliter & actuali præſervatam ſtylo hiſtorico commendari. Nam ut clarius habetur ex Chronicis tempore Summi Pontificis Joannis XXII. infans quidam Venamarim Regis Africæ filius in tribus peritus legibus, & doctus venerat ad Amonem, ubi ſolemniter

receptus jussu Papæ prædicti hospitatus est in librata Cardinalis Prænestini, cumque in hac die Dominus Papa celebraret Conceptionis festum infans prædictus solemnitati interfuit, quamquam Gentilis & Barbarus, & sermoni, & ad prandium à Papa invitatus, interfuit collationi, prædicaverat autem tunc quidam frater per multa media festum ad sanctificationem reducens, licèt fuisset in originali peccato concepta, & in collatione respondendo, tenuit post multa argumenta contra eum facta. Dictum est infanti quid sibi videbatur de hac re, mihi, inquit, falsa notabiliter videtur illa pars, quæ dicit MARIAM non esse exceptam ab omni lege culpæ propter tria: primum est Hipotesis, nam suppositò, quòd sit Mater Dei, cùm ergo sim filius Africæ Regis & Soldani de voluntate patris mei, antequam essem conceptus, fui liber ab omni lege, & doctus in eis, quam vellem eligerem, sed potentior & liberalior est Deus respectu suæ Matris; igitur ante suum conceptum prævisa fuit, libera ab omni lege & jugo. Secundò, quia in lege nostra, si quis peccatum poneret in MARIA dentes cum martello auferrentur ab eo, sed MARIA potior est in lege vestra quàm in lege nostra, in qua ponitur tantùm Mater Sancti Prophetæ, sed non Dei: Igitur in lege vestra à culpa potiùs est servanda. Tertiò, quia verus amator Virginis non vituperat, sed ponens in hac Virgine culpam, vituperat eam; igitur non est amator verus.

Sub eodem quoque Joanne Summo Pontifice lis quædam inter quosdam Clericos asseritur Iudiciali discursione super eadem re in causa Virginis terminata, quæ paulò ante ab eorum antecessoribus in hunc modum fuit suscitata. Duo namque clerici forsan inter cæteros excellentes cum suis cuilibet faventibus inter se super Virginis Conceptione invalescente discordia decertantes tandem post varios ambiguæ disputationis conflictus, judicem super hoc indifferentem petunt Philosophum quemdam, Vulpianum nomine, quamquam Religionis Christianæ alienum; multum tamen apud omnes in doctrina sapientiæ famosum coram quo lite contestata producunt testes in causa: major Virginis Conceptionem in originali fuisse volens, testem producit David Prophetam in Psalmis: *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum*; nisi usque ad unum, quem glossat, Christum. Apostolus ad Romanos 3. Minor verò pro Virgine testem adducit Moysem, Legislatorem prophetantem de Virginis regno & imperio, quòd haberet cæteras creaturas in calcaneo servitores: & per consequens Regina nobilius est creata quàm prima mulier, ipse autem respondens ad rationem

nem majoris: Gloſſa, inquit, iſta non eſt contra Reginam, quia prima pars auctoritatis nullum excipit, quia omnes declinaverunt, &c. Secunda pars excipit Chriſtum, ſi ergo Chriſtus Rex ab iſta lege peccati communi excipitur. De jure igitur & Regina debet excipi defactò, licèt non de jure. Ad hæc Vulpianus, ambo, inquit, Fatemini Chriſtum Regem & Imperatorem omnium & MARIAM conſortem imperii? Fatemur, inquiunt, & ego, inquit, Vulpianus viſis & auditis confeſſionibus, atteſtationibus & rationibus judico: quòd ſicut Princeps Auguſtus eſt legibus ſolutus, ita & ſit privilegiata Auguſta, licèt non legibus ſoluta, ut notavi diſt. 10. & ſeq. 9. L. *Princeps*, & notanter in Lege *fœminæ*. Succedente verò tempore filii horum reſuſcitata diſcordia, in eadem cauſa judicem petunt Arabem Alquindum nomine, qui in lege Mahometi inter Saracenos multum famoſus vigebat, ubi poſt libelli oblationem & litis conteſtationem filii majoris producunt in teſtem ſapientiſſimum Salomonem, ſed ſub umbra Synagoge coopertum, dicentem: *Vnum ex mille virum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Ad hoc alii potiùs inquiunt, illa de actuali culpa loquitur. Patet in Gloſſa, in qua nihil ad MARIAM: vel ſic multa abſconduntur à ſapientibus uno tempore, quæ poſteà revelantur, nam poſteà unam perfectam viderunt, & Beatiſſimam prædicaverunt filiæ Sion; ad quod Arabs, ambo, inquit, Fatemini MARIAM ſtellam maris? Fatemur, inquiunt, & ego, inquit, Alquindus viſis & auditis confeſſionibus, atteſtationibus & rationibus judico nullum eſſe de filiis Adam, quem non tetigit ſathan præter MARIAM ſtellam maris & Filium ejus, ut notavit Mahometus in Alcorano Azoara: ſic horum verò poſteri duriori rixa hanc cauſam ſuſcitantes ſuæ prudentiæ innitentes minùs ſapientes proprios patres vocavêre, qui aliquando in hac cauſa puros Laicos admiſerunt contra cauſam contingit extra arbitris allegantes arbitrium eſſe, nullum tum ratione perſonæ, quæ non erat authentica, tum etiam quia nulla pœna vallatum contra legem primam de arbitris, quare partem adverſam poſteros, ſcilicet filiorum minoris poſteri filiorum majoris citantes coram ordinatione, ſcilicet, Papæ Joannis XXII. ſupradicti, pariter convenerunt lite conteſtatâ. Poſteri filiorum majoris, producunt in teſtem Apoſtolum ad Romanos tertio: *Omnes peccaverunt, & egent gratiâ.* Alii producunt Evangelium dicens, MARIAM plenam gratiâ, Lucæ 1. Et dicunt Apoſtolum non plus dicere contra Reginam in illa auctoritate, quam in iſta poſita ſumpta eodem capitulo: *Omnis homo mendax.* Durat proceſſus litigii per dies multos. Tandem Pa-

pa divinâ illuſtratus gratiâ, omnes, inquit, fatemur cum Gabriële, MARIAM plenam gratiâ, cùm ergo gratiæ ſint ampliandæ ſecundùm Leges & Canones, MARIAM ſine originali peccato aſſero conceptam, & ejus feſtum Conceptionis judico eſſe celebrandum. Unde & ab illo tempore, ut à majoribus traditur, Curia Domini Papæ, & per conſequens univerſalis Eccleſia feſtum glorioſæ Conceptionis Virginis devotè celebrat. Sic ergo patet jis teſtimoniis in via ſtuporis adductis, Virginem glorioſam MARIAM in peccato originali non fuiſſe conceptam, ut præmiſſa ponit concluſio, ſed ab omni tam originali quàm actuali præſervatam fuiſſe, ſed ut omne proteſtationis teſtimonium noſtræ glorioſæ Reginæ prompto famuletur obſequio, intellectûs radio in alteram viam amoris extento mox approximantes aſpicio quamplures authoriſabilis reverentiæ viros, ut puta, virgineæ puritatis ex pio amoris radio fideliſſimos defenſores ipſius Reginæ immaculatam Conceptionem juxta prædictæ concluſionis poſitionem congruis rationibus ex ſacræ Scripturæ & ſinceræ fidei melliſluo fonte potatis evidentius atteſtantes.

Primus itaque hanc per viam aſcendens Excellentiſſimus Doctor Auguſtinus in cauſam Virginis totum ſe ingerens omnem maculam criminis ſiniſtrâ objectione ab Adverſariis Virgini imputatam ſententiosâ Oratione repellit: Si, inquit, congregentur ad nos omnes Sancti, cùm adhuc viverent & interrogaſſemus eos, an peccatum haberent, quid aliud reſponſuros putamus, niſi quod Joannes in Epiſtola ſua ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habens, nos metipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Exceptâ MARIA Virgine, de qua propter honorem Domini nullam cùm de peccatis agitur prorsùs volo fieri mentionem, & nè dicant Adverſarii ipſum Auguſtinum de peccato actuali ibi fuiſſe locutum ſtatim ſubdit de actuali, inſinuans ſe priùs dixiſſe de originali, ut de utroque Virginem alienam probaret: Scimus, inquit, quòd ei plus gratiæ collatum eſt ad vincendum ex omni parte peccatum (gloſſa, actuale) cùm eum parere meruit, qui nullum habuit peccatum, nec actuale, ſcilicet, nec originale. Auguſtinus de Natura & Gratia idem ipſe loquens in perſona Chriſti Filii Virginis hujus: Si MARIA, inquit, poterat inquinari cùm ipſam facerem, poteram & ego inquinari, cùm ex ipſa naſcerer Auguſtinus contra quinque hæreſes, ex qua auctoritate convenienter arguitur; caro Virginis per ipſos fuit inquinata, & caro peccati, ſed Chriſtus fuit natus de carne Virginis & ſanguine, & nutritus ab ea; Igitur Chriſtus fuit natus de carne peccati, & fuit caro peccati. Conſequens

eſt

est hæreticum: ergo & antecedens: probo tamen consequentiam expositoriè. Hæc caro Virginis est caro peccati: hæc caro Virginis est caro Christi; ergo caro Christi est caro peccati; relinquitur ergo quòd Virgo non fuit in originali peccato concepta.

Secundò, per hanc viam amoris, quâ Virgo Beata immunis probatur, ascendit venerabilis Alfontius Metropolitanus Hispaniæ in libro contra Olindum & Rommuanum: Constat, inquit, MARIAM ab ipso peccato originali immunem fuisse, per quam non solùm Evæ matris est soluta maledictio, verùm etiam omnibus donata benedictio. Nullis igitur quando nata est subjacuit delictis, nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit. Hæc ille.

Tertiò, per hanc viam tendit venerabilis Cantuariensis Anselmus, qui quamquam primo & ante præsulatûs dignitatem libros plures ediderat, quibus asseruerat MARIAM Virginem à peccato conceptam, ut librum Cur Deus homo, & de Conceptu virginali, tamen post in Episcopum Cantuariensem sublimatus, ut præmissum est superiùs, miraculosèque attonitus ea quæ posuerat retractans tam in sua Epistola, quàm etiam in suo lib. de Exordio humanæ salutis, Virginem à peccato originali immunem probat. Ait enim: Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei & Domini nostri exstitit, propagantium non propagatæ prolis fuit: sequitur castaneam nucem attendere, si Deus castaneæ confert, ut intra spinas à spinis remota concipiatur, alatur, formetur, potuit & suæ Matri conferre, potuit planè & voluit, si ergo voluit, fecit. Hæc ille.

Quartò, per hanc viam vadit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui contra Nestorium hæreticum ponentem maledictionem in Christo & MARIA fuisse, in Concilio Ephesino præsidens determinat primitias nostræ substantiæ, scilicèt MARIAM & Filium sic fuisse benedictas in tempore gratiæ, ut illa quæ adversùs omne genus maledictio fuerat prolata desineret, quòd notatur in synodali Decreto Concilii Ephesini.

Quintò, per hanc viam tendit venerabilis Richardus de S. Victore in Sermone, qui incipit: *Nondum erant abyssi*; sic dicens: Non decuit, ut caro Beatæ MARIÆ peccati obnoxiam se cognosceret: nam Dei Sapientiæ indignum esse credimus, ut quod lumen gentium prædestinavit, tenebris pravitatis sineret involvi. Sequitur, Eritnè ingratus matri propriæ, qui Patri & matri honorem præcipit exhiberi. Hæc ille.

Sextò, per hanc viam tendit Beatus Dominicus, qui in Tractatu Corporis

poris Christi, quem fecit contra hæreticos Albigenses dicentes, Christum Filium MARIÆ non fuisse generis humani redemptorem propter hoc, quod primus Adam fuerat formatus de terra pura & immaculata; & secundus, quem ponebant cum Manicheis de invisibili bello. Christus autem Filius MARIÆ non fuit de pura & immaculata materia, quia peccatum habuit. Contra quem articulum arguit Beatus Dominicus per quinque auctoritates MARIAM fuisse sine originali peccato conceptam, quarum prima erat ista Cantic. 6. *Tota pulchra es, &c.*

Septimò, per hanc viam tendit Beatus Thomas de Aquino 20. dist. 1. quæst. 3. sic dicens: Talis fuit puritas MARIÆ Virginis, quòd à peccato originali & actuali immunis fuit, tamen sub Deo in quantùm in ea erat potentia ad peccandum: & licèt 3. dist. tertii libri Sententiarum opinioni oppositæ se conformet, ut præmissum est, tamen in fine vitæ suæ super Ave Maria, quemdam Tractatum edidit, ubi MARIAM sine originali & actuali fuisse confirmat.

Octavò, per hanc viam tendit Richardus Syrac Armaritanus Hiberniæ, qui primò adversarius existens 3. dist. 3. Archiepiscopus factus illud retractavit publicè in quodam Sermone, qui incipit: *Sapientia ædificavit sibi domum, &c.* Ostendens in Conceptione Virginis non fuisse peccati originalis ruinam, quia nullus sapiens artifex in domo dilecta fundamentum facit ruinosum.

Nonò, per hanc viam tendit Alexander Nequam, qui prius adversarius existens 3. dist. 3. post correctus à Deo retractavit publicè in quodam Sermone, qui incipit: *Fiat lux.*

Decimò, per hanc viam tendit Dominus Robertus Liconienſis, MARIAM Virginem affirmans sine originali peccato conceptam in Tractatu, quem fecit de laudibus Virginis.

Undecimò, tendit per hanc viam Petrus Thomæ, Patriarcha Jerosolimitanus de Ordine Carmeli in Tractatu de Conceptione Virginis, ubi probat multipliciter MARIAM Virginem sine originali conceptam.

Duodecimò, per hanc viam tendit Magister Alexander de Ales, Ordinis Minorum, qui primò Adversarius existens in tertia parte Summæ in infirmitate, de qua discessit oppositum asseruit, illud Cantic. 6. *Tota pulchra es, &c.* De Virgine exponendo.

Decimotertiò, per hanc viam tendit Robertus Olcot, Ordinis Fratrum Prædicatorum, in determinatione Exoniensi, quæ incipit: Utrùm doctrina

doctrina venerabilis Anſelmi rationabiliter deberet reprobari, ubi affirmat MARIAM Virginem ſine originali conceptam.

Decimoquartò, per hanc viam tendit Vincentius Hiſtoriographus in ſpeculo hiſtoriali, lib. 7. cap. 65. de hoc hiſtoricè Virginem collaudando, ubi auctoritatem Alphonſi ſuprapoſitam ad propoſitum adducit.

Decimoquintò, per hanc viam tendit Geraldus de Piſcarie, qui priùs Adverſarius exiſtens in quodam Sermone eâdem die celebrans ab ipſa Matre Dei poſt Sermonem correptus iterato prædicans retractavit.

Decimoſextò, per hanc viam tendit Aureolus Archiepiſcopus Aquilenſis in Tractatu, qui incipit: *Nondum erant abyſſi.* Ubi probat multipliciter Matrem Dei ſine originali fuiſſe conceptam.

Decimoſeptimò, per hanc viam tendit Geraldus Odonis Patriarcha Antiochenus 3. diſt. 3, idem probans.

Decimooctavò,, per hanc viam tendit Doctor Subtilis 3. diſt. 3. in prima lectura, & expreſſius in ſecunda.

Decimononò, per hanc viam tendit Guarro 3. diſt. 3.

Vigeſimò, per hanc viam tendit Joannes Batho, Ordinis Carmeli, 2. diſt. 2. lib. quæſt. 10... ubi hoc probat per multas vias.

Vigeſimoprimò, per hanc viam tendit Franciſcus de Mayronis in Tractatu de Virgine, ubi aſſerit MARIAM Virginem ab omni originali immunem, & ab omni fomite ſub Domino præſervatam.

Vigeſimoſecundò, per hanc viam tendit Guillielmus Ockam in Quodlibeto ſuo, quæſt. 22. 4. quæſt. 3. diſt. 3. Sentent. aſſeverat oppoſitum, ut ſuperiùs poſitum eſt.

Vigeſimotertiò, per hanc viam tendit Hugo de Caſtro-Novo, 3. diſt. 3. quæſt. 1.

Vigeſimoquartò, per hanc viam tendit Franciſcus de Marchia, 3. diſt. 3.

Vigeſimoquintò, per hanc viam tendit Guillielmus Cachon, 3. diſtinctione 3.

Vigeſimoſextò per hanc viam tendit Londulphus, 3. diſt. 3.

Vigeſimoſeptimò, per hanc viam tendit Henricus de Haſſia in Epiſtola..... Idem probat multipliciter ratione allegans quoddam dictum, quia ſi contingat in hac materia deficere, minùs malè eſt deficere per ſuperabundantiam quàm per defectum, quia ſecundùm Ariſtotelem: Prodigus eſt minùs malus quàm parcus.

Vigesimooctavò, per hanc viam tendit Petrus Thomæ Hispanus, decanus Papæ Joannis XXII. ubi diffusè probat per multas vias.

Vigesimononò, per hanc viam tendit Magister Joannes de Ripa Ordinis Fratrum Minorum super sententias in una quæstione, ubi per totum processum probat MARIAM defacto in originali non fuisse conceptam, quamquam sufficiens causa fuisset præcedens in Adam: undè originale contraxisset, nisi præservata fuisset, ut Mater Dei futura, illamque causam Deus suspendit, nè duceret Virginem in actum contractionis originalis peccati.

Trigesimò, per hanc viam tendit Petrus Trecelsus super Lucam, dicens: Unam nec maculam ....

Trigesimoprimò, per hanc viam tendit Hugo Provincialis super Lucam super illo verbo: *Ave gratiâ plena*, ubi probat MARIAM à triplice væ absolutam, scilicet, væ corruptionis, gravitatis & doloris. Hoc triplex væ incurrit Eva per peccatum, quod, inquit, omnes homines præter MARIAM jure hæreditario incurrebant.

Trigesimosecundò, per hanc viam tendit Alanus libro quinto de Antiros. dicens: MARIAM esse plenam gratiâ, & nesciam culpæ.

Trigesimotertiò, per hanc viam tendit Romanus Parisiensis in libro 6. de sacra Virgine, dicens: Quod Auctor honestatis sic liberè suspendit actum parentum Virginis,

Ne sex in fœtum fœda parentis eat,
Ne radix ramum violet, ne plantula robur,
Ne rivum damnet fontis inepta lues.

Et ita de formatione carnis, sic dicit:

Imperio natura Dei sic fabricat ædem,
Nec sex nec vitium, nec nota fœdat eam.

Et primo libro hoc probat per hoc quod Ave sonet sine væ & sine labe.

Trigesimoquartò, per hanc viam tendit Thomas de Argentina, Ordinis Fratrum Eremitarum 3. dist. 3. Sententiarum quæst. 1. ubi duabus præmissis conclusionibus tertiam corolariè infert, quod Virgo MARIA Mater Dei sine peccato originali concepta fuit. Prima sua conclusio hâc ponitur formâ Deus potuit Virginem Matrem præservare ab originali culpa: probat sic: Deus potuit semen, quo Virgo propagata est præservare à qualitate morbida, ex cujus connexione fœtus inficitur originali maculâ

culâ, ergo potuit Virginem præſervare ab hujuſmodi macula. Conſequentia patet, quia præventâ causâ prævenitur effectus, ſicut enim in paradiſo fuiſſent geniti homines ſine originali peccato propter puritatem ſeminis & carentiam hujuſmodi morbidæ qualitatis, ita Virgo de ſemine puro, & abſque illa morbida qualitate poterat propagari, quia aliter videtur quod non poſſet Deus ſtatuere hominem in ſtatu innocentiæ, ſicut fuerat Adam ante peccatum. Et antecedens principale probatur, nam virtute divinâ prius potuit ſeparari à poſteriori: maximè, ſi ipſum priùs ſit entitas abſoluta, ſed ſemen naturaliter eſt prius illâ morbidâ qualitate contractâ ex peccato primi hominis, & eſt entitas ſimpliciter abſoluta. Igitur confirmatur major, generalior eſt connexio naturæ ad proprium ſuppoſitnm quàm humani ſeminis ad illam morbidam qualitatem, ſed Deus poteſt humanam naturam ſeparare à proprio ſuppoſito, ſuam propriam ſuppoſitionem præveniendo: ergo præterea agens principale totaliter independens ab agente inſtrumentali quantùm ad ſubſtantiam & accidētia ſui effectûs ſive inſtrumentum ſit ſanum ſive ægrum, æqualiter poteſt producere effectum perfectum, ſi bonitas effectûs ipſius ædificationis in nullo dependet à dolabra, ſed ſolùm à voluntate ædificatoris, æquè perfectam poſſet ædificare domum producere mete dolabrâ obtuſa, ſicut mete acutâ, imò ſine ea, ſicut cum ipſa: ſed Deus eſt agens independens, ergo æqualiter poteſt producere mete naturâ corruptâ, ſicut incorruptâ, imò ſine ea, ſicut cum ea, ergo licèt natura humana corrupta & ſaucia facta eſt in primis parentibus æqualiter, tamen poteſt Deus Virginem facere abſque tali corruptione. ſecunda ejus concluſio ponitur iſta: decuit Dei Filium Virginem Matrem ab hujuſmodi macula præſervare. Probatur hoc, decuit Dei Filium in propria Matre obſervare, ad quod obligatur quilibet purus homo præcepto divino, ſed quicumq; filius poteſt matrem ſuam præſervare etiam à minori malo quàm fuit originalis culpa, ipſe ad hoc tenetur ex præcepto divino, quia aliter non honoraret Matrem, nec in maxima neceſſitate ei ſubveniret. Prætereà Anſelmus de conceptu virginali, 18. ait: nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tamquam ſeipſum deligebat, ita dare diſpoſuit, ut eſſet unus naturaliter communiſque Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ſubſtantialiter Filius ſibi in Matrem eligebat, ſed major eſſet puritas in Virgine intelligenda, ſi nunquam in maculâ originali fuiſſet

quàm si maculata fuisset, & posteà purgata, ergò nunquam maculam habuit, vel auctoritas est falsa. Ex iis corolariè infert, quod defacto Virgo Mater Dei sine originali peccato concepta sit, quòd corolarium ipse probat sic supponens cum Anselmo, quòd nullum inconveniens apud Deum est impossibile, tunc arguit sic; illud quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excusationē, si hoc fecerit non aliquo modo pro inconvenienti poterit imputari, sed Virginem præservare ab omni macula Dei Filium decuit, ut patet ex secunda conclusione, & ipse potuit, ut patet ex prima conclusione; ergò debuit. Hæc ille. Iis igitur patet prædicta conclusio probata, quòd immaculata Virgo MARIA in sua Conceptione originale peccatum non contraxerit, sed divinâ gratiâ ab omni originali, simul & actuali præservata fuit.

Hinc rationibus, quæ oppositum hujus videntur inducere hanc viam fide dignam sustinens, correctionique Matris Ecclesiæ seu ejus filiorum fidelium super iis melius determinantium me totum subjiciens satisfacturus declino. Primum quidem juxta prædicta patet, quòd Beatus Thomas de Aquino, qui oppositam opinionem sustinuit 3. distinct. 3. de lege loquitur communi: posteà tamem retractans in Tractatu super Ave MARIA, ponit MARIAM sine originali & actuali esse conceptam & communi lege exemptam, ut visum est supra, nec etiam rationes, quas adducit 3. dist. 3. concludunt. Primò enim vult, quòd Virgo ante animæ infusionem non potuit purgari vel sanctificari, quia quod non est, non potest sanctificari: & dico, quod non fuit sanctificata, sed præservata, ut nec in materia nec forma esset macula; & cum dicitur, quòd Christo singularis debetur conceptio, dico, quòd licèt tam Christi conceptio quàm MARIÆ Matris sit absque originali; tamen Christi conceptio adhuc est multipliciter singularis, quia ipsa fuit ex Spiritu sancto, MARIÆ verò Conceptio ex commixtione sexuum fuit, & decisione seminis, quamquam absque concupiscentiæ motu acta; differunt etiam quòad immunitatem à peccato, quia Christus per propriam virtutem, cùm fuerit Deus & homo, fuit conceptus sine peccato, sed Virgo non propriâ virtute, sed divinâ pietate fuit præservata à peccato: de alio, quod dicitur quod ante infusionem animæ non erat capax gratiæ, quia non erat rationalis creatura: conceditur, quod non erat pro tunc capax gratiæ actualis, vel disponentis ipsum subjectum, sed tamen loquendo de gratia præservante, quæ non inest subsantivè ipsi materiæ, sed quodammodo præservat materiam, nè contrahatur in ea morbida qualitas, quâ inficitur, benè

benè ſtat, quod pro tunc capax erat talis gratiæ præſervantis, quâ Deus quodam decenti reſpectu, reſpiciens eam Matrem futuram præſervavit. Ad hoc verò quod dicit, quod nec in inſtanti infuſionis, &c. Dico, quòd & ante infuſionem, ut jam dictum eſt, & in actu infuſionis fuit à macula præſervata, & quando dicit quod tunc non indiguiſſet redemptione Chriſti, quia omnis Redemptio eſt à peccato. Dico, quòd Chriſtus Virginem Matrem à tali macula præſervando non minùs, ſed glorioſiùs eſt Redemptor Virginis, quàm cujuſcumque alterius hominis: nam ſi corpus alicujus hominis eſſet ita diſpoſitum quòd non poſſet generare filium, niſi leproſum, ille qui adhibito remedio lepram generandæ prolis perfectè præveniret, non minùs hujuſmodi prolem à lepra redimeret quàm ſi prolem à lepra curaret poſt infectionem. Sic eſt in propoſito: Nam non minùs commendanda eſt medicina præſervativa quàm medicina reſtaurativa, & quamvis Chriſtus non redemit Virginem ſecundùm hanc viam à peccato, quod in ea fuit, quia nullum in ea fuit. Redemit tamen à peccato eam quod ei infuiſſet, niſi præſervata fuiſſet, & magis fuit meritum Chriſti reſpectu Virginis eam præſervando, quam ſi eam maculatam à peccato purgaſſet, ſi enim quis juvaret hominem, nè ſuſpenderetur, qui deberet ſuſpendi, & alius juvaret hominem ſuſpenſum, ut liberaretur, antequam in patibulo moreretur, non primus minùs diceretur Redemptor reſpectu illius, quem præſervavit, nè ſuſpenderetur, quàm alter reſpectu illius, quem poſt ſcandali & pœnæ fortè inflixionem liberavit ante mortem, imò magis: ſic eſt in propoſito. Igitur patet, quod præſervatio Virginis à peccato non tollit redemptionem Chriſti reſpectu Virginis, quin Chriſtus pro Virgine Matre & omnibus mortuus eſt. Quod autem dicit pro tertio eam ante nativitatem ſanctificatam in utero, ipſe ut dictum eſt poſt retractavit, nec ratio quam ad hoc adducit, plus concludit ſanctificationem ex utero quàm præſervationem à macula, quia ideò dicit eam ſanctificatam in utero, quia ſuper omnes Sanctos purior à peccato fuit. Modo certum eſt, quòd major in ea puritas eſſet, ſi ab omni macula præſervata, & nunquam impura fuiſſet, quam ſi aliquando quamvis in inſtanti impura, & poſt purgata & ſanctificata, igitur linquitur quod præſervata fuit & ſemper immaculata.

Ad rationes Sanctorum Doctorum convenienter dicitur: ad auctoritates Apoſtoli dicitur, quod omnes procedunt de lege communi, à qua lege MARIA fuit exempta, ut ſupra viſum eſt, ſimiliter dicitur ad auctoritates Auguſtini, nam ferè omnes eo modo procedunt de eo, quod ſe-

cundùm naturalem conceptionem hominis ſolet evenire. Et per conſequens illæ auctoritates non præjudicant Virginis glorioſæ privilegio ſingulari, quo Filius Dei in ſua Matre hanc maculam diſpenſativè prævenit. Sed fortè dicetur de hoc privilegio Virginis nulla fit in ſacra Scriptura mentio. Reſpondeo, quòd quilibet fidelis hoc piâ mente pro certiſſimo deberet præſupponere, quia cum ſacra Scriptura de ſanctificatione Joannis Baptiſtæ & Jeremiæ faciat mentionem, à majori præſupponitur Virginis ſingulare privilegium ſupereminens, quia cùm iſti ponuntur in utero ab originali ſanctificati, MARIA Virgo dignè creditur ab originali & actuali præſervata. Ad rationem illam Auguſtini ſuper Pſalmos: Solus *Inter mortuos liber*, &c. Et ſuper illud: *Induebam me cilicio*, quibus probat MARIAM mortuam propter peccatum, & non actuale, cum tale non commiſit, ergo originale, &c. Dicitur quod MARIA mortua eſt ſicut & cæteri Sancti propter peccatum, non ſuum, ſed primorum parentum, ita ſcilicèt, quòd ſufficiens cauſa præceſſit in Adam, undè Virgo contraxiſſet de maſſa illa propagata originalem maculam, niſi præſervata fuiſſet, & talis cauſa ab effectûs productione in Virgine præventa fuiſſet, ut palam probat Joannes de Ripa diſt. 3. tertii libri Sententiarum, ſicut viſum eſt ſupra, & ob talis privilegii eminentiam non decuit carnem ejus inquinari, quamquam à ſancta ejus anima ſolveretur, ut patet per Hieronymum de Aſſumptione. Ad auctoritates Hieronymi, Ambroſii & Leonis probantes quod ſolus Chriſtus eſt à peccato immunis conceditur de lege communi loquendo ad hunc ſenſum, quod ſolus Chriſtus fuit ſine peccato & cauſa peccati, quia peccare non potuit, nec caro ejus fuit in Adam ſecundùm rationes ſeminales, nec cauſa ſufficiens præceſſit in Adam, undè poſſet originale traduci in Chriſtum, & ideò ſolus ſine peccato modo prædicto venit, ut volunt auctoritates ipſorum. MARIA autem quamvis piè credatur à peccato immunis, in Adam tamen cauſa ſufficiens præceſſit, ut originale traduceretur in Virginem, niſi, ut decuit, divinâ diſpenſatione à tali præſervata fuiſſet, ut dictum eſt. Ad Beatum Gregorium, Chriſte Redemptor omnium, &c. Dicitur, quod ſicut dictum eſt ad rationem Beati Thomæ de Aquino: Chriſtus glorioſius redimit Virginem præſervando à macula quàm poſt maculam purgando, ſi maculam contraxiſſet. Ad Anſelmum dicitur quod ea, quæ ponit de Virgine libro Cur Deus homo, & de Conceptu virginali poſt aliter in Epiſtola retractavit, ut viſum eſt ſupra. Vel dicunt aliqui, quòd Anſelmus ibi loquitur inquiſitivè non determinabile, id eſt, in perſona

ſona diſcipuli non in propria perſona, cùm liber ille per modum dialogi ſit factus, ſed illud non videtur verum, quia ipſe Anſelmus in propria perſona reſpondendo quæſtioni Boſonis, ea quæ dicta ſunt, ponit, ſed ea poſt retractavit, ut dictum eſt. Ad Beatum Bernardum in Epiſtola Lugdunenſium, ubi vetat feſtum Conceptionis celebrari; dicitur, quòd non reprehendat eos, eò quòd crederent Virginem ſine originali conceptam, ſed ideò quod celebrabant Conceptionis feſtum ſine præcepto Summi Pontificis, quia nondum adhuc erat divulgatum ab Eccleſia, ut celebraretur feſtum Conceptionis Virginis glorioſæ, ſed ſicut ejus Nativitas diu fuit Eccleſiæ incognita, ita ut non celebraretur, & poſteà miraculosè oſtenſa & celebris habita eſt, ſic & ejus Conceptio diu hominibus incognita, nec celebris, poſteà miraculorum oſtenſione, & divino nitu propalata, celebris habetur in Eccleſia, quòd ſi adhuc Beatus Bernardus viveret miraculorum geſtu & divinâ inſpiratione attonitus ſub Eccleſiæ ordinatione eam devotè celebraret, & Virginem immaculatam prædicaret. Similiter dicitur ad dictum Hugonis de S. Victore. ad Damaſcenum dicitur, quòd MARIA non fuit purgata à peccato quod habuit, quia nullum tale fuit, ſed à peccato quod habuiſſet, niſi Spiritus ſanctus eam præveniſſet. Sicut matrimonium dicitur excuſare peccatum, non quod actu matrimoniali fuit, ſed quòd eſſet, ſi virtus matrimonii non adeſſet, ſic etiam ratio Magiſtri Sententiarum juxta Sanctorum atteſtationes procedit, quæ, ut dictum eſt, loquuntur lege communi, quæ ſecundùm naturalem modum conceptionis hominis ſolet evenire, ſed à tali lege MARIA creditur exempta, ut ſuprà viſum eſt. Ad Ockam dicitur etiam, quod procedit de lege communi, nec etiam ejus poſitio à Doctoribus communiter tenetur, quia communiter Doctores ponunt fomitem illum, ſi fuiſſet in Virgine, quod tamen minimè eſt credendum, ita fuiſſe extinctum, quòd nec poſſet inclinare appetitum Virginis in actum tendentem in peccatum mortale ſivè veniale, ſed potiùs credendum eſt eam, ut dictum eſt, ab omni fomite & peccato præſervatam. Ad rationem Hugonis Cardinalis de Oliva, quæ amara eſt in radice, dicitur; comparatio ejus peregrina eſt, & deficit tripliciter, primò, quia contra textum eſt, quia textus non dicit quaſi oliva ſimpliciter, ſed quaſi oliva fructifera ſub tali proprietate ſpecioſa, ſed oliva ut eſt in radice turpis; arguit ergo à ſpecioſa in turpem, ut ſi arguatur; Chriſtus eſt Leo fortis de tribu Juda, igitur eſt leo quærens quem devoret, nam oliva in quantum ſpecioſa figurat MARIAM, ſed in quantum turpis, abſit. Leo

in

in quantum fortis figurat Christum, sed in quantum devorans abſit, imò potiùs diabolum. Secundò deficit, quia est contra seipsum, quia per folia olivæ intelligit actus & habitus Virginis, sed folia sapiunt amaritudinẽ sicut & radix, licèt liquor sit dulcis, sicut oleum igitur habuit actuale peccatum sicut originale, quòd est contra eum. Tertiò, quia est contra veritatem, quia sicut oliva est amara in radice, ita & in fructu, licèt liquor sit dulcis, ergo amaritudo significat culpam, vel MARIAM in culpa, secundùm eum, & fructus Christum, sequitur Matrem & filium traxisse culpam secundùm hæresim Nestorii. Relinquitur ergo Virgo non in amaritudine peccati, sed in dulcedine & summâ puritate concepta. Ad Nicolaum de Lyra super illud Lucæ 1. *Spiritus sanctus*, &c. ubi dicit, quòd priùs Spiritus sanctus super Virginem venit in utero, eam ab originali purgando, &c. Dicitur quod statim subdit absque medio alteram partem quàm fide tenendam posuimus secundùm dicta: vel secundùm alios eam ab hujusmodi præservando committens electioni meliùs determinantis quam velit viam arripere: & per consequens ex verbis ejus nihil contra Virginem concluditur. Ad rationem Guillielmi Jordani cum arguit: omnis pœna justè inflicta, & non voluntariè accepta est ratio proprii peccati: breviter ergo rationem istam nego, nam cæcus natus habet pœnam non voluntariè acceptam, non tamen propter peccatum, quia non propter actuale, cùm tale nunquam commisit, nec originale, quia tunc æqualiter omnes cæci nasceremur, quia æqualiter originale contrahimus, nisi Deus vellet aliquem præservare, quod nulli concessum est, nisi Virgini, nec dici potest, quod propter peccatum parentum ejus cæcus nascitur, quia hoc est contra Evangelium, ubi Salvator dicit: *Nec hic peccavit, nec parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* Dicitur quod pœnalitates, quas Virgo habuit, ut sitim, esuriem, & paupertatem & mortem, &c. non propter peccatum habuit, sed ad augmentum meriti, ut mereretur effici Mater Christi. Ratio ergo ejus nihil contra Virginem concludit.

Ad alias rationes aliorum Doctorum: ad primam cum arguitur, quòd implicaret post lapsum primi hominis aliquem nasci, &c. sine peccato. Negatur, quòd implicaret: & ad probationem, quia quæ simul sunt natura quandocumque unum est priùs & alterum, dicitur quod susceptivum privationis & habitûs naturaliter est prius utique privatione, scilicèt & habitu. Ideò quamvis Deus sit causa extrinseca, tamen quia est potentiæ infinitæ, potest subjectum ponere sub habitu gratiæ in primordio suæ naturæ, ita quod nec tempore nec instanti præfuit sub privatione, etiam

minor

minor non est vera, scilicet quod in apto nato habere gratiam, &c. quia primus homo prius habuit carentiam gratiæ antequam peccaret, & fuit aptus ab eam recipiendam, & tamen nullam tunc habuit culpam nec ex se habere etiam carentiam gratiæ contradicit ei quod est habere gratiam ab altero, imò simul stant cum eo in eodem instanti, sed simpliciter materia naturaliter priùs est informis, quam formata, tamen nunquam est sine forma; sic dato, quòd B. Virgo ex se & pensatis propriis viribus fuisset informis & sine gratia, tamen ex Dei ordinatione nunquam fuisset sine gratia. Ad secundam rationem eorum cum arguunt, posità causâ ponitur effectus &c. dicitur quòd Deus si vellet posset quamcumque animam in primordio suæ creationis absolvere à debito habendi originalem justitiam, sicut in successu temporis ipsam absolvit mediante Baptismo fluminis, sanguinis, vel flaminis: & per consequens talis anima non minùs esset immunis ab originali culpa quàm anima baptizati hominis, etiam potest dici ad majorem, quòd posità causâ sufficienti, adhuc Deus potest suspendere effectum nè eveniat. Ad aliam rationem eorum cùm arguunt, si Virgo non fuisset concepta in originali peccato, cùm nunquam commisit actuale, tunc fuisset æqualis gradûs & dignitatis quoad immunitatem à peccato, sicut humanitas Christi, negatur consequentia, quia Christus per suam propriam potestatem, cùm fuerit Deus & homo, immunis erat à peccato, sed Virgo non propriâ potestate, sed virtute divinâ præservata fuit à peccato. Opinio verò illa, quæ ponit Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis in peccato fuisse, & in instanti immediatè post hoc & in toto tempore sequenti in gratia in hoc deficit, quia non sufficienter distinguit de formâ permanente & successiva, quia forma permanens ad minùs per duo instantia æqualiter se habent, puta nunc sicut priùs quod impossibile est dare in forma successiva, cùm ergo gratia sit forma permanens, ideò de sui ratione est, quod ubicumque ponitur, majorem habet durationem quàm per solum unum instans, & eodem modo dico de culpa sibi opposita.

Item, ex alio deficit, quia secundùm istos gratiæ infusio fit in instanti aut ergo inter instans, quo isti dicunt Virginem fuisse in culpa originali & instans quo gratiæ infusionem recepit, fuit tempus medium aut non: si primo modo, cùm tunc etiam secundùm eos culpa non expellatur, nisi per gratiæ infusionem, Virgo gloriosa fuisset, non solùm per instans, sed per totum tempus medium in culpa originali.

Si secundo, tunc duo subjecta immediatè consequenter se haberent, quod est impossibile, ut patet in libro Physicorum, & per hoc patet solutio.

Ad secundam rationem Henrici de Gandavo, quam adducit pro hac opinione de lapide descendente, & faba mota sursum, &c quia recessus ad ubi quod acquisivit in ultimo sui proprii motûs termino est per motum lapidis descendentis, qui quidem motus non mensuratur instanti, sed tempore, est enim necessarium, quòd tempus sequatur immediatè ipsum instans, sed inconveniens, quòd instans sequatur instans, sicut esset in proposito, eò quòd infusio gratiæ instanti mensuretur. Ad primam verò rationem ejusdem Henrici, quod decuit filium tam citò Matrem liberare, quàm citò fuit possibile, &c. Dicitur, quod magis decuit Filium Matrem præservare à peccato quàm post peccatum liberare, & hoc videtur convenientiùs modo, quo dictum est superiùs. Ad confirmationē cùm dicitur, Deus potest facere quod aliquis per solum, &c. Hoc antecedens negat Thomas de Argentina 3. distinctione 3. quæst. 1. & causam falsitatis assignat, quia si per solùm præfatum instans esset gratia, tunc non appareret quomodo posset desinere esse, quia in isto instanti non posset desinere esse, quia in eo incipit esse, nihil autem desinit in eadem indivisibili mensura, quâ incipit esse, nec in aliqua parte temporis sequentis, quia si solùm instans habet esse, tunc tempore toto sequenti purum nihil non desinit esse, quia omne quod desinit esse oportet, quod habet aliquo modo esse, à quo recedens desinit esse, ergo si in tempore desinit esse, tunc non habuit esse solùm per instans. Ad probationem dico, quia quamvis Deus liberè agat, & ejus actio non sit successiva, tamen effectus non patitur, quod aliqua natura, quæ est ens permanens producatur quæ solùm habeat esse per unicum instans, talis enim natura non esset actu ens, sed solùm in potentia, undè Commentator 8. Physicorum commento 28. super illo verbo Aristotelis: Inter duos motus contrarios oportet dare requiem mediam, ait, si aliquid motum ad albedinem, statim movetur ad formam oppositam, in illo subjecto non esset albedo, nisi in potentia. Sic in oppositō, si in Beata Virgine fuisset originale peccatum per solum instans, & statim mota fuisset ad formam contrariam seu mutata, puta, ad gratiam, ipsa nunqnam fuisset in tali peccato actualiter, sed solùm potentialiter. Nec negare volo juxta ea, quæ dicta sunt, quin possibilitas ad talem maculam præcessit in Virgine, ita scilicèt quòd sufficiens causa præcessit in Adam

dam, unde potuiſſet contraxiſſe maculam originalem, niſi divinâ potentiâ præventa fuiſſet, ut talis poſſibilitas nunquam ad actum fuerit reducta.

Alia etiam opinio, quæ ponit Virginem in primo inſtanti ſuæ Conceptionis in peccato, & in eodem inſtanti ab illo purgatam fuiſſe dividens inſtans in tria puncta, ut dictum eſt, non ſolùm deficit in hoc quod ponit Virginem in originali conceptam, verùm etiam modus ponendi videtur impoſſibilis: quia ſecundùm quod aliquibus dicitur & benè, illa diviſio inſtantis in ſigna, aut eſt diviſio in plura ſecundùm rem aut realiter differentia, aut ſecundùm rationem tantùm, ſi primo modo tunc indiviſibile ſecundùm rem erit diviſibile ſecundùm rem, ſed per inſtans omnes Philoſophi intelligunt menſuram indiviſibilem, ſi ſecundo modo, tunc gratia & culpa eſſent ſimul in eodem ſubjecto ſecundùm ſuum eſſe perfectum pro eadem indiviſibili menſura ſecundùm rem; & per conſequens pro eodem ſigno ſecundùm rem, quod eſt ſimpliciter impoſſibile. Prætereà cum aliqua plura ſunt idem ſecundùm rem quidquid eſt in uno realiter eſt in alio realiter; & quidquid non eſt in uno realiter non eſt in alio realiter, ſed primum ſignum prædictæ diviſionis & ultimum ſunt realiter idem, quia aliter eſſet dare minùs minimo in menſuris realibus, quod eſt impoſſibile: ergo culpa, quæ realiter eſt in primo ſigno ſecundùm eos, qui hanc ponunt opinionem, eſt realiter in tertio, quod ipſi negant, & gratia, quæ realiter ſecundùm eos in tertio ſigno eſt, realiter eſt in primo ſigno, quod ſimiliter negant.

Prætereà iſto modo nullus unquam ſibi ipſi nec alteri contradiceret, quia affirmatio poſſet verificari pro uno ſigno, & negatio pro alio. Nec ratio iſtorum, quâ nituntur opinionem ſtabilire concludit, quia quamvis effectivè expellens, & expulſum ſint aliquo modo ſimul hoc tamen non eſt verum de formaliter expellente, quia talis expellentis poſitio eſt concluſio ipſius expulſi, & ipſius præſentia eſt illius abſentia, & ideò talia nunquam ſunt ſimul, unde quamvis ex talibus quandoque componitur media qualitas, nunquam tamen ſecundùm ſuum eſſe formale ſimul eſſe poſſunt, cùm ergo gratia ſit culpæ expulſiva nec effectivè, ſed formaliter ut ex culpa & gratia poteſt aliquod unum componi, medians inter ea, ideò culpa & gratia nullo modo poſſunt eſſe ſimul, ita nec quæcumque alia contradictoria. Sed fortè dicent, quod culpa & gratia non ſunt oppoſita contradictorie, ſed ſolùm privativè.

Reſpondetur, quod pro eodem hic habetur, quia oppoſitio privativa adminus includit contradictionem, quamvis non è contrario, ſed ubicumque incluſa non poſſunt eſſe ſimul, ibi nec includentia poterunt eſſe tota cauſa repugnantiæ incluſorum reſervata in ipſis includentibus. Deficiunt etiam iſtæ duæ opiniones ultimæ in eo quod ſupponant Virginem glorioſam eſſe conceptam in peccato, quia Dei Eccleſia nullius hominis celebrat feſtum, niſi prout creditur ſibi competere ſanctitatem vel à peccato immunitatem, ſed ſancta Dei Eccleſia feſtum Virginis glorioſæ ſolemniter celebrat, &c.

Sed ad hoc quidam dicunt, quòd illud feſtum aut non benè fit, aut non benè nominatur, quia feſtum poteſt fieri de ejus ſanctificatione, ſed quia non eſt omninò certum quando ſanctificata fuit, certum eſt autem quando concepta fuit, ideò ponendo certum pro incerto vocatur feſtum Conceptionis, quod vocari debet feſtum ſanctificationis, & ideò Prædicatores Fratres, qui Virginem ponunt, ut dictum eſt, in peccato originali conceptam, ſed in utero ante Nativitatem purgatam & ſanctificatam, huic rationi innitentes, & prædictis opinionibus adhærentes in feſto Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ in præfatione miſſæ dicunt: *Et te in ſanctificatione Beatæ MARIÆ Virginis laudare, &c.* Sed iſta reſponſio primò deficit, quia natalem plurimorum Sanctorum colimus, de quibus tamen nullam habemus certitudinem, quâ die ab hac vita migraverunt, & nati ſecundùm æternam vitam in cœlum aſcenderunt, ſecundo deficit, quia Angelus miſſus à Deo ad Abbatem in mari periclitantem ad enuntiandum iſtud feſtum, ut præmiſſum eſt, non nominavit iſtud feſtum ſanctificationis, ſed feſtum Conceptionis, quod fecit, ut credo, ad inſinuandum omnibus hominibus Conceptionem glorioſæ Virginis pœnitus immaculatam fuiſſe, & expertem ab omni peccato, & expreſſit etiam Angelus multum determinatè tempus Conceptionis, quia ſexto Idus, ab illo enim die uſque ad ſexto Idus Septembris, quo die Nativitatem Virginis glorioſæ colimus, ſunt completæ novem menſes. Ex quo apparet, quod non loquebatur Angelus de die ſanctificationis, quia nec corpus nec anima Virginis illâ die fuerunt, niſi in ſua diſpoſitiva & ſeminali origine. Item patet, quod ſalvâ eorum reverentiâ non hæreticum reputari debeat, quod Virgo B. non fuit in peccato originali concepta, imò catholicè poteſt immunis à peccato prædicari, ex quo ſequitur Concluſionem Fratrum Prædicatorum legitimè debere

debere reprobari, cùm juxta prædicta Virgo fuerit immaculata ab omni originali præservata, & sic patet ejus Conceptio celebris declarata.

His igitur de Virginis gloriosæ Conceptione sub ejus veneratione breviter insertis ad pristinæ narrationis tela jure revertor.

TRACTATUS FACULTATIS THEOLOGIÆ Universitatis Parisiensis pro Immaculata Virginis Conceptione contra quasdam propositiones Fr. Joannis de Montesono, Ordinis FF. Prædicatorum.

INTRODUCTIO.

Apostolicis Petri verbis edocti parati semper ad satisfactionem, omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est fide, ad tuitionem ejus, quam profitemur fidei orthodoxæ. Et ut rationabilis quorumdam errorum condemnatio Parisius nuper facta, ac justificatio exortæ super hoc causæ, & adversantium omnium quicumque sint injusta irrationabilisque conquæstio, obloquutio atque vexatio singulis innotescat, præsentem Tractatum sub Apostolicæ Petri Sedis, & sedentis in ea Summi Pontificis correctione duximus compilandum. In quo universis Christi fidelibus, qui ipsum lecturi vel audituri

dituri ſunt, fideli ſupplicamus affectu, ut æquo animo purâque mentis acie proſpiciant univerſa. Nobis quoque ſuper verborum incultâ ruditate, ac inornatâ ſermonis prolixitate veniam præſtent. Fatemur ſiquidem apud doctos, & profundâ ſacræ Theologiæ ſapientiâ eruditos, ac ſimul pio fidei zelo, piâque veritatis, & Catholicæ Religionis affectione præditos pauciora ſubtilioraque ſufficere potuiſſe. Sed nec tot quidem, ac tam clara ac lucida verba ſatis eſſe poſſunt illis, quos Seneca ait: Malle errare quàm corrigi. Illis rurſus, quorum mentis oculos obtenebrat cæcum quoddam undequaq; adveniens noſtri odium atque veritatis, quæ licèt juxta Terentii Proverbium: Semper odium pariat, licèt multis ſemper multos inimicos genuerit, nobis tamen, quod eſt admiratione digniſsimum, in hac non tam noſtra quàm totius Eccleſiæ cauſa innumeros odioſos. Illis verò ſufficere reddidit & hæc utilia eſſe putamus, qui ignorantiâ & excuſabili fortaſsis errore ſeducti, agnitæ tamen veritati non repugnant & qui in bono uniti honeſtũ ſibi non contumelioſum arbitrantur, qui inſuper nec affectione perversâ, vel affectione damnabili, aut negligentiâ curandi ea, quæ Dei ſunt ad veritatis cognitionem & cognitæ tuitionem lapidei ſunt atque immobiles. Accedit & alia prolixitatis occaſio: & enim ut inflictio vulnerum atque zizaniorum ſatio, ſic errorum promulgatio perfacilis eſt, Curatio verò ac extirpatio multos dies & operam exigunt diuturnam. His igitur præmiſsis de auxilio primitùs invocato propoſitum opus ſic aggredimur.

Ad

AD honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, cujus fidei causam agimus, præsentem Tractatum adversus errores Fratris Joannis de Montesono, Ordinis Prædicatorum nuper in Parisiensi studio condemnatos ex deliberatione Universitatis studii Parisiensis, & specialiter Doctorum & Baccalaureorum Facultatis Theol. compositum in tria capitula distinguemus. In primo ad fundandum processum factum contra dictum fratrem per dictam Facultatem Theologiæ, ac etiam processum inde sequutum coram Domino Episcopo Parisiensi ad instantiam Universitatis prædictæ, declarabitur qualiter ad dictos Episcopum & Facultatem Theologiæ pertinet assertiones hæreticas vel in fide erroneas contra asserentes eas Parisiis condemnare. In secundo declarabitur. Et tam rationibus, quam auctoritatibus Sanctorum & Doctorum probabitur, quod assertiones dicti Fratris per scedulam dictæ Facultatis dicto Domino Episcopo traditæ, fuerunt rationabiliter condamnatæ. In tertio, quia Magister ac Procurator Generalis, & nonnulli dicti Ordinis fratres contra dictum Episcopum & sibi adhærentes ad S. Sedem Apostolicam appellaverunt inter memoratas dicti Fratris assertiones, ut præfertur condemnatas, aliquas ad Sancti Thomæ de Aquino pertinere doctrinam, quam asseruntper Ecclesiam approbatam, ideò declarabitur hujusmodi doctrinam Sancti Thomæ non sic approbatam esse, quòd propter eam oporteat antedictam condemnationem aut dicti Episcopi processum aliqualiter impedire.

Circa primum principale est hæc distinctio præmittenda, quod diffinitio circa ea, quæ sunt fidei, id est, approbatio alicujus veritatis tamquam catholicæ, vel reprobatio aut condemnatio oppositæ falsitatis tamquam hæreticæ, aut in fide erroneæ potest esse dupliciter: uno modo scholastice & doctrinalirer, alio modo auctoritativè & judicialiter. Et hic secundus modus est duplex secundùm quod hæc auctoritas judiciaria est bipartita; una est simpliciter suprema; alia est inferior & subordinata. Juxta hanc trimembrem distinctionem, quæ clara est. Sunt tres conclusiones fundamentales declarandæ, & deindè ex eis quædam aliæ subinferendæ. Prima erit de diffinitione judiciali & auctoritativa suprema. Secunda de inferiori & subordinata. Tertia de doctrinali & scholastica, & ipsarum probatio principaliter fundabitur in Jure divino.

Prima igitur conclusio est, quod ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt fidei judicialiter diffinire. Et hæc probatur, quia ad illius tamquam ad supremi judicis auctoritatem

ctoritatem pertinet in fide judicialiter diffinire, cujus fides nunquam deficit, ſed ſanctæ Apoſtolicæ Sedis fides nunquam deficit igitur, &c. Majôr eſt nota, ſed minor probatur, quia de hac ſancta Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea præſidentis, dictum eſt: *Petre rogabo pro te, ut non deficiat fides tua.* Lucæ 22. propter quod dicit Cyprianus 93. diſtinct. qui Cathedram. Quod qui Cathedram Petri, ſcilicèt, ſanctam Sedem Apoſtolicam ſuper qua fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat, & Hieron. 34. quæſt. 1. capit. quoniam vetus dicit, quod ſuper eam fundata eſt Eccleſia, & quod quicumque ſecum non colligit, diſpergit, & in capitulo, hæc eſt fides, dicit quod ipſa ſemper immaculata permanſit, & in futuro permanebit, & immobilis omni tempore perſiſtit. Ex quibus omnibus ſatis patet, quod ejus fides nunquam deficit, quare, &c. Et ideò in principio hujus operis proteſtamur, quod quidquid in eo dicturi ſumus huic ſanctæ Sedi, & ſedenti in ea Summo Pontifici ac ejus judicio & correctioni humiliter ſubjicimus, imitatores Beati Hieronymi, qui in eodem capitulo ita ſcribit: hæc eſt fides, Pater Beatiſſime, quam in catholica Eccleſia didicimus, in qua ſi minùs perite aut parùm caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Et hæc de prima concluſione.

Secunda concluſio eſt, quod ad Epiſcopos catholicos pertinet auctoritate inferiori & ſubordinatâ circa ea, quæ ſunt fidei, judicialiter diffinire. Et hoc probatur, quia ad eos judiciali auctoritate inferiori & ſubordinatâ in fide diffinire. Ad quos pertinet conſimiliter auctoritate Eccleſiam regere, ſed ad Epiſcopos catholicos pertinet ſecundum, igitur & primum. Major patet, quia Eccleſiæ Regimen maximè concernit fidem, & ideò cui jure divino committitur Eccleſiam Regere ei eodem jure committitur de fide cognoſcere & judicare. Sed minor probatur auctoritate Pauli actuum 2. capit. ubi dicit: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos Regere Eccleſiam Dei*, &c. Undè patet, quod jure divino & auctoritate Spiritûs Sancti Epiſcopi poſiti ſunt ad Regimen Eccleſiæ Dei. Regimen autem importat judicialem auctoritatem, ergò ſequitur quod ad eos pertinet auctoritate judiciali, inferiori & ſubordinatâ, & ſupremæ auctoritati ſubjecta Eccleſiam regere, & per conſequens de fide cognoſcere, & in ea diffinire, undè quod de tali Regimine ad fidem pertinente loquatur Apoſtolus, ex hoc patet, quia ibi hortatur Epiſcopos adversùs hæreticorũ fidem ſubvertentium nequitiam vigilare, nam immediatè ſequitur. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſ-

cessionem meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate, &c. Et ideò exemplo Pauli Summus Pontifex & Generale Concilium sub gravium communicatione pœnarum ad vigilem hæreticæ pravitatis expurgationem alios hortantur Episcopos, unde Extra. De hæreticis. In capitulo exco mmunicamus, in fine sic concluditur. Si quis enim Episcopus super exp rgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit vel remissus, ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere pravitatem, hæc autem non posset Episcopus, nisi haberet in hac parte judicialem auctoritatem, & ideò ibidem præmittitur, quod Episcopus debet hæreticos ad suam præsentiam convocare, & canonicè punire, & in capitulo ad abolendam eodem titulo dicitur, quòd pertinet ad Episcopos per Diœceses suas hæreticos judicare, & quod ipsi errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis debent publicè abjurare, quodque etiam illi, qui fuerunt à Diœcesani jurisdictione exempti, nihilominùs in his, quæ sunt contra hæreticos instituta Episcoporum subeant judicium, & eis in hac parte tamquam à Sede Apostolica delegatis non obstantibus libertatis suæ privilegiis obsequantur. Ex quibus omnibus satis patet, quod tam jure divino quàm humano ad Episcopos pertinet hæreticos & pravitatem hæreticam judicare, & per consequens assertiones hæreticas condemnare judicialiter, & auctoritate judiciaria veritates catholicas diffinire. Et hæc de secunda conclusione.

Tertia conclusio est, quod ad Doctores Theologos pertinet determinatione doctrinali & scholastica circa ea, quæ sunt fidei, doctrinaliter diffinire. Et hæc conclusio probatur, quia ad illos pertinet ea, quæ sunt fidei, per modum doctrinæ determinare, & doctrinaliter diffinire, ad quos pertinet sacram Scripturam docere, & ex ea hæreticas assertiones & in fide erroneas reprobare, ac veritates catholicas approbare, sed ad Doctores Theologos pertinet secundum, igitur & primum. Major patet, quia doctrinalis determinatio vel diffinitio fidei maximè innitur Scripturæ sacræ, & meritò, nam cùm fides sit Dei donum secundùm Apostolum ad Ephesios secundo capitulo, debet inniti tamquam ejus principali fundamento ipsi sacræ Scripturæ, quæ est à Spiritu sancto juxta illud, *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines*, secundâ Petri primo capitulo. Sed minor probatur, & primo, quod ad Doctores Theologos pertineat sacram Scripturam docere ex cujus nomine manifestum

est

eſt, cùm Theologia, de qua loquimur, nihil aliud ſit quàm ſacræ Scripturæ doctrina, quod autem ad eoſdem pertineat ex huiuſmodi doctrina S. Scripturæ aſſertiones hæreticas & in fide erroneas reprobare, ac veritates catholicas approbare manifeſtè patet, quia doctrina S. Scripturæ nihil aliud eſt quam doctrinalis aſſertio, & manifeſtatio eſt veritatis catholicæ approbatio, quia qui aliquid aſſerit verum, approbat illud tamquam verum. Approbatio autem alicujus veritatis eſt reprobatio vel condemnatio contrariæ falſitatis, quia qui aliquam approbat veritatem, per conſequens contrariam reprobat falſitatem, ſicut qui præcipit unum contrarium per conſequens prohibet aliud, ut notat Gloſſa Decretorum in capitulo primo; igitur doctrinalis aſſertio veritatum catholicarum, per quamdam conſequentiam eſt reprobatio ſeu doctrinalis condemnatio hæreſum contrariarum. Cùm igitur per Theolog. veritates catholicæ doctrinaliter aſſerantur, ſequitur, quod per eamdem hæreſes contrariæ doctrinaliter condemnantur juxta ſententiam Apoſtoli: *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum & ad increpandum, ad docendum* quidem, id eſt, ad approbandum veritatem, & *ad increpandum & arguendum*, id eſt, ad condemnandum falſitatem, ſecundæ ad Timoth. tertio: & ſic habetur propoſitum. Quod autem hæc doctrinalis poteſtas, ut auctoritas Doctorum Theologorum magna ſit, & merito venerabilis in Eccleſia Dei manifeſtum eſt ex auctoritate Apoſtoli, qui inter Dei dona Officium Epiſcoporum, qui ſuccedunt loco Apoſtolorum, & Officium Doctorum connumerat: *Alios*, inquit, *dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios autem Doctores*, &c. ad Epheſios 4. capit. Ex qua auctoritate concluditur extra de hæreticis in capitulo, Cum ex injuncto, & in capitulo, ſicut quod Doctorum ordo eſt quaſi præcipuus in Eccleſia. Quod autem de Doctoribus Theologis hoc debeat intelligi, ex hoc clarè patet, quia ibidem ex illo antecedente, quod Doctorum ordo eſt in Eccleſia quaſi præcipuus, hoc conſequens ſubinfertur, quod non debet ſibi quiſquam indifferenter prædicationis officium uſurpare, juxta illud Apoſtoli: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* ad Romanos 10. capit. Conſtat autem, quod officium prædicationis eſt maximè proprium Theologiæ, ſicut & expoſitio Scripturæ ſacræ, & per conſequens patet, quod Doctorum Theologorum officium eſt quaſi in Eccleſia præcipuum. Dicitur autem non ſimpliciter, ſed quaſi præcipuum propter officium Epiſcoporum, quod majus eſt. Et ideò licèt Epiſcopale & doctrinale officium convenienter ſimul in eadem perſona concurrant, quia valdè conveniens eſt, ut ea-

dem persona simul possit judicialiter, & sciat doctrinaliter circa ea, quæ sunt fidei definire, tamen quantum est ex parte Ordinis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, hæc duo Officia sunt ad invicem distincta. Et probatur eodem capitulo cùm ex injuncto, ubi ab hoc propositum dicitur, quod sicut multa sunt membra corporis omnia verò non eundem actum habent, ita sunt Ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium. Et causa subditur, quiâ secundum Apostolum: *Alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores.* Ex quibus omnibus satis patet, quod ad Episcopos, & ad Doctores Theologos quantum est ex parte officii vel Ordinis Ecclesiastica aliter & aliter pertinet circa ea, quæ sunt fidei diffinire, quia ad Episcopos judicialiter, ad Theolgos autem doctrinaliter pertinet, sicut pulchrè notat Gratianus, & hæc de tertia conclusione.

Ex prædictis conclusionibns apparet responsio ad principalem articulum, scilicet, quod ad Episcopum Parisiensem, & ad Theologiæ Facultatem pertinet assertiones hæreticas aut in fide erroneas contra asserentes eas Parisiis condemnare, quia per secundam conclusionem patet, quod hoc ad Episcopum pertinet diffiniendo judicialiter: & per tertiam conclusionem patet, quod ad Faculatem Theologicam pertinet diffiniendo doctrinaliter. Sed adhuc ad magis fundandum propositum tres aliæ conclusiones ex præmissis sunt subinferendæ.

Quarta igitur conclusio est, quod ad dictos Episcopum & Facultatem Theologiæ pertinet non solùm conjunctim, sed divisim modis prædictis assertiones hæreticas aut erroneas condemnare, licèt tamen quinque rationabiliter consueverunt in hujusmodi condemnatione conjunctim procedere. Prima pars saltem patet ex prædictis, & etiam apparet argumento à simili ex capitulo per hoc extra de hæreticis libro 6. ubi dicitur quod per ipsos Episcopos & inquisitores de eodem facto fidei procedi potest communiter & divisim. Secunda pars patet, quia Episcopi Parisienses & Theologiæ Doctores conjunctim & communicato invicem consilio pro majori veritatis confirmatione, & roboris firmitate solent errores condemnare, sicut patet ex litteris Stephani Episcopi & aliorum Episcoporum Parisiensium super articulis Parisiis condemnatis. Et etiam hoc apparet ex communi protestatione, quæ solet fieri in actibus Theologicis, quâ scolastici protestantur nihil dicere quod cedat in favorem articulorum Parisiis per Reverendos Episcopos & Magistros in Theologia damnatorum, & hæc condemnatio conjunctim facta est rationabilis

lis & juri consona juxta capitulum, ad abolenda, in extra de hæreticis, ubi dicitur, quod Episcopi per Diœceses suas cum consilio Clericorum debent hæreticos judicare, quod maximè de Clericis Theologis est intelligendum, cùm ad eos maximè pertineat cognitio fidei, & Catholicarum veritatum. Et hæc de quarta conclusione.

Quinta conclusio est, quod ad dictam Facultatem Theologiæ contra certas personas, scilicèt, contra singulares Magistros & Baccalaureos eidem Facultati juratos, pertinet quandoque non solùm doctrinaliter, sed etiam aliquo modo judicialiter assertiones hæreticas aut erroneas condemnare. Et hæc conclusio probatur ex triplici radice.

Prima igitur probatio fundatur ex concessa eis potestate, quia ex privilegiis à Sede Apostolica seu à Summis Pontificibus concessis Universitati Parisiensi, quælibet quatuor Facultatum ejusdem, & non minùs Facultas Theologiæ habet quemdam politicum Ordinem ad sua singularia suppositа. Et per consequens quamdam judiciariam potestatem circa ea, & maximè circa sua suppositа eis jurata, per quam judiciariam potestatem Magistros & Baccalaureos sic juratos tamquam eis subjectos judicialiter possunt astringere, & communiter astringunt, ut statutis & ordinationibus suis, quæ utilitati & honori suo congruere noscuntur, obediant, & sub certa pœna & juramentis interpositis inviolabiliter observant, prout hæc omnia clarè patent ex privilegio Innocentii, quod incipit, Quoties pro communi utilitate, & ex privilegio Alexandri, quod incipit: Quasi lignum vitæ, & horum privilegiorum judiciariâ potestate maximè uti debent in his, quæ scholasticos actus concernunt. Sed ultra hoc Facultas Theologiæ non solùm à jure humano, sed à jure divino habet potestatē doctrinaliter diffiniendi circa ea, quæ sunt fidei, & assertiones contra fidem erroneas condemnandi, sicut patet ex tertia conclusione, ergo dicta Facultas partim ex privilegio, partim ex Jure divino & humano habet potestatem, ut assertiones sic per eam doctrinaliter condemnatas cogat judicialiter sub certa pœna & vigore præstiti juramenti publicè in actibus scholasticis revocari, quando scilicèt per Magistros & Baccalaureos eidem juratos assertiones hujusmodi dogmatizare contigerit. Et hic est intellectus conclusionis prædictæ.

Secunda probatio ejusdem conclusionis fundatur in observata consuetudine, quia dicta Facultas præmissa observavit, & eis uti consuevit à tanto tempore, quod de contrario hominum memoria non existit, & ideò cùm dicta consuetudo non sit veritati aut rationi contraria, est in-

violabiliter observanda, juxta dictum Augustini quarto libro de Baptismo parvulorum, & habetur octavâ distinctione, capitulo, Frustrà: Si, inquit, consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri, igitur conclusio vera.

Tertia ejusdem conclusionis probatio fundatur in publica utilitate, quia enim, ut cavetur in prædicta distinctione, capitulo, Veritate. Et capitulo sequenti, & capitulo ultimo. Si solus, & prout in præallegato capitulo dicit Augustinus: Ratio & veritas consuetudini præponenda est. Item, dicta consuetudo debet ratione fulciri, hoc autem non potest melius fieri quàm ostendendo, quod sit consona publicæ utilitati, nam ratio publicæ utilitatis in Jure tam divino quàm humano singulariter ponderatur. Constat autem, quòd non solùm esset contra privatam utilitatem singulorum Magistrorum & Baccalaureorum Theologicæ Facultatis, sed etiam contra totius Christianitatis utilitatem publicam, si Magistri & Baccarei hujusmodi, qui inquisitioni catholicæ veritatis in actibus scholasticis insistunt, quandoque eos in hujusmodi inquisitione errare contingeret, essent ad judicium ordinarium Episcoporum convocandi, & ibi solùm de suis erroribus corrigendi, quia per hoc ab inquisitione & exercitatione scholastica, quæ est pro fidei defensione, & totius Ecclesiæ utilitate publica instituta retraherentur, cùm tamen ad hæc debeant provocari, & ideò sequitur, quod sic non solùm privatæ, sed publicæ utilitati consonum, ut priùs per suam Facultatem doctrinaliter corrigantur, & per eam, si opùs est ad suorum errorum emendationem judicialiter compellantur, quòd si obedire noluerint, ulteriùs ad Episcoporum judicium recurrant, & si nec per eos voluerint emendari post hanc binam correctionem tamquam hæretici evitentur juxta illud Apostoli ad Tytum tertio capitulo: *Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita.* Et hoc de quinta conclusione.

Sexta conclusio est, quod ad superiorem judicem pertinet processum per dictos, Episcopum & Facultatem Theologiæ factum, nec sine magna & notabili causa favorabiliter impedire, nec appellationi contra eos in causa fidei interjectæ sine matura deliberatione & prævia informatione deferre. Et hæc probatur, quia aliter dicti Episcopus & Facultas Theologiæ, ac etiam eorum exemplo, alii Episcopi retraherentur à processibus in causa fidei, & efficerentur negligentes & remissi in expugnando fermentum hæreticæ pravitatis timentes labores, vexationes, expensas, damna & incommoda ex impedimento superiorum judicium

& in

& in proſequutione litigioſarum appellationum. Sed ſuperiores judices non debent Epiſcopos & alios inferiores ab impugnatione hæreſum & hæreticorum occaſione præmiſſarum retardare, ſed eos potiùs ad oppoſitum provocare, & negligentes & remiſſos ſub pœna depoſitionis à ſuis officiis ad diligentiam exhortari, ſicut patet ex conſtitutione Generalis Concilii Extra de hæreticis in capitulo, excommunicamus ſupra allegato. Et ideò de appellationibus frivolis, per quas non refugium, ſed diffugium juſtitiæ quæritur, ſcribit Beatus Bernardus ad Eugenium Papam libro 3. Appellantes, inquit, boni à malis appellant, ut non faciant bonum, nè illicita audeant prohibere. Et ſequitur paulò poſt; uſurpatoriæ autem ſunt omnes hujuſmodi appellationes, non ſubvenientes neceſſitati, ſed opitulantes iniquitati. Et propter hoc, ut idem ait, magno in eis & pio opùs eſt intuitu, nè quod magna fuit neceſſitate proviſum, malè utendo reddatur inutile. Appellationes ſiquidem eodem teſte fovendæ ſunt, ſed quas extorſit neceſſitas, non quas calliditas adinvenit. Ad hoc igitur debet judex ſuperior adducere, & maximè in cauſis fidei, quia ubi eſt majus periculum, ibi cautius eſt agendum. Et hæc ſint dicta de ſexta concluſione.

Ex prædictis concluſionibus ad propoſitum applicatis patet luce clarius juſtificatio proceſſus facti contra dictum fratrem Joannem, ſicut apparet in ſingulis articulis.

Primus igitur articulus eſt, quod cum dictus Frater inducendo infraſcriptos errores Pariſiis in ſcholis publicè dogmatizaverit, & coram Facultate Theologiæ evocatus per Decanum ejuſdem Facultatis charitativè monitus, ipſos corrigere recuſaverit, proteſtans eos uſque ad mortem velle defendere, dicta Facultas errores hujuſmodi potuit, & meritò debuit doctrinaliter condemnare.

Prima pars, ſcilicèt, quod hoc potuit, patet ex tertia concluſione. Et ſimiliter ex quinta concluſione ſatis apparet, quod hoc non ſolùm de Jure poteſt, ſed etiam de conſuetudine, quæ loco Juris habetur, ut notat Gloſſa de præſcriptionibus c. 1. l. 6. Sed ad majorem confirmationem prædictorum hoc iterùm probatur tam ratione quàm multiplici auctoritate: primò ſic, ad unumquemq; artificem pertinet circa ea, quæ artis ſuæ cognoſcere, & ea, quæ hujuſmodi arti conveniunt approbare, & quæ diſconveniunt condemnare. Sed Doctores Facultatis Theologiæ ſunt artifices ſeu ſapientes in arte ſacræ Scripturæ, igitur ad eos pertinet circa errores hujuſmodi artem tangentes cognoſcere, & eos artificioſè ſeu doctrinaliter

ctrinaliter condemnare. Major patet in omnibus aliis artibus & artificiis,& etiam satis clarè apparet Ecclesiastici 38. ubi inter alia ad propositum dicitur: *Unusquisque sapiens est in arte suâ*; per quod innuitur, quod non in aliena. Hoc autem non minùs locum habet in arte sacræ Scripturæ quam in aliis artibus, cum ipsa secundùm Gregorium, sit ars artium, quia ad eam pertinet regimen animarum. Sed minor supponitur, quæ etiam satis patet ex approbatione Doctorum Theologiæ & potestate eis collata auctoritate Petri & Pauli in sua licentia Magistrali, igitur, &c. Item, propositum declaratur multis auctoritatibus & exemplis, nam Facultas Theologiæ per multos Catholicos Tractatores ante determinationem Ecclesiæ doctrinaliter determinavit istas propositiones esse catholicas, & oppositas esse hæreticas, Pater non generat divinam essentiam, divina essentia non generat Filium, divina essentia non generat essentiam, sicut patet primo Sententiarum distinctione quintâ, ubi dicit Magister in capitulo 1. Catholicis tractatibus consentientes, &c. Et infra. Sed hæc ita determinamus, & sic determinatio Magistralis Ecclesiæ determinationem processit, sicut patet in capitulo damnamus de Summa Trinitate & fide catholica. Sic etiam Athanasius in quantum Doctor Theologus composuit Symbolum fidei per modum cujusdam doctrinæ, quæ doctrina per modum Symboli, & quasi regula fidei auctoritate Ecclesiæ posteà est recepta, sicut dicit Sanctus Thomas Secunda Secundæ quæstione primâ, articulo ultimo in fine. Item, inter actus, qui pertinent ad Doctores Theologiæ, unus est principalis, errores doctrinaliter condemnare, secundùm Augustinum quarto de doctrina Christiana cap. 1. ubi dicit, quod debet divinarum Scripturarum Doctor & Tractator, defensor rectæ fidei ac debellator errorum & bona docere, & mala dedocere, id est, doctrinaliter reprobare. Item, prædicta Facultas hoc licite potuit contra Summum Pontificem, igitur à fortiori contra suum subditum & inferiorem: Assumptum patuit tempore Joannis XXII. quia sicut refert Magister Nicolaus de Lyra in Tractatu suo de Visione beatifica, ferè quadraginta dictæ Facultatis Magistri concorditer determinaverunt contrarium illius, quod Papa publicè asserebat, & simile fecit dictus Magister, & simile contra eum pulchrè scripsit Magister G. Ockam, ut patet in ejus Dialogo, quæ omnia, quo ad hoc fuerunt reputata licite facta, sicut apparuit tempore Benedicti XII. illius Successoris, nec debet malum judicari, quod subditus sic possit licitè reprehensione charitativa corrigere Prælatum, sicut patet nonâ quæstione

tertiâ

tertiâ. Si autem & notat Joannes undecimâ quæſtione 3. Nolite & 2. quæſtione 7. præſumunt, & maximè talis charitativa correctio locum habere debet in materia fidei, ſicut patet per exemplum Pauli Doctoris, qui reprehendit Petrum, Galatarum 2. ſuper quo dicit Sanctus Thomas Secunda Secundæ quæſtione 33. artic. 4. in reſponſione ad ſecundum articulum, quod ubi immineret periculum fidei etiam publicè eſſent Prælati à ſuis ſubditis arguendi, unde & Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter hoc eum publicè arguit, & ſicut ibi dicit Gloſſa Auguſtini. Ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi fortè rectum tramitem reliquiſſent non dedignentur etiam à poſterioribus corrigi. Item, nec Papa nec Doctores Juris Canonici, ſi non ſunt Theologi, circa ea, quæ ſunt fidei aliquid catholicè diſcutiunt, vel authenticè determinant ſine Theologorum doctrinali determinatione prævia, cum Papa in hæreſum condemnatione conſueverit reddere Theologicam rationem, ſicut fecit Alexander III. extra de hæreticis, cùm Chriſtus. Et Innocentius III. de Summa Trinitate, capitulo, ſi damnamus. Et quandoque hujuſmodi rationem Papa vel alii condemnatores hæreſum in ſua condemnatione non reddunt, in aliis tamen ſcriptis tacite vel expreſsè eam reddere conſueverunt, in talibus autem rationibus Theologics alii non Theologi, quamvis in Jure Canonico peritiſſimi in Gloſſis & Tractatibus ſuis à Doctoribus Theologis mendicant, ſicut patet de Joanne Andreæ, & ſpecialiter in capitulo, ad Noſtrum de hæreticis. In Clementinis, & quando aliter faciunt, eos nimirum errare contingit. Et ideó patet, quod ad Doctores Facultatis Theologiæ, imò ad unum Doctorem ſolum, ut prætactum eſt, poteſt pertinere errores in fide doctrinaliter condemnare, quare doctrinalis condemnatio prædicta per totam Facultatem concorditer facta, multum debet reputari.

Sed ſecunda pars hujus articuli, ſcilicet quod dicta Facultas hoc non ſolùm facere poſſit ſeu potuit, ſed etiam debuit, ſequitur ex prima, quia ſibi hoc ex officio incumbit, maximè contra ſubditos, imò quod etiam in omnes indifferenter hoc notat Auguſtinus quarto de doctrina Chriſtiana ubi ſupra, quia dicit indiſtinctè quod Doctor divinarum Scripturarum debet mala dedocere: unde etiam Doctoribus Theologis ſub parabola dicitur Matthæi 5. Quod debent accendere lucernam, & ponere ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt, nec abſcondere ſub modio, & ſicut Matt. 35. dicitur: *Cavere eos oportet nè pro talento abſcondito judicentur*, & nè eis conveniat illud improperium Prophetæ: *Univerſi ca-*

nes muti non valentes latrare, quia sicut dicit Hieronymus in Epist. ad Oceanum: Latratu canum, id est, Doctorum, luporum rabies deterrenda est, id est, hæreticorum, nam si contra eos veritatem non defendat eam opprimere arguuntur, quia veritas cùm minimè defensatur, opprimitur, ut dicit Innocentius 83. distinct. capitulo error. Et sicut dicit Leo Papa Extra de hæreticis: Qui alios cùm potest ab errore non revocat seipsum errare demonstrat, & ideò Facultas Theologiæ debet de errore reprehendi & de damnabili negligentia culpari, si errantes ad viam veritatis non revocaret & maximè subditos suos & domesticos sibi juramento conjunctos, juxta illud Apostoli primæ ad Timotheum 5. *Si quis suorum & maximè Domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Undè patet, quod illi sunt valdè præsumptuosi, qui Magistros dictæ Facultatis propter prædictam condemnationem de præsumptione culpare nituntur. Et hæc de primo articulo.

Secundus articulus est, quòd dicta Facultas Theologiæ coassumptis sibi Magistris aliarum trium Facultatum Universitatis Parisiensis dictos errores priùs per eas examinatos, & doctrinaliter condemnatos meritò debuit Domino Episcopo Parisiensi tamquam judici ordinario judicialiter denuntiare. Et hoc clarè patet ex secunda conclusione, & ejus probatione. Sed adhuc in literis dictæ Universitatis ad hoc assignatur ratio specialis, quia ibi dicitur, quod nè prædictorum errorum frutices altius profundiusque radices agerent, darentque simplicium pedibus offendiculum Decanus singulique dictæ Facultatis Magistri Theologiæ, ut de more habent, obviare curaverunt, & prædictum Joannem ad se accersitum primitùs secundùm Evangelicam doctrinam secretè inter eos, & charitativè, ut erratis resipisceret, monuerunt.

Sed comperta ejus pertinacia, quâ asserebat usque ad mortem suas se defensurum conclusiones ex injuncto & non sine magno, ut aiebat, consilio positus.

Comperta postmodum mendosa ejus illusione, nam illo tunc quo jure jurando pollicitus erat dicta sua ad prædictæ Facultatis arbitrium retractare, minimè comparuit.

Tandem post examinatam diligenter ac longissimo temporum tractu rei veritatem nedum per seipsos, qui ampliùs quàm triginta erant, sed per suos etiam sufficientiores Baccalaureos Evangelico parentes consilio dixerunt reliquis trium Facultatum suppositis, tamquam fratribus suis, quos nihilominùs idem Joannes audire non curavit.

Quam-

Quamobrem prænominatæ Facultatis Theologicæ Magistri tribus aliis Facultatibis sibi coassumptis & coadjunctis nunciaverunt Ecclesiæ. Ex quibus patet triplex ratio denuntionis prædictæ, quam secreta & charitativa monitio præcessit, licèt tamen hoc non esset necessè, sicut patet ex doctrina Sancti Thomæ Secunda Secundæ, quæstione 33. articulo 7. ubi docet, quod peccata publica, sunt publicè arguenda, juxta illud Apostoli ad Timotheum quinto: *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis, ut Augustinus dicit in libro de verbis Domini, & consimiliter in peccatis occultis, quæ non solùm sunt in malum peccantis, sed in nocumentum proximi, nec solùm in nocumentum unius personæ singularis, sed totius multitudinis periculum, ibi non habent locum illa verba Domini, *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. quia tunc frater peccans non peccat in te tantùm, sicut ibidem dicit in responsione ad tertium articulum.

Tertius articulus est, quod dicta Facultas in Scholis suis Theologicis, & dictus Episcopus in locis suæ Diœcesis prædictorum errorum dogmatizationem, publicationem aut defensionem sententialiter inhibere potuerunt, ac debuerunt judicialiter prohibere: prima pars patet ex 5. conclusione & ejus confirmatione, sed iterùm confirmatur, quia quandocũq; aliquis subjicit suæ jurisdictioni altius ille potest contra sic sibi subjectum, & in eo, in quo sibi subjicitur jus & sententiam dare tam in jurisdictione contentiosa, quàm in arbitraria, ut de primo patet ff. de judiciis, si est receptum, de secundo Extra. De arbitris. Cùm dilectus, imò si Papa vel Imperator sic se subjiceret, quis posset contra eos jus & sententiam dare, ut notat Accursius supra prædictam legem, est receptum. Sed quilibet Magister & Baccalaureus Facultatis Theologiæ in actibus scholasticis subjicit se eidem, & profitetur & protestatur stare sententiæ Magistrorum, sicut notum est, & hoc idem fecit iste frater in actibus suis, ubi prædictos errores dogmatizabat & publicabat. Quod utique rationabiliter fieri consuevit, ut ostensum est in quinta conclusione, cùm etiam ad dictos Magistros pertineat scire quomodo fides plus opituletur, & cõtra impios defendatur, sicut dicitur tertio Sententiarum, distinctione 35. & arma militiæ suæ habeant discernere omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, ut dicit Hieronymus in Prologo Bibliæ, igitur, &c. Secunda pars patet ex secunda & quarta conclusionibus & probationibus earumdem. Et hoc potuit Episcopus, non tamquam Judex ordinarius, sed etiam tamquam à Sede Apostolica delegatus, sicut patet in

fine capituli. Ad abolendam, de hæreticis. Igitur sequitur propositum.

Sed huic articulo opponuntur tria, quæ ponit dictus frater in supplicatione sua seu querela Domino Papæ exposita, in qua ferè tot sunt mendacia, quot sunt verba.

Primum est, quia aliquæ conclusionum suarum trahuntur ex doctrina Beati Thomæ, quam Facultas Theologiæ aliàs expressè commendavit, & Dominus Stephanus Episcopus Parisiensis per suas Litteras approbavit.

Secundum est, quod Dominus Urbanus Papa V. per Bullam Universitati studii Tolosam scripsit, & voluit ejusdem Sancti doctrinam tamquam benedictam & catholicam sequi, & teneri à Christicolis & studiosis, & eam pro viribus ampliari.

Tertium est, quod solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare & approbare, undè posteà concludit, quod dictus Dominus Episcopus apponens falcem in messé Summi Pontificis dictas conclusiones pronunciavit & decrevit falsas, hæreticas & erroneas, & causam ibidem subdit, quia ista, quæ tangunt fidem, sunt de majoribus Ecclesiæ causis, & quæ ad solum Summum Pontificem pro examinatione & decisione deferri debent. Ex quibus sequi videtur, quod nec Episcopus nec Facultas prædicta, conclusiones præmissas potuerunt judicialiter damnare nec earum dogmatizationem aut publicationem, vel defensionem sententialiter cohibere. Ad illa autem faciliter respondetur, unde ad primum respond. Universitas in suis litteris patentibus, Nos, inquit, millesies diximus, & ut videmus non sufficit, qualiter Sancti Thomæ doctrina in dicta nostra commendatione nequaquam reprobamus, sed hunc ejusque fautores doctrinam ejus ad distortum fideique absonum sensum apostatantes, aut ultra quam fieri debet contra ejusdem Doctoris documentum dilatantes condemnamus, audacter asserimus, & hæc clarè patebunt ex dicendis in secundo & tertio capitulis, ubi manifestè probabitur quod prædictæ erroneæ conclusiones non trahuntur ex doctrina Sancti Thomæ, sed magis contrariantur eidem.

Ad secundum respondetur, quod ex prædicta Bulla Domini Urbani, vel ex præallegata littera Domini Stephani Episcopi, aut alia quaque littera authentica non potest sufficienter concludi, quod Sancti Thomæ doctrina sit in omnibus approbata, sicut clarè ostendetur in tertio capitulo hujus Tractatûs: & ad hoc adjiciunt aliqui talem rationem, quia

illa

illa doctrina non potest sic esse in omnibus approbata, quæ multa continet in fide erronea, sed ut dicunt, prædicta Sancti Thomæ doctrina non solùm in materia de absoluta necessitate creaturæ, de qua præsenti controversia inferiùs in tribus ultimis conclusionibus tertii capituli specialiter tractabitur, sed etiam in pluribus aliis multa continet in fide erronea, quod declarant, nam in prima parte Summæ quæst. 47. artic. ultimo in responsione ultimi artic. dicit, quod non est possibile aliam terram esse quam istam, quia omnis terra naturaliter ferretur ad hoc medium, ubicumque esset, & notum est, quod non loquitur de potentia naturæ.

Item, infra eadem quæstione 50. articulo ultimo dicit, quod impossibile est, duos Angelos esse unius speciei, & quod impossibile est, esse plures albedines separatas à subjectis, quæ videntur esse contra articulum de Omnipotentia Dei, & contra veritates creditas circa Sacramentum Altaris.

Item, infra quæstione 78. articulo 3 & articulo 6. & in quæstionibus disputatis tenet articulum de Unitate formæ substantialis in homine, qui est decimus quartus articulus quintæ partis de Evangelio æterno damnatus per Alexandrum.

Item, ex hac opinione Thomæ de Unitate formæ, sicut dicit Magister Guillielmus Ockam in Dialogo suo, aliquæ conclusiones sequuntur, quæ in Anglia fuerunt scandalosæ, scilicèt, quod Corpus Christi non fuit idem numero vivum & mortuum, & hoc concedit Sanctus Thomas in quæstionibus disputatis, quæstione quadragesimâ, de cima tertiâ, quod non fuit simpliciter, unde ultra sequitur, quod caro mortua, nunquam fuit viva, & quod corpora Sanctorum mortuorum nunquam fuerint corpora Sanctorum viventium, & ideò Reliquiæ corporum Sanctorum nunquam fuerunt partes corporum viventium, nec corpus Christi, quod fuit vulneratum in cruce jacuit in sepulchro, quæ omnia sunt absurda.

Ex quibus & aliis pluribus erroribus, contra quos quidam Doctores speciales composuerunt Tractatus, concludunt isti, quod hujusmodi doctrina non potest in omnibus esse approbata. Nec hoc obstat ejus sanctitati vel canonizationi, quia non obstante glorioso martyrio Cypriani, ipse erravit in fide, sicut patet quarto Sententiarum distinctione sextâ, & infra dicetur capitulo 3. Unde sanctitas vitæ non infert universaliter sanctitatem doctrinæ, sicut patet de Papia Martyre, qui fuit patronus sectæ hæreticæ.

Unde ex his omnibus inferunt, quod prædicta approbatio Urbani V.

ni V. non est hujus doctrinæ approbatio universalis, tamquam doctrinæ utilis & in multis probabilis, sicut doctrina Papæ magistraliter dicta solùm habet auctoritatem magistralem, sicut Dominus Innocentius quarto de suo apparatu testatus est. Sed de hac materia copiosius infrà dicetur in tribus primis conclusionibus tertii capituli, & ideò brevius pertransimus.

Ad tertium objectum respondetur, primò, quod nec Facultas Theologiæ nec Episcopus prædicti conclusiones præmissas sententialiter seu judicialiter damnaverunt, sed solùm earum publicationem & dogmatizationem inhibuerunt. Primum patet de Facultate Theologiæ, quia in principio scedulæ magistrorum dicitur, quod ipsi diffinierunt & declaraverunt quantum in eis est propositiones prædictas inferiùs annotatas forè publicè denunciandas in scholis & sermonibus sub forma inferiùs contenta in casu, quo dictus magister nollet parere mandatis ejusdem Facultatis. Ex quibus patet, quod solùm diffinierunt & declaraverunt scholasticè & doctrinaliter, quod notatur per hoc, quod dicitur, quantum in eis est, quia talis scholastica & doctrinalis diffinitio maximè ad eos pertinet, & hoc etiam patet, quia in dicta diffinitione non apponitur judicialis pœna, scilicet, privationis vel suspensionis ab actibus scholasticis, quod facere poterant, sed solùm dicitur, quod in casu, quo dictus magister nollet parere eorum mandatis, quod propositiones essent publicè inhibendæ.

Secundum patet, scilicet, de Episcopo, quia in ejus sententia non pronuntiat, vel decernit prædictas præpositiones esse falsas, hæreticas & erroneas, sicut dictus frater mendosè conqueritur, sed dicit, ordinamus, præcipimus & mandamus, quatenùs nulli de cætero præsumant dictas quatuordecim propositiones publicè prædicare, dogmatizare, &c.

Secundò dicendum, quod aliud est, aliquas propositiones sententialiter & judicialiter condemnare, & aliud est eas seu earum dogmatizationē & defensionem ex causa rationabili inhibere, quod patet, quia nullus potest propositiones veras & catholicas sententialiter condemnare, & tamen aliquis potest sic judicialiter inhibere hujusmodi veritates. Et hoc probatur, quia omne illud, quod potest à subditis licitè prætermitti, potest ex causa rationabili à prælatis & jurisdictionem habentibus subditis inhiberi, quia in talibus licitis & honestis oportet subditos obedire, quod colligitur ex sacris Canonibus, secundâ quæstione tertiâ, capitulo si autem. Et capitulo, Si quis. Et capitulo absit, sed aliquas veritates non

dogma-

dogmatizare, vel publicè defendere, aut docere quandoque licitum est, imò expediens, & ideò quandoque licitum est Prælatis interdicere aliquas veritates ex causa rationabili, scilicèt ad vitandum scandalum vel periculum, & si non omnibus aut pro omni tempore saltem aliquibus personis, & pro aliquo tempore possunt inhibere, nè veritates etiam catholicas docere præsumant, sicut dicit Apostolus: *Meliori docere non permitto*, Et Christus in Evangelio: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Et omnibus, nisi ad hoc missis inhibetur Evangelii prædicatio aut publicatio; dicente Apostolo: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ex quibus patet, quòd licèt non ad prædictam Facultatem vel dictum Episcopum, sed ad solum Summum Pontificem pertineret dictarum conclusionum judicialis condemnatio, quod tamen pars adversa non probat, tamen ex hoc non sequitur, quod ad eos non pertinerit dogmatizationis & publicationis earum judicialis inhibitio propter scandalum ex earum publicatione Parisiis notoriè generatum, & hoc sufficit ad propositum.

Tertiò dicendum est, quod illud, quod frater ad suæ appellationis fundamentum principaliter assumit, scilicèt, quod solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare & reprobare, & iterùm, quod eorum, quæ tangunt fidem ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio hujusmodi in quantum continet manifestam hæresim, & est dictum sibiipsi repugnans, & contrarium, & ideò propter hoc solùm etiamsi nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum debet cogere ad revocandum.

Et istud declaratur primò supponendo, quid sit Sedes Apostolica, nam vel ipsa est universalis Ecclesia vel aliquod generale Collegium, universalem Ecclesiam repræsentans, ut particularis Ecclesia Romana, in qua, scilicèt Ecclesia sedet, id est, cui præsidet Summus Pontifex, & ideò ipse & Sedes Apostolica non sunt idem, sicut non idem sunt, sedens & sedes. Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circa fidem aliquid declarare, & reprobare, quod ad solum Summum Pontificem hoc non pertinet; & è contra, si ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ sunt fidei examinatio & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet: & sic apparet, quomodo in illo dicto est manifesta repugnantia. (*Hæc & sequentia cautè lege.*)

Item, hoc tertium dictum manifestè repugnat primo dicto ubi asserit quod Stephanus Episcopus Parisiensis & Facultas Theologiæ approbaverunt

runt doctrinam Sancti Thomæ. Ex quo sequitur, quod nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ sunt Fidei, declaratio, decisio, vel approbatio.

Item, secunda pars illius dicti, scilicet, quòd ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & decisio continet manifestam hæresim, imò multas hæreses: primò, quia per illam exclusionem excluditur universalis Ecclesia & generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum, quia in causa fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium generale, sicut patet 19. distinctione capitulo, Anastasius: & manifestum est, quod ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei diffinitivè se habere, sicut patet ex auctoritate Gregorii 15. distinctione, Sicut.

Secundò, quia per illud excluditur Sedes Apostolica, ut dictum est, quod est contra ipsum, & est etiam manifestè hæreticum.

Tertiò, excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione & decisione eorum, quæ sunt fidei, quod est contra Jus tam divinum quàm humanum, sicut clarè patet ex secunda conclusione.

Quartò, quia per illud excluduntur Doctores Theologi à doctrinali examinatione & decisione veritatum fidei, quod est hæreticum, sicut patet ex tertia conclusione, & ex dictis ex secundo articulo hujus capituli.

Quartò dicendum est, quòd licèt non ad solam Sedem Apostolicam, vel ad solum Summum Pontificem pertineat causarum fidei omnimoda examinatio vel decisio, sicut declaratum est, tamen ad hujusmodi Sedem & sedentem in ea Summum Pontificem, pertinet hujusmodi causarum suprema jurisdictio, seu judicialis diffinitio. Et hæc propositio patet ex prima conclusione hujus capituli. Unde juxta hujus conclusionis doctrinam, tam Facultas quàm Episcopus prædicti in hac materia, suam diffinitionem vel ordinationem tamquam inferiorem & subordinatam huic sanctæ Sedi, & ejus supremæ ordinationi supposuerunt. Ideò in scedula Magistrorum ponitur prædicta, clausula diffinierunt, & declaraverunt quantum in eis est, per quam reservatur cujuslibet superioris auctoritas, & maximè Apostolicæ Sedis. Et in sententia Episcopi dicitur, Salvâ semper in omnibus sanctæ Sedis Apostolicæ ordinatione, reverentiâ & honore.

Sed adhuc contra prædicta objicitur, quia licèt ad aliquem inferiorem

rem Papâ pertineat vel pertinere poſſit hæreſes manifeſtas & explicatas judicialiter condemnare, in quo caſu videntur procedere illa, quæ dicta ſunt in ſecunda & quinta concluſionibus. Tamen videtur, quod nec Epiſcopus nec Facultas aut alius Papâ inferior poſſit condemnare judicialiter & ſolemniter hæreſes implicitas, de quibus inter litteratos, & in ſacris Litteris eruditos eſt quæſtio vel dubitatio, quales videntur concluſiones prædictæ vel ſaltem earum aliquæ, quas Facultas Theologiæ condemnavit.

Et ad hoc videtur ratio & auctoritas conſonare, irrationabile enim apparet, quod Epiſcopus Pariſienſis, qui quandoque non eſt Theologus nec in ſacris Scripturis peritus, poſſit opiniones Doctorum ſententialiter condemnare.

Item, ad hoc eſt auctoritas Innocentii Papæ in capitulo. Quotiens, vigeſimaquartâ quæſtione primâ, ubi ait: Quoties ratio fidei ventilatur arbitror omnes Fratres & Coëpiſcopus noſtros, niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctoritatem referri debere. Et ibidem dicit Gloſſa aliud eſt quæſtionem de fide motam terminare, quod nulli præterquam Romanæ Sedi permittitur, ſicut hic dicitur: Aliud eſt ipſam ſine definitione ventilari, quod Primates & Patriarchæ facere poſſunt, ſicut ibi continetur. Et poſteà Gloſſa objiciens dicit: videtur contra. Extra de hæreticis. Ad abolendam. Nam ibi innuitur, quod illi ſunt vitandi tamquam hæretici, quos ipſi Epiſcopi vitandos eſſe dixerint.

Sed die, quod illud intelligendum eſt, quando tale quid dicunt, quod certum eſt eſſe hæreſim. Hîc verò tamen dubium eſt. Cui concordat Gloſſa 80. diſtinct. capit. 2. ſuper verbo fide, ubi ait: ſed expone, hic in fide, id eſt, fideliter, ut poſſit agitare cauſas fidei, ſed non procedere ad ſententiam. Ex quibus omnibus patet, quod nullus inferior Papâ poteſt determinare ſententialiter quæſtionem motam de fide, præcipuè quando litterati dubitant, & contrarium opinantur. Ad quod concordat Innocentius III. Extra de Baptiſmo & ejus effectum, majores, ubi dicit majores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidem tangentes ad Petri Sedem referendas, &c. Et ad hoc etiam facit ei fidei fundamentum de Summa Trinitate & fide Catholica in Clementinis.

Sed ad iſtud reſpondetur: Et primo dicendum eſt, quod omnia iſta jura loquuntur de cauſis ſeu quæſtionibus fidei terminandis & diffiniendis judicialiter, & ideò in nullo faciunt contra Facultatem Theol. quin poſſit concluſiones etiam apud aliquos litteratos dubias ſcholaſticè termi-

nare, & doctrinaliter diffinire antequam ad Sedem Apostolicam referantur, sicut supra ostensum est in primo articulo hujus capituli.

Secundò dicendum est, respondendo ad quæstionem nunc factam, quod nec Episcopus Parisiensis, nec alius quicumque non Theologus nec in sacris Scripturis peritus potest aut debet sine Theologorum Concilio opiniones Doctorum Theologiæ in fide dubias, & non manifestè hæreticas sententialiter seu judicialiter condemnare.

Tertiò dicendum est, quod non obstantibus prædictis juribus, Episcopus Parisiensis, vel alius de Concilio Facultatis Theologiæ, seu Doctorum S. Scripturæ potest tales opiniones, si ostendantur esse contra fidem, sententialiter condemnare, imò in casu hoc potest sola Facultas Theol. sicut patet ex quarta & quinta conclusionibus & earum probationibus.

Quartò dicendum est, ad omnia illa jura, quòd intelligenda sunt de judiciaria diffinitione vel sententia suprema. Sed per hoc non tollitur, quin aliqui inferiores Papa possint hujusmodi quæstiones terminare, & judicialiter diffinire diffinitione & sententiâ inferiori & subordinatâ, sicut patet ex dicti. & dicendis, ac etiam ex Bulla Domini Urbani V. inferiùs allegata, ita quod suprema diffinitio Papæ Catholici, qui est universalis Episcopus, omnes & ubique obligat, & ideò hujusmodi diffinitio dicitur sententia absolutè & simpliciter, sed subordinata diffinitio Episcoporum Catholicorum inferiorum non sic universaliter obligat, & ideò non dicitur diffinitio vel sententia, nisi secundùm quid, & sic diffinire vel sententiare, vocat ibidem Glossa ventilare, quia non est simpliciter terminare, cum hoc tamen stat, quod obligat suos subditos secundùm quid, scilicèt quousque per Sedem Apostolicam vel Summum Pontificem aliter fuerit sententiatum & diffinitum. Et suppositò, quod talis inferior sententia vel diffinitio non obligaret in casu ad credendum, quia staret in casu, quod illud sic diffinitum esset hæreticum, tamen obligat ad oppositum non dogmatizandum vel publicè docendum in Diœcesi Episcopi sic diffinientis. Et sicut dictum est de Episcopis, sic dicendum est de aliis personis vel Collegiis ad hoc potestatem vel auctoritatem habentibus respectu suorum subditorum. Et hæc de 3. artic. ex quo & aliis duobus præcedentibus, alii tres sequentes articuli concluduntur.

Quartus igitur articulus est, quod Universitas studii Parisiensis rationabiliter petit, & Domino Papæ supplicat, ut frivolæ appellationi dicti fratris minimè deferatur nec propter eam falsam & mendosam ejus aut suorum fautorum informatione in dicti processus per ipsam Facultatem

tem Theologiæ, & dictum Episcopum facti quomodolibet impediantur, & ad hoc facit sexta conclusio hujus capituli, quia etiam sicut dicitur de appellationibus, cùm specialiter appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum.

Quintus articulus est, quod etiam dicta Universitas petit rationabiliter & supplicat, ut causa Parisiis terminanda, & dictus frater ibidem puniendus remittatur, undè quantùm ad istos duos articulus in litteris Universitatis Summo Pontifici supplicatur quatenùs adversariorum susurrationibus aures non præbeat faciles, nec adversus latam sic justè & maturè, ut præmissum est à judice ordinario sententiam nobis priùs non auditis ullam vel levem suspicionem admittat, sed potiùs huic causæ non tam nostræ quàm suæ, vel ut veriùs dicamus, causæ Dei ac Catholicæ fidei pium ac debitum favorem exhibeat, & quod sine prolixis litium ambagibus & absque processibus diuturnis, qui nobis studioque nostro nocentissimi sunt, præsens terminet negotium ad nos prædictum Joannem de Montesono remittendo.

Ad hoc autem triplex ratio ibi assignatur. Prima ratio, quia sic aliàs in simili casu factum est, scilicet, per Dominum Urbanum Papam V. ut infra dicetur.

Secunda ratio, ut ibi puniatur ubi delictum perpetravit, & ubi insanæ perversæ ac erroneæ doctrinæ seminator extitit, fiat per revocationem ejusdem extirpator.

Tertia ratio, quia alioquin verisimiliter formidandum erit, quod deinceps apud judices ordinarios nemo compellatur erroneas assertiones suas revocare, dubitabunt enim per varias appellationes per processus longos per graves expensas vexari, ac per falsas accusationes in fama aut aliàs lædi, quod quam magnum & apertum esset in fide periculum ac moribus, satis notum est.

Et hoc hujusmodi processum, & litigiorum pericula, prout in quibusdam aliis litteris dicitur nobis jam docuit experientia. In illa, scilicet, causa justissima, qua adversus nequissimum servitutis jugum nobis per quemdam Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium impositum laboriosissimè certavimus. Ibi enim scivimus & graviter jam dudum experti sumus, quod nonnullos de suppositis nostris, qui nobis ad negotia nostra ardua peragenda prosequendaque propitii utiles ac pœnè necessarii existunt, adversantes nobis, infamare nituntur sperantes exindè quidquid dicta supposita aut egerint aut dixerint reddere superioribus odiosum ac in hanc

eos opinionem inducere, quod ex paucorum dumtaxat odio, invidiâ, ambitione aut aliâ quâvis vitiosâ radice nostra prosequuntur negotia. Et licèt semper falsa, nunc tamen falsissima est hæc accusatio. Nulla quippè causa, tam sincerè, tam concorditer, tam modestè tractari potuit, nulla maturius terminari.

Quarta ratio, in eisdem ultimis litteris tangitur, quia videtur quibusdam fortassis non ineptè, quod attentis his quæ dictus frater in consistorio publico se dixisse confessus est quòd Romana Ecclesia & Summus Pontifex actionem contra eum faceret, & tamquam contra de hæresi suspectum procederet ex officio, plus quàm nos pauperes, & in bassis Ecclesiæ Sedibus constituti.

Quamquam etiam ex dicto consistorio multa alia & sanè aliter quàm apud nos dogmatizavit, ut ipsemet aliqualiter confitetur, & ut calumniæ locus omnibus præcludatur nobis etiam tacentibus sufficere possent ad nostræ causæ justificationem, illiusque condemnationem ea, quæ in judicio fuisse, per eum intelleximus exhibita. Ex quibus omnibus rectè consideratis non debet esse mirum si petamus, ut præmissa judicis ordinarii sententiâ quousque clarâ atque solidâ veritate concludatur reprehensibilis in suo vigore teneatur, & etiam ut ad euitandum præmissos labores expensas, damna & incommoda remittatur Parisiis terminanda.

Undè ad confirmationem omnium præmissorum, ad ostendendum specialiter, qualiter aliter in simili, imò longè minore casu similiter factum est, subjiciendæ sunt hic aliquæ clausulæ ex quadam Bulla Domini Urbani V. transumptæ, quæ sic incipit: Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Joanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, olim Episcopo Belluacensi salutem, &c.

Prima igitur clausula ad propositum faciens, est narrationis principium, quia factâ narratione qualiter olim Dionysius Soulechat, Ordinis Fratrum Minorum professor in studio Parisiensi, & in suo principio Sententiarum multas conclusiones tenuit minus sanas, &c. Ibidem sequitur, super quibus ipso Dionysio dilectis filiis Cancellario, & Magistris in Theologia studii prædicti de lato, ipsi Magistri suum in hac parte debitum exequentes super hoc congregati quampluries, quia eis constitit tum ex inspectione dicti principii, per ipsum Dionysium propria manu scripti, tum etiam per informationes & probationes multimodas super hoc ab eis ritè probabitas conclusiones prædictas tenuerat. Præfati Cancellarius

cellarius & Magiſtri concluſionibus ipſis cum exacta diligentia maturoque Concilio recenſitis, earum aliquas hæreticæ nequitiæ fermento infectas, nonnullas verò Eccleſiaſticæ determinationi contrarias, & multas earum ſcandali cauſativas concorditer decreverunt, & conſequenter narratur qualiter eidem inhibuerunt & interdixerunt, nè Legendi exerceret officium, &c. Et poſteà dicitur qualiter condemnaverunt eundem ad earumdem concluſionum revocationem.

Ex quibus patet: primò ex illo verbo ſuum in hac parte, debitum exequentes, quod Magiſtris in Theologia ex debito officii incumbit doctrinaliter cognoſcere de concluſionibus contra fidem.

Secundò, quod non ſolùm doctrinaliter, ſed etiam judicialiter, ſcilicet ſubjectos ſuos tales concluſiones aſſerentes per inhibitionem lecturæ puniendo, & ipſos ad revocationem ſententialiter condemnando.

Tertiò patet, quòd hoc non ſolùm poſſunt in concluſionibus non ſolùm manifeſtè hæreticis aut determinationi Eccleſiæ contrariis, ſed etiam in ſcandaloſis.

Quartò patet modus procedendi, quem debent obſervare, etiam judicialiter in probationibus circa talia adhibendis. Unde ſi ipſi Theologiæ Magiſtri iſta diligenter non exequerentur, ut infra dicitur, poſſent in negotio fidei de negligentiæ culpa notari; & hæc clarè faciunt ad confirmationem prædictorum.

Secunda clauſula eſt, quia ibidem dicitur, quod prædictus Dionyſius ſuper revocatione prædictarum concluſionum ſuarum per dictos Magiſtros cum omni inſtantia requiſitus id facere pertinaciter denegans ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Ex quo patet, quod appellatio ad Sedem Apoſtolicam denegantem errores ſuos revocare & obedire ordinationi Magiſtrorum Theologiæ à pertinacia non excuſat, & per conſequens hoc multò magis poteſt dici in propoſito, ubi ordinationi Facultatis Theologiæ acceſſit ad róboris firmitatem ſententia Epiſcopi Pariſienſis, quod nondum factum fuerat in caſu prædicto, ut ibidem patet.

Tertia clauſula eſt, quia poſteà ibi dicitur, quod idem Dionyſius ſuper hujuſmodi negotio ſeu cauſa dilectum filium Hugonem Sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem auditorem ſibi obtinuit delegari, quod hujuſmodi legationis obtentu ad nonnullos actus dicitur proceſſiſſe, quos non quia prætermiſſione judiciarii Ordinis ſeu formæ mandati aut in ſe laboraverit defectu, ſed quia dicta delegatio, utpotè ſubreptia, & ob impetrata nullam ſibi tribuat vel tribuere potuerit poteſtatem,

decrevimus irritos & inanes, & eos quatenùs consistebant judicialiter duximus retractandos, &c. Et infra: & totum negotium ad vestrum & dictæ Sedis examen duximus revocandum. Ex quo patet, quod consimiliter fieri debet in proposito cum supplicatio dicti fratris sit subreptitia, utpotè continens multa mendacia Parisiis notoria, imò ut dictum est, cùm in ea contineatur hæresis manifesta.

Quarta clausula est, quia ibi sequitur. Attendentes igitur, quod hujusmodi negotium seu causa attentis circumstantiis universis commodius poterit tractari Parisiis, quàm in Romana Curia prælibata circumspectioni tuæ, de qua in his & aliis fiduciam gerimus in Domino specialem, tenore præsentium committimus & mandamus, quatenùs circa revocationem errorum prædictorum per ipsum Dionysium assertorum faciendam per eum, ac circa pœnas eidem Dionysio pro juramentorum & promissionum transgressionibus infligendam, necnon emendam præstandam ab illo & correctionem ipsius ascitis tibi, & in hoc assistentibus Cancellario prædicto & Magistris in Facultate prædicta de ipsorum Concilio legitimo per dictum Stephanum Cardinalem tunc Episcopum & Inquisitorem habitis & servatis processibus, appellatione remotâ, præviâ ratione procedas, faciens quod decreveris auctoritate Apostolicâ per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, &c. Et infrà: Cæterum, ut ejusdem Dionysii nunc in Romana Curia constituti per te haberi possit copia personalis, nos eidem Dionysio in dicta Curia constituto personaliterq; apprehenso sub excommunicationis pœna, quam si nostro hujusmodi non pareret mãdato eum incurrere voluimus, & volumus eo ipso mandari fecimus, quod primâ die mensis Aprilis proximè futuri tuo conspectui se personaliter repræsentet ex tunc in hujusmodi causis processurus usque ad diffinitivam sententiam inclusivè, ac facturus & recepturus, quod ordinaverit tua discretio & concilium antedictum, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo Kalendas Januarii, Pontificatûs nostri anno septimo. Ex quibus patet, qualiter sit in hoc negotio consimiliter procedendum, nam exemplum hujus Sanctissimi Pontificis est non immerito à suis posteris imitandum.

Secundò patet, obstante sententiâ vel ordinatione Facultatis Theologiæ, quod ipsa non est in præsenti causa à judicio ulteriori vel Concilio excludenda.

Tertiò, patet qualiter dictus frater est Parisiis remittendus, & ibidem puniendus.

Sextus

Sextus articulus eſt, quod dicta Pariſienſis Univerſitas rationabiliter petit & ſupplicat, ut dictus frater tamquam hæreticus vel de hæreſi vehementer ſuſpectus, carceri mancipatus ſub cuſtodia teneatur. Undè quantum ad hoc in præfatis litteris Univerſitatis dicitur, quod ipſe, nè fautorum ſuorum, quicumque ſint, fretus auxilio & conſilio ductus abſcedat, eſſet clauſo carceri mancipandus.

Et ratio eſt, quia ſi fugitivus diſcederet, dicti Epiſcopus & Univerſitas in ſuis laboribus, damnis & expenſis irriſoriè fraudarentur.

Secundò honor fidei minimè ſervaretur, quia per ipſum Pariſiis, & in Romana Curia perpetratum non repararetur.

Tertiò, quia per appellationem ſuam à pertinacia, & per conſequens ab hæreſi non excuſatur, ſicut patet ex ſecunda clauſula prælegata ex Bulla Domini Urbani, imò ex dictis & factis ſuis in proſequutione dictæ appellationis magis pertinax convincitur, cùm ipſe aſſerat condemnationem ſuam eſſe, & condemnatores ſuos tamquam hæreticos puniendos, ut patet in ſecundo lib. propoſitione nona, & aliqualiter in propoſitione decimaquarta, hoc autem eſt magis pertinaciæ ſignum, quod ſic oſtenditur. Ille, qui judicium ſubterfugit pro nocente debet haberi, ſicut patet. Extra de præſumptionibus. Nullus, ubi dicitur: Nullus dubitat, quod ita nocens judicium ſubterfugit, quemadmodum qui eſt innocens, ut abſolvatur, quærit. Concordat capitulum Chriſtianus 13. quæſt. 1. & idem colligitur ex capitulo, Decernimus 3. diſtinctione honoratus. Iſte autem illorum correctionem, quorum intereſt, ſubire recuſans non ſolùm judicium ſubterfugit, ſed etiam judicantes tamquam hæreticos puniendos aſſerit, & per conſequens pertinax & hæreticus eſt cenſendus, & ad hoc facit capitulum cum contumacia de hæreticis libro 6. Item, talis cùm non ſit paratus corrigi, imò correctoribus injurioſus, eſt tamquam hæreticus judicandus, ſicut trahitur ex verbis Auguſtini 24. quæſt. 3. cap. dixit Apoſtolus: Talis enim quia malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, ſicut dicitur Joannis 3. & per conſequens ipſe, qui non venit ad lucem diſcuſſionis & judicialis examinis, & maximè ad hoc ſufficienter evocatus, nec rationabiliter excuſatus incurrit malitiam pertinaciæ, & præcipuè quando impedit judicium fieri, imò Judices etiam nititur diffamare. Hæc autem pertinacia magna eſt nequitia juxta capitulum, Quid autem 24. queſt. 3. ubi idem Leo Papa, quid autem iniquius eſt quàm impia ſapere, & ſapientibus, Doctoribuſque non credere, &c. Ex quibus omnibus clarè patet juſtificatio proceſſuum

cessuum per præmissam Facultatem & dictum Episcopum in præsenti fidei causa factorum, ac etiam principalium conclusionum per universitatem studii Parisiensis à Summo Pontifice petitarum. Et hæc de primo principali dicta sufficiant.

CIrca secundum principale, in quo declarandum est, quod assertiones dicti fratris per scedulam Theologiæ Facultatis dicto Domino Episcopo traditam fuerunt rationabiliter condemnatæ. Præmittendum est unum præambulum generale, quod in aliquibus dictarum assertionum, & earum condemnatione est necessariò prænotandũ, videlicet, quod licet aliqua propositio vel assertio possit habere aliquem sensum verum, tamen potest rationabiliter condemnari tamquam revocanda propter alium sensum falsum in ea vel in ejus probatione intellectum. Et hæc suppositio præambula, & alia in hoc capitulo declaranda probabuntur tam rationibus quàm auctoritatibus Sanctorum & Doctorum, & specialiter ex dictis S. Thomæ de Aquino, ut pars adversa, quæ ejus doctrinam, falsè & inaniter sequitur, sic convincatur evidentius, & sicut Goliath proprio gladio juguletur.

Primò igitur dicta suppositio præambula sic probatur, quia omnis illa assertio potest rationabiliter condemnari tamquam revocanda, ex qua sequi potest corruptio fidei, sed ex aliqua assertione, licèt possit habere aliquem sensum verum, propter alium sensum falsum in ea vel in ejus probatione intellectum, sequi potest corruptio fidei, igitur, &c. Ista ratio fundatur in dictis S. Thomæ Secunda Secundæ quæstione de hæresi, ubi exponendo illud dictum Hieronymi ex verbis inordinatè prolatis fit hæresis, in solutione ad secundum argumentum dicit, sic est enim confessio actus fidei, & ideò si sit inordinata loquutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei. Undè allegat ad hoc auctoritatem Leonis Papæ in quadam Epistola, ubi dicit, quia inimici Christi crucis omnibus & verbis nostris insidiantur & syllabis, nullam eis vel tenuem occasionem demus, &c. Ex quibus omnibus luce clarius patet suppositio antedicta.

Secundò probatur ex dictis B. Thomæ in quinto Quolibeto in quæstione contra Doctores ubi in secundo articulo quærit, utrùm si ex doctrina alicujus Doctoris aliqui revocentur à meliori bono, ille teneatur suam doctrinam revocare, & arguit quod sic, quia talis ex sua doctrina facit scandalum activum, quod tenetur quilibet removere. Respondendo

dendo autem ad quæſtionem per diſtinctionem tria dicit, quæ ſunt ad propoſitum.

Primò dicit, quòd ſi Doctor doceat falſam doctrinam tenetur eam modis omnibus revocare, & maximè ſi ex ea ſpirituale damnum ſequatur, ex quo dicto habetur intantùm, quia conſtat doctrinam in uno ſenſu eſſe falſam. Etſi talis falſitas ſit in materia fidei, ex ea damnum ſpirituale poteſt ſequi, & ideò debet revocari.

Secundò dicit, quod ſi quis doceat veram doctrinam, & poteſt ex ea ſequi detrimentum ſpirituale in auditoribus dupliciter uno modo ex defectu ipſius, qui docet, quia doctrinam ſubtilem & altam proponit rudibus, qui non ſunt illius doctrinæ capaces, & ideò ex hoc ſpirituale detrimentum incurrunt contra exemplum Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. 3. qui dicit: *Tamquam parvulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam.* Alio modo ex parte doctrinæ, quam docet, quia eam confusè & inordinatè proponit, nam ſicut dicit Gregorius in Paſtorali, incauta loquutio in errorem protrahit.

Tertiò dico, quod in his duobus ultimis caſibus tenetur Doctor ex cujus doctrina damnum ſpirituale accidit, contra hoc damnum remedium apponere in quantum poteſt, exponendo ſaltem doctrinam ſuam. Ex quibus omnibus clarè patet, quod non ſolùm doctrina in uno ſenſu falſa eſt revocanda, ſed etiam licèt ſit omninò vera, tamen quandoque propter incautam ejus expreſſionem eſt exponenda, & ad utilitatem audientium retractanda, id eſt, iterùm exponendo tractanda.

Tertiò probatur prædicta ſuppoſitio præambula ex doctrina Beati Auguſtini in libro retractationum, ubi in prologo dicit, quòd errata ſua reprehendit, & quâdam judiciariâ ſeveritate recenſet. Et conſtat, quòd in dicto libro multa retractanda exprimit, licèt ſint in aliquo ſenſu vera. Undè hic de multis pauca brevitatis causâ enarrare ſufficit. Primum igitur eſt de eo, quod in primo libro, capitulo primo retractat contra Achademitos, ubi fortunam nominavit. Undè dicit, ſed in eiſdem tribus libris meis non mihi placet toties appellaſſe fortunam, quamvis non aliquam Deam voluerim in hoc nomine intelligi, ſed fortuitum rerum eventum, &c. Et ſequitur paulò poſt: Undè & illa verba ſunt, quæ nulla Religio dicere prohibet fortè, forſàn, fortaſſis, fortuitu, quod autem totum revocandum eſt ad divinam providentiam. Et paucis interpoſitis, quibus oſtendit ſe ad bonum ſenſum fortunam nominaſſe ſubdit, dicens: dixi quidem hoc, verumtamen pœnitet me ſic illic nominaſſe fortunam, cùm

videam homines habere in pessima consuetudine, ut ubi dici debet, hoc Deus voluit, dicant, hoc voluit fortuna. Idem etiam retractat eodem libro, capitulo 2. ex libro de Vita beata, displicet, inquit, quod fortunam etiam illic sæpè nominavi. Hoc idem insuper capitulo ex libro de Ordine iterùm retractat, dicens: verùm & in illis libris displicet mihi sæpè interpositum fortunæ vocabulum. Ecce igitur quoties retractat eamdem sententiam, licèt ad bonum sensum veram. Secundum exemplum ad hoc propositum sumitur ex eodem libro capitulo quarto, ubi ex libro Soliloquiorum retractat Augustinus illam sententiam, quod ad sapientiæ conclusionem non unâ viâ pervenitur, undè ipse ait, quod dixi ad sapientiæ conclusionem non unâ viâ perveniri, non benè sonat, quasi alia via sit præter Christum, qui dicit: *Ego sum via.* Vitanda igitur erat hæc offensio aurium Religiosarum, quamvis alia sit illa universalis via, aliæ autem viæ, de quibus in Psalmo canimus: *Vias tuas Domine notas fac mihi, &c.* His ergo aliisque multis exemplis ex doctrina Augustini ostenditur, quod aliqua assertio, licèt sit in aliquo sensu vera, tamen propter aliquem sensum falsum, quem potest generare in animo auditorum, est meritò retractanda, & sic patet suppositio præambula.

Quartò probatur, suppositio præmissa, & singulariter declaranda est per exemplum sumptum ex doctrina Ecclesiæ. Nam per Ecclesiam nonnunquam assertio ambigua habens aliquem sensum catholicum est damnata, imò quandoque assertiones contradictoriæ secundùm vocem, per eam sunt damnatæ, & ideò altera earum vel utraque aliquem habet sensum catholicum. Et ecce exemplum manifestum, nam Isidorus libro Ethymologiarum capit. 19. lib. 8. & habetur 24. quæst. 3. capit. Quidam autem. Apertè insinuat, quòd utraque istarum, Deus creat mala, Deus non creat mala, est hæresis condemnata, undè & assertores utriusque reputat hæreticos, dicens: Colicianì à quodam Colico nominati, qui dicunt Deum non facere mala contra illud, quod scriptum est, *Ego Deus creans mala.* Floriani à Floriano, qui è contrario dicunt Deum creasse mala, contra illud, quod scriptum est: *Fecit Deus omnia bona.*

Ex quibus colligitur, quod utraque istarum est hæresis condemnata, & tamen ista assertio, Deus creat mala, habet aliquem sensum catholicum, scilicèt istum, Deus creat mala pœnæ. Et similiter ista, Deus non creat mala, habet sensum catholicum, scilicèt istum, Deus non creat mala culpæ, & sic ex omnibus prædictis patet clarè suppositionis præmissæ probatio. Hâc igitur suppositione præambula sic firmiter stabilita, sigillatim declarandum.

randum eſt, quòd aſſertiones dicti fratris fuerunt rationabiliter condemnatæ.

Prima igitur propoſitio ſua fuit, quod major eſt unio hypoſtatica in Chriſto quàm unio trium perſonarum in eſſentia increata, & iſta non condemnatur tamquam revocanda, ſed ſolùm dicitur in ſcedula Facultatis Theologiæ, quod iſtam dixit ſe dixiſſe recitativè nihil aſſerendo, & ratio hujus moderationis fuit, quia dictus frater coram dicta Facultate aſſeruit, quod eam præcisè recitavit, & recitativè poſuit. Undè patet, quòd in hoc ſibi multum favorabiliter creditum eſt, cum multorum communis fama ad oppoſitum laboraret. Hæc tamen propoſitio eſt contra communem doctrinam Sanctorum, & præcipuè Sancti Thomæ. Undè ſuper 3. Sententiarum diſtinct. 5. quæſt. 1. 1. artic. in ſolutione ad ſecundum principale expreſsè tenet, quod Unio hypoſtatica eſt maxima unio poſt unionem eſſentiæ in tribus perſonis, & rationem ſubdit, quia quamvis perſona ſit ita ſimplex & unum, ſicut eſſentia, tamen quælibet trium perſonarum eſt idem re in ipſa eſſentia, in qua uniuntur, non autem utraque natura in Chriſto eſt idem re cum ipſa perſona, in qua fit unio, quia humana natura non eſt idem re cum perſona divina, quamvis altera natura, ſcilicet divina ſit omninò idem re cum ipſa, & ideò concludit. Et ita unio trium perſonarum in una eſſentia eſt major quàm unio naturarum in una perſona. Ad idem eſt auctoritas Beati Bernardi libro de Conſideratione, quem ad hoc allegat. Inter omnes unitates aream tenet Trinitas, & poſt ipſam unitas dignativa, quæ eſt in Chriſto. Idem tenet Sanctus Thomas in tertia parte Summæ quæſt. 2. artic. 9. ubi tractat, utrùm unio duarum naturarum ſit maxima unionum & in ſolutione ad tertium argumentum dicit, quod illud falſum ſupponit, ſcilicèt quod major ſit unio Incarnationis quàm perſonarum divinarum in eſſentia. Item, hoc probatur ratione, tum primò, quia tres perſonæ in eſſentia increata inſeparabiliter ſunt unitæ, non ſic autem duæ naturæ in Chriſto. Tùm ſecundò, quia ſic ſunt unitæ in eſſentia increata, quod quælibet illarum per circuminſeſſionem eſt in alia, juxta illud: *Ego in Patre & Pater in me eſt.* Hìc autem eſt maximus modus unionis & intimitatis, ut notum eſt. Tum tertiò, quia unio perſonarum in eſſentia eſt unio realis & eſſentialis, unio verò hypoſtatica in Chriſto videtur eſſe accidentalis vel ſaltem magis participat rationem accidentalis unionis, unde & à quibuſdam ponitur eſſe quoddam accidens ſeu relatio à rebus unitis diſtincta, & ipſemet Sanctus Thomas in præallegata quæſtione 3. Sententiarum in

principio dicit, quod unitas relatio est, & quod illa secundùm rem est in natura humana in Christo, & non in natura divina cum in Incarnatione non sit aliqua mutatio facta in ipsa; & concludit, quod hujusmodi unio secundùm rem est quædam creatura. Et sic patet, quod ponit hujusmodi unionem esse accidentale, quare, &c. Tum quartò, quia ibi est maxima unio ubi est unitorum maxima unitas, sed trium personarum unitas in essentia increata est maxima unitas, ergo ibi est maxima unio. Major patet, quia ad majorem unionem videtur sequi major unitas: & minor apparet primo Sententiarum distinct. 19. ubi ostenditur, quod inter personas divinas est summa unitas, quâ nulla alia major est possibilis, & ideò ponere, quod major est unio inter naturam increatam & creatam quàm inter personas increatas, favet hæresi Thimotmamorum, qui in Christo dicebant naturas confusas esse seu immixtas, sicut patet 3. Sentent. distinct. 1. quare hujusmodi positio est tamquam damnabilis respuenda.

Nec valent ista, quæ ad hoc inducit pars adversa: primò enim ad hoc allegat opinionem Domini Petri de Palude 3. lib. Sentent. distinct. 5. articulo ultimo.

Ad hoc respondetur, quod ejus dictum maximè in hoc nullius est auctoritatis, nam melius intellexerunt illam unionem, Beatus Bernardus, Sanctus Thomas & alii Doctores. Similiter etiam Innocentius III. in capitulo Damnamus, & Bernardus in Glossa super verbo, Unum sumus, ubi ponit unitatem inter personas divinas esse per unionem substantiæ vel naturæ, quare, &c. Et ideò non est mirum, si magistri modicum curaverunt de dicto illius de Palude, quamvis tamen pars adversa in Consistorio Apostolico falsum proposuerit dicendo, quod liber Domini Petri de Palude fuit aportatus coram deputatis, qui noluerunt librum videre.

Item, non valet ratio quam dictus frater allegat ab eodem, in qua dicit, quod major est unio realis quàm unio rationis, sed unio hypostatica est unio realis & unio trium personarum in essentia increata est unio rationis, igitur illa est major istâ. Major est nota, & minor patet, quia de ratione unionis est, quòd adversa in unum conveniant vel constituant, sed in unione hypostatica diversæ naturæ realiter conveniunt in uno; & in essentia increata tres personæ non sunt diversæ naturæ per imaginationem nec potest dici, quòd conveniant, sed potiùs, quòd fuit unum, ergò si unio propriè est ibi, est ibi secundùm imaginationem.

ginationem. Ad hoc enim reſpondetur, quod iſta ratio multa includit falſa & erronea.

Primum eſt, quod unio trium perſonarum in eſſentia increata eſt ſolùm unio rationis, & non unio realis, nam illa eſt unio trium rerum inter ſe realiter diſtinctarum, nec ob aliud dicitur unio realis, niſi quia eſt plurium diſtinctorum realiter in unum conventio, conſtat autem, quod tres perſonæ realiter diſtinctæ ſunt unum in eſſentia increata, & per conſeqnens unio trium perſonarum in eſſentia increata eſt unio realis.

Secundum eſt, quod errat in hoc quòd dicit eſſe de ratione ſeu diffinitione vel deſcriptione unionis, quòd diverſa in unum conveniant vel conſtituant, quia Spiritus ſanctus eſt unio Patris & Filii, ſicut patet primo Sentent. diſtinct. 10. & eſt ineffabilis complexus Patris & Imaginis, ibidem diſtinctione 31. & tamen patet Pater & Filius non ſunt diverſi, ſed diſtincti, ſicut patet eodem libro diſtinct. 23. capitulo finali, & diſtinct. ſequenti, & ideò patet quod illa deſcriptio unionis non eſt Theologica, cùm ratio unionis ſequatur rationem unitatis, quæ eſt circa diſtincta.

Tertiò errat in hoc quod dicit, quod in eſſentia increata tres perſonæ non ſunt diverſæ, id eſt, diſtinctæ, niſi per imaginationem, quia vel intelligitur impropriè, quod non ſunt diverſæ, id eſt, diſtinctæ niſi per imaginationem, & hoc eſt falſum, ut dictum eſt, quia ſunt diſtinctæ ſecundùm rem ante omnem operationem intellectûs, vel intelligit propriè, quod non ſunt diverſæ, & hoc eſt verum, ſicut patet ex dictis, ſed tunc falſa eſt exceptione, quâ ſignificatur, quòd ſunt diverſæ ſecundùm imaginationem, quia vel ſecundùm imaginationem veram vel falſam, non per imaginationem veram, quia illa, quæ veraciter non ſunt diverſa, non poſſunt eſſe diverſa per imaginationem veram nec per imaginationem falſam, quia per talem nulla ſunt diverſa, & ideò hæc loquutio eſt valdè impropria, ſicut impropriè diceretur, quod per imaginationem homo eſt aſinus vel per imaginationem una res eſt differens vel diverſa à ſeipſa.

Quartò errat in hoc quod dicat, quod ſi ratio unionis eſt inter perſonas propriè dictæ, eſt ibi ſecundùm imaginationem, nam ex hoc patet, quod probatio ſuæ concluſionis repugnat eidem, nam per hujuſmodi probationem concludit, quod in perſonis non eſt unio realiter, ſed ſolùm imaginariè, & concluſio ſua ſupponit contrarium, quæ dicit, quod major eſt unio hypoſtatica quàm unio trium perſonarum, quia compara-

tivus præsupponit positivum. Ex quibus omnibus patet clarè, quod in prædictis erravit ex ignorantia logicæ, causa etiam sui erroris fuit ignorantia Theologiæ, quia ratio sua solùm probat, quòd unio trium personarum cum essentia sivè inter personas & essentiam non est unio realis, quod est verùm, quia sicut inter personam & essentiam non est distinctio realis, sic nec unio realis, & ideò sicut ibi nulla est distinctio, sic nulla omninò est unio, vel sicut si aliqua est ibi distinctio est solùm distinctio rationis, vel distinctio formalis secundùm aliquos sic ibi solùm esse potest unio rationis vel formalis. Sed hoc non est ad propositum conclusionis, quia aliud est dicere, unio trium personarum in essentia, ita quod personæ sint extrema unionis, & essentia sit illud, in quo est unio & dicere unio trium personarum cum essentia, ita quod sit comparatio personæ ad essentiam tamquam extremorum unitorum, constat etiam quod secundus modus unionis non est comparabilis unioni hypostaticæ, sed de ipsis dicitur unio valdè æquivocè, ut patet ex dictis, & ideò non est ad propositum prædictæ conclusionis. Unde patet, quod non solùm in conclusione, sed etiam in ejus probatione multipliciter erratur, quare notum est, quòd multum favorabiliter secum egit Facultas Theologiæ, quæ circa hoc non cogebat aliquid revocare notorium. Est etiam, quod circa probationem conclusionis prædictæ eam recitando in consistorio, & exhibendo in judicio ab his, quæ Parisiis dixerat & scripserat, variavit, sicut clarè patet cuilibet intuenti scripta sua hîc & ibi exhibita. Et hæc de prima ejus propositione dicta sufficiant.

Secunda propositio fuit: possibile est esse aliquam creaturam puram in puris naturalibus, quæ ita posset sibi & homini mereri, sicut anima Christi concurrente gratiâ habituali, non est tamen aliqua possibilis, quæ tam convenienter, congruenter & sufficienter hominem posset redimere & salvare, sicut Christus. Et ista condemnatur revocanda tamquam falsa, malè sonans & erronea ad intellectum probationis suæ, videlicèt, de gratia animæ Christi quòad primam ejus partem, quia de secunda parte hujus probationis nihil dicitur in scedula Magistrorum.

De prima verò parte dixit in consistorio, quod illam proposuit gratiâ collationis, & sumpsit à Domino Durando tertio Sententiarum distinctione 13. Item in scripto per dictum fratrem in Dominorum Commissariorum judicio tradito dicit, quod illam posuit gratiâ collationis habendæ cum sociis, & loquendo semper non de potentia Dei ordinata, sed de potentia Dei absoluta. Sed ista non prosunt sibi, primo, quia hujusmodi

modi modificationes non posuit in scripto suo Parisiis, ut notum est.

Secunda, quia nulla propositio hæretica vel in fide erronea est à Doctore Theologo etiam gratiâ collocationis ponenda, quia talis collativa positio posset esse erroris occasio.

Tertiò falsum est quòd hanc positionem sumpserit à Domino Durando 3. Sentent. quia ibi hoc nullatenus reperitur. Imò oppositum ponit in 2. Sentent. distinct. 28. quæst. 2. ubi determinat, quòd licet homo posset sine gratia facere bonum opus moraliter, non tamen opus meritorium sivè de condigno sivè de congruo. Unde concludit; nullum igitur meritum nostrum neque de condigno neque de congruo potest esse sine gratia. Et subdit, quod in hoc erravit Pelagius dicens, liberum arbitrium sufficere ad merendum sine gratia. Et similiter Sanctus Thomas super secundo Sententiarum distinctione eâdem dicit, quòd error Pelagianorum fuit, quòd homo per liberum arbitrium in quodlibet bonum opus posset sine gratia, quia actus meritorius habet efficaciam excedentem naturalem virtutem in quantum est efficax ad illud primum consequendum, quod Facultatem naturæ excedit, &c. Prædicti autem Doctores & omnes alii communiter per pura naturalia intelligunt exclusionem gratiæ, id est, naturalia sine gratia, & sic patet, quòd prædicta propositio favet errori Pelagii.

Et si dicat, quòd loquuntur secundùm potentiam Dei ordinatam, & ipse intelligit propositionē suam de potentia absoluta, ut supra dictum est, ideò isti Doctores non sunt contra eum: hoc non valet. Primò enim contra hoc est expresè S. Thomas super secundo Sententiarum distinctione 19. quæst. 1. in solutione ad tertium argumentum ubi tangitur, si Deus potuit talem naturam condere, quæ per propria naturalia vitam æternam mereretur, aliàs Deus non esset omnipotens, respondet, quod non potest esse aliena creatura, quæ ex propriis naturalibus vitam æternam promereri possit, sicut non potest esse aliqua creatura, quæ naturæ divinæ æquetur, nec hoc omnipotentiæ Dei derogat. Et sic patet, quod loquitur de potentia Dei absoluta.

Secundò, si neget hîc Sanctum Thomam, & dicat, quod non obstante ejus opinione probabile est, propositionem suam esse veram secundùm potentiam Dei absolutam: quidquid sit de hoc tamen ipse debuit hoc in prædicta propositione exprimere. Nec ad ejus excusationē sufficit illam modificationem subintelligere. Et ratio est, quia quandoque aliqua propositio favet seu favere videtur alicui manifestæ hæresi per Ecclesiam con-

condemnatæ nunquam talis est ponenda sine expressa modificatione illius sensus, in quo potest veritatem habere. Sed dicta propositio videtur favere errori Pelagii, ut ostensum est. Et ideò cùm non fuerit expressè modificata meritò fuit condemnata tamquam retractanda, & ad hoc est exemplum Beati Augustini, qui primo libro Retractationum ex libro Soliloquiorum retractat hanc propositionem: omnia sensibilia sunt fugienda, dicens, & in eo quod ibi dictum est pœnitus esse ista sensibilia fugienda, cavendum fuit, nè putaremus illam Porphirii falsi Philosophi tenere sententiam, quâ dixit omne corpus esse fugiendum, non autem dixi ego omnia sensibilia, sed ista corruptibilia. Ex quibus omnibus patet, quòd sivè de potentia ordinata, sivè de potentia absoluta intelligatur proposititio prædicta, in terminis, in quibus posita fuit, fuit meritò condemnanda tamquam exponenda & retractanda, sicut malè sonans, & hæresi favens.

Sed tertiò principaliter improbatur prædicta propositio ostendendo, quod fuit irrationabiliter condemnata tamquam falsa & erronea ad intellectum probationis suæ, videlicet de gratia animæ Christi, sicut in condemnatione dicitur, nam secundùm Hilarium, intelligentia Doctorum ex causis est assumenda dicendi, sed in probatione dictæ propositionis ostenditur causa dicendi, & per consequens intelligentia dicti, quare si probatio sit erronea, etiam probationis conclusio seu ipsa propositio ad intellectum hujusmodi probationis est tamquam erronea condemnanda. Quod autem dicta probatio sit multipliciter erronea, patet clarè, nam ad probandum prædictam propositionem ponit quinque suppositiones.

Prima est, quòd natura humana Christi dimittatur, & in esse conservetur, patet hoc esse possibile, quia sicut potuit assumi, ita & dimitti.

Secunda est, quod gratia animæ Christi est in ejus essentia subjectivè, & hæc est Sancti Thomæ.

Tertia est, quòd potentiæ animæ, scilicèt intellectus & voluntas distinguuntur ab invicem, & ab esse animæ realiter, & hæc est etiam Sancti Thomæ.

Quarta est, quòd substantia animæ Christi transubstantietur in aliam substantiam remanentibus omnibus accidentibus ejus tam naturalibus quàm gratuitis, remanente etiam suo corpore pari modo, patet hoc esse possibile, sicut in Sacramento Altaris.

Quinta est, quòd gratia animæ Christi sic remanens, ut supponitur, vices gerat animæ, quoad omnia, scilicèt ad informare corpus, & ipsum vitaliter

vitaliter invitare, & quoad subſtare accidentibus, ſcilicèt intellectui & voluntati, & ea ad ſuas debitas operationes inclinare, patet, quia ſicut eſt poſſibile accidens per ſe ſubſiſtere, corpus nutrire, & ſic de aliis operationibus, quæ pertinent ad ſuppoſita ſubſtantiæ, ita pari modo illi poſſe videtur attribui per virtutem increatam, cùm non ſit ſibi unum magis impoſſibile quàm non aliud, quia *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum* Lucæ 1.

His ſuppoſitis arguit ſic: ad merendum gratuitè apud Deum ſufficit liberum arbitrium concurrente gratiâ & influxu divino, & quantitas meriti eſt ſecundùm quantitatem gratiæ, ſed gratia talis creaturæ eſt tanta quanta gratia animæ Chriſti, & prædicta omnia concurrunt in hujuſmodi creatura: igitur, &c.

Hujus autem proceſſûs omnes ſuppoſitiones ad intellectum ponentis ſunt falſæ præter primam & ſecundam, & concluſio eſt abſurda, & in Theologia ac etiam in Philoſophia erronea, & ideò fraudulenter hunc proceſſum in conſiſtorio tacuit, nec intravit materiam de gratia animæ Chriſti, ſed ſolùm materiam de acceptatione actûs meritorii, & etiam in ſcripto coram judicibus exhibito, ubi dictum proceſſum tangere coactus eſt dictas ſuppoſitiones aliter & ſub alio ordine poſuit, & alias duas addidit, & in probationibus tam in materia quàm in forma, ac in pluribus aliis multipliciter variavit tam in conſiſtorio, ut ipſemet ſatis fatetur, quàm etiam in judicio, ut ex inſpectione ſcriptorum ſuorum clarè patet, & ideò in hoc tractatu ex ſcriptis Pariſiis traditis ſolùm procedimus. Undè contra illa ſunt hìc aliquæ propoſitiones declarandæ.

Prima eſt, quòd potentiæ animæ in eodem ſuppoſito non diſtinguuntur realiter inter ſe nec ab anima ſeu eſſentia animæ. Undè dicunt aliqui, quòd ex contraria opinione Sancti Thomæ ſequuntur multa falſa, erronea & abſurda, ſed de his ad præſens brevitatis gratiâ pertranſimus.

Secunda eſt, quòd dato, quod prædicta Sancti Thomæ opinio eſſet vera, non tamen propter hoc eſſet prædicta imaginatio in dictis ſuppoſitionibus expreſſa tamquam poſſibilis vel probabilis concedenda, ſcilicèt quòd gratia animæ Chriſti poſſet eſſe ſubjectum potentiarum animæ, ſcilicèt intellectûs & voluntatis, ſic quod per eas poſſet hujuſmodi gratia uti actibus hujuſmodi potentiarum, ſcilicèt intelligendi & volendi, & hoc patet primò, quia Sanctus Thomas illam imaginationem non conceſſiſſet, imò oppoſitum clarè ſequitur ex doctrina ejus, ſicut clarè patet ſuper primo Sententiarum, & in prima parte Summæ, & in quæſtioni-

bus de spiritualibus creaturis quæst 21. Et generaliter in omnibus locis ubi tractat de potentiis animæ, & ideò dictus frater magnam facit irreverentiam doctrinæ Sancti Thomæ, qui ponit talem absurditatem sequi ex ea, cùm tamen non sequatur, nam si ex ea sequeretur hoc esset evidens argumentum, quod talis doctrina esset tamquam erronea judicanda, ut patet ex sequentibus. Undè secundò probatur prædicta propositio ratione, quia sola substantia vel natura, quæ est de se intrinsecè intellectualis seu intellectiva est capax potentiarum & actuum intelligendi & volendi, sed gratia animæ Christi non est natura intellectualis intrinsecè seu intellectiva, ergò propositio vera. Minor nota, & major patet, quia nulla res potest esse potentia vel actus intelligendi vel volendi, nisi in subjecto naturaliter & intrinsecè intellectivo, aliter enim sequeretur, quod si potentia vel actus intelligendi poneretur in lapide seu in quacumque re insensitiva vel irrationali, illa res posset intelligere & velle, & posset esse rationalis, quod est absurdum & fatuum dicere. Ex hoc enim sequeretur, quòd posset unus asinus intelligere, & velle, & esse rationalis, imò magis rationabilis quàm iste frater, quia per actus animæ Christi intelligeret & vellet, qui sunt perfectiores.

Item, ex hoc sequeretur, quòd odium Dei posset vitam æternam mereri, & per consequens beatificari per consimilem imaginationem, quam ponit de gratia animæ Christi, videlicèt, si in actu odiendi Deum poneretur subjectivè gratia animæ Christi cum potentiis intellectûs & voluntatis, & multa alia inconvenientia possent inferri magis irrisione, quàm improbatione digna, quare, &c.

Tertia propositio est, quòd si illa res, quæ nunc est gratia animæ Christi, Corpus ipsius animâ transubstantiatâ vel destructâ informaret, propter hoc tamen nec ipsum vivificaret nec vitaliter immutaret, patet, cùm tale corpus non sit potentia vitalis, & ideò talis qualitas, quæ nunc est gratia, si esset in tali corpore, non esset gratia, quia tunc non haberet habitudinem ad potentiam vitalem, sicut etiam fides in lapide perdit rationem fidei in capitulo. Fides 33. distinctione 3. & infra capitulo. Notandum.

Quarta propositio est, quòd si illæ potentiæ, scilicet, intellectus & voluntas essent res distinctæ ab essentia animæ, & ponerentur extra ipsam, essent subjectivæ in illa qualitate, quæ nunc est gratia ipsa, per eas non esset intellectiva, volitiva aut contradictoriè libera, sicut ponit imaginatio prædicta. Et hoc totum patet, quia illa gratia non est potentia vitalis.

Quinta

Quinta propositio est, quòd talis qualitas, si esset extra subjectum, vel etiam in corpore Christi subjectivè, nec ipsa esset Deo grata, imò nec esset gratia, nec corpus eâ informatum esset Deo gratum, nec ipsa aut hujusmodi corpus ex eis posset mereri nec beatificari vel præmiari, quia nec esset cognitivum nec rationale, & ideò nec meriti, nec præmii beatifici capax, cùm hoc sit proprium naturæ rationalis. Ex quibus omnibus patet absurditas prædictæ imaginationis ponentis, quòd gratia animæ Christi potest gerere vices essentiæ animæ respectu corporis. Nec valet argumentum, quòd ista possint attribui per virtutem increatam, cùm non sit impossibile sibi unum magis quàm aliud; nam isto modo etiam probaretur, quòd Deus potest facere duo contradictoria esse vera simul, & quòd nihil esset impossibile, quod est expressè contra S. Thomam in 2. contra Gentiles cap. 25. ubi probat & ostendit diffusè qualiter Deus omnipotens dicatur, quod non posset, & secundùm eum inter ea, quæ Deus non potest, est conclusio, quæ est ex prædicta imaginatione; infertur, scilicet, quòd creatura aliqua possit fieri, quæ in puris naturalibus vitam æternam possit mereri. Undè Deum hoc non posse, non derogat ejus omnipotentiæ, sicut dicit Sanctus Thomas super 2. Sententiarum distinct. 29. ubi supra allegatum est. Quod maximè patet verum de tali creatura, quam ponit imaginatio prædicta. Et sic patet absurditas secundæ propositionis dicti fratris, ac etiam trium sequentium, quas ex ea correlariè intulit, & quæ ex eodem falso fundamento procedunt, de quibus tamen aliquid specialiter est dicendum.

Tertia propositio fuit: aliqua pura creatura rationalis potest in puris naturalibus beatificè Dei essentiam intueri, & hanc dicit, patere de creatura prædicta, & ista sit condemnatur, revocanda est tamquam aliàs Parisiis damnata, & tamquam erronea in fide. De hac autem dixit in consistorio quod eam posuit gratiâ collationis, & est plurium Doctorum.

Primum autem non prodest sibi, sicut in alia propositione ostensum est, nec etiam secundum, quia nullus Doctor invenitur eam posuisse, maximè ad intellectum probationis suæ, imò Sanctus Thomas expressè ponit oppositum super 2. Sentent. 29. quæst. 1. in solutione ad primum principale, ubi dicit, quod vita æterna est finis omninò naturæ Facultatem excedens, undè rationem & intellectum & desiderium superat 1. Corinthiorum 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. Undè ex hoc concludit, quòd oportet, per opera per quæ ad vitam æternam pervenitur vires humanæ naturæ excedunt. Et ideò quatumcumque sit integra

nihilominùs indiget gratiâ ad vitam æternam, consequendam. Constat autem, quod beatifica visio vel intuitio divinæ essentiæ est vita æterna, juxta illud : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum*, &c. Quare patet secundùm eum, quod majus inconveniens est dicere, quod creatura aliqua in puris naturalibus possit Deum beatificè intueri quam dicere, quòd sic possit vitam æternam promereri, nam ex impossibilitate primi probat impossibilitatem secundi, ut ibidem patet, ubi etiam in solutione ad quartum argumentum dicit expresè, quòd nulla creatura, naturâ ex se sufficiens est ad Dei visionem. Et ideò patet, quod ista propositio pejus sonat quàm immediatè præcedens.

Item, aliàs fuit Parisiis damnata, undè in capitulo de anima sivè intellectu inter errores Parisiis damnatos est error penultimus, quod intellectus noster per sua naturalia potest pertingere ad cognoscendum essentiam primæ causæ, hoc malè sonat, & est error si intelligitur de cognitione immediata. Constat autem quòd intuitio beatifica est cognitio immediata, quare, &c. Item, hæc propositio favet errori Agazelis 5. Methaphysicæ suæ dicentis, quòd unum de possibilibus per naturam est animam conjungi beatificè intelligentiæ separatæ.

Item, favet errori Begardorum de quo in capitulo, ad nostrum. De hæreticis de Clementinis, ubi super verbo intellectualis natura seipsa naturaliter est beata, dicit Joannes Andreæ contra illud Apostoli ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna.*

Item, prædicta propositio improbatur ratione, quia nulla potentia potest attingere objectum sub ratione, qua sibi inaccessibile : sed quælibet creatura in puris naturalibus habet divinam essentiam tamquam lucem inaccessibilm, igitur, &c. Major patet, & minor probatur per Apostolum 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, &c.* cum ubi notatis.

Item, per Aristotelem in secundo Metaphysicæ, ubi dicit, quòd sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem solis, sic intellectus noster ad ea, quæ sunt primæ causæ.

Item, posito quòd esset aliqua creatura, quæ esset infinita in intelligẽtia, & quæ ex sua perfectione infinita non indigeret aliquo dono superaddito creato ad visonem divinæ essentiæ adhuc de sola gratia Deus eam admitteret ad beatificam visionem inaccessibilis lucis suæ, & per consequens non posset in suis puris naturalibus Deum intueri beatificè: consequentia est nota, quia ubi est gratia, ibi non est pura gratia, & antecedens apparet, quia Deus voluntariè, merè, gratis & liberè in ratione objecti

jecti se objiceret tali creaturæ, & posset se à tali visione, & per consequens hujusmodi creaturæ non sufficeret ad Dei visionem sua pura natura, sed requireretur gratia extrinseca juxta illud Apostoli: *Gratia Dei vita æterna.* Et istud patet per exemplum, quia si Socrates non posset videre Platonẽ, nisi Plato se ei gratis ostenderet, non sufficeret Socrati ad videndum Platonem sua pura natura, sed requiretur Platonis gratia, & sic ibi concurrit gratia cum natura. Ex quibus omnibus patet, quòd prædicta propositio est falsa, malesonans, sivè de potentia ordinata sivè de potentia absoluta intelligatur, & est in fide erronea, maximè propter fundamentum erroneum in alia propositione superiùs improbatum, ideò ad rationes in dicto errore fundatas non est respondendum. & hæc de tertia propositione.

Quarta propositio fuit: aliqua pura creatura est possibilis perfectior Christi anima in merendo, puta gratia animæ Christi, & hæc condemnatur revocanda, tamquam falsa, erronea, absurda in Theologia & Philosophia, & Theologicæ doctrinæ irrisiva. De hac autem dicit dictus frater in consistorio, quòd istam non asseruit ex expresso, sed gratiâ collationis proposuit & addidit huic propositioni istam modificationem, & si non quoad quantitatem meriti, tamen quoad modum merendi. Et in scripto suo coram judicibus exhibito conqueritur de magistris, qui non apposuerunt istum terminum complexum (quam non assero) quam semper dicit se posuisse & recitasse.

Item, quia in condemnatione dictæ propositionis, hoc, puta gratia animæ Christi, quod non posuit in forma dictæ propositionis.

Item, quia non addiderunt dictam modificationem, etsi non quoad quantitatem. Sed hæc omnia eidem prodesse non possunt. Primò, quia illa clausula, quam non assero, in scripto suo Parisiis tradito non habetur, & etiam quod in hac propositione dictam clausulã ponit, & in alijs multum videtur facere contra eum, nam per argumentum à contrario sensu, quia modo exprimit, quod istam non asserit, videtur concedere, quòd aliàs propositiones asserat, juxta capitulum. Nonnè, de præsumptionibus.

Item, rationabiliter posuerunt magistri istam clausulam. Puta gratia animæ Christi, non quasi esset de forma propositionis, sed ad exprimendum intellectum condemnationis, nam propositio condemnatur ad intellectum probationis, in probatione verò ponit dictam propositionem verificari ratione gratiæ animæ Christi, quia probat eam sic, quoniam Christi anima non potest mereri condignè absque alio habitu superve-

niente. Sed talis creatura hoc potest, talis, scilicet, creatura, de qua supradictum est in propositione secunda. Constat autem, quòd illam creaturam ponit mereri posse ratione gratiæ animæ Christi ab ipsa anima separatæ & corpus informantis, igitur, &c.

Item, illa clausula vel modificatio, & si non quoad quantitatem meriti, &c. Non habetur in scripto suo Parisiis tradito, nec hæc etiam sibi prodest, imò per hoc specificatur, imò specialius exprimitur malus intellectus propositionis prædictæ, quòd subjectis rationibus potest clarius apparere.

Undè hic intellectus improbatur multiplici ratione, Primò, quia modus merendi animæ Christi fuit sic perfectus, quòd habuit meritum infiniti valoris subjectivè per respectum extrinsecum ad personam infinitam, sicut notatur tertio Sententiarum distinct. 20. capitulo, Christus, nam persona infinitæ nobilitatis, ut ibi notatur, operabatur hujusmodi, scilicet Christus Sacerdos, qui idem hostia est, & pretium nostræ redemptionis, & super eadem distinctione quæstione 1. artic. 2. in solutione quæstionis dicit S. Thomas, quòd ad hoc quidem ut pro naturæ humanæ peccato fieret satisfactio condigna, oportebat, quòd haberet virtutem infinitam. Actio autem puræ creaturæ non potest habere efficaciam infinitam, & ideò concludit, quòd nulla pura creatura poterat sufficientem satisfactionem facere.

Item, in merito animæ Christi præter jam dictam circumstantiam, scilicèt personæ infinitæ meritum operantis concurrebat alia circumstantia, vel ratio acceptabilitatis, scilicet gratia unionis, quæ est summa gratia in rebus per tempus ortis, sicut patet tertio Sententiarum distinct. 12. Hæc autem non concurrunt in creatura, quam ponit imaginatio supradicta, quare, &c.

Item, talis creatura per Adversarium non haberet intellectum & voluntatem, nisi per accidens, & eâdem ratione nec vitam, igitur non esset rationalis aut libera nisi per accidens, scilicet, propter accidentia, quibus subsstat, sed anima Christi est per se & intrinsecè rationalis & libera, igitur habet perfectius principium ad merendum, & per consequens perfectiorem merendi modum, & hæc de quarta propositione sufficiant.

Quinta propositio est; sextum Correlarium secundæ proposuit, quam posuit sub hac forma, videtur mihi, quòd talis creatura, si poneretur, esset simpliciter genus. Et hæc condemnatur revocanda, sicut immediatè præcedens, & ratio hujus condemnationis satis patet ex dictis in secunda propo-

propositione, ex qua infertur: nam in falsâ imaginatione fundatur. Oppositum ipsius etiam tenet Sanctus Thomas expresse in secundo contra Gentiles capitulo 26. ubi dicit, quod nihil aliud præter Deum constat esse secundùm essentiam infinitum, & rationem subdit, cùm omnia alia secundùm essentiæ rationem sub determinatis generibus & speciebus concludantur, & per consequens talis creatura, si esset simpliciter extra genus, esset infinita, & esset Deus.

Item, ens primâ sui divisione dividitur in finitum & in infinitum, creatum & increatum: finitum autem & creatum dividitur in decem genera, ut notatur in capitulo sexto, octavâ distinct. primi Sententiarum sed talis creatura esset finita, igitur esset in aliquo decem generum.

Item, natura divina ideò ponitur extra genus, quia simpliciter immutabilis, & perfectè simplex, sicut patet eâdem distinctione 1. Sententiarum, undè propter hoc ibidem dicitur, quòd si Deus esset quantitate magnus aut qualitate bonus, esset in genere, sed hæc creatura non ponitur simpliciter immutabilis nec perfectè simplex, ut patet ex casu, quare, &c. Et sic patet, quòd hæc propositio est contra doctrinam omnium Philosophorum, & etiam Doctorum, & etiam ratio, in qua fundatur. Arguit enim sic; quia forma substantialis talis creaturæ non est substantia; igitur non est in prædicamento substantiæ, & illa etiam transcendit limites accidentis, quare, &c.

Hoc autem fundamentum est falsum & erroneum, & contra Philosophiam & Theologiam, quia imaginatur, quod ex gratia animæ Christi & corpore constituatur unum compositum, cujus forma ultimata sit hujusmodi gratia, hoc autem est falsum, ex anima Christi & gratia ejus non fit unum compositum, sic nec ex gratia & corpore si esset in eo subjectivè, imò illud corpus hujusmodi gratia in eo existente esset idem substantialiter quod prius, & per consequens in eodem genere essentialiter quia ex accidente & subjecto non fit unum compositum, nec constituunt aliquid propriè unum, nam sicut dicit Philosophus secundo Metaphysicæ, & Commentator commento vigesimo sexto. Illa quæ non sunt ejusdem generis, non possunt convenire in aliqua una entitate, & ex hoc patet error propositionis prædictæ. Et hæc sufficiant de propositionibus condemnatis ex vesperiis dicti Fratris, quas Facultas Theologiæ rationabiliter in ordine condemnationis præmisit, quia eas priùs dogmatizavit.

Sexta propositio condemnata, quæ est prima conclusio quæstionis de resumpta, fuit hæc. Ponere aliquod creatũ vel aliqua creata esse simpliciter

citer absolutè necessè esse, non est contra fidem, & hæc condemnatur revocanda tamquam falsa, & malè sonans in fide secundùm quemdam modum loquendi Theologorum, nec est ex dictis Sancti Thomæ asserenda in sensu quem reddit. Attentâ primâ propositione quam assumit ad declarationem dictæ propositionis, in qua dicit, quòd aliqua res creata est simpliciter, & absolutè necessè esse æquipollet isti: aliqua res creata impossibile est non esse. De hac autem propositione dixit in consistorio, quòd ipsam posuit assertivè probabilem ad defensionem Sancti Thomæ contra Gentiles 2. lib. capit. 29. Sed non obstante doctrinâ Sancti Thomæ in loco prælegato aut quocumque alio, & quidquid sit de ejus veritate aut falsitate, de qua materia pleniùs dicetur infra tertio capitulo. Tamen ad præsens ostendetur, quòd sine irreverentia dicti Doctoris aut doctrinæ suæ dicta propositio, & aliæ duæ sequentes fuerunt rationabiliter condemnati. Et hoc patet. Primò, quia propter tres propositiones prædictas, quæ videntur doctrinam Sancti Thomæ tangere præmittitur in Prologo Facultatis Theologicæ salvâ in omnibus reverentiâ Sancti Thomæ, quem credimus verisimiliter bonum habuisse sensum, propter dicta ipsius non sunt asserendæ aut publicè dogmatizandæ propositiones, quas Magister Joannes de Montesono asseruit, &c. Et allegantur ibidem duæ auctoritates, una Sancti Augustini 4. libro de Doctrina Christiana. Alia ejusdem Sancti Thomæ in tractatu suo contra errores Græcorum. Ex quibus clarè patet, quòd dicta Sanctorum propter improprietatem loquendi, vel ob aliam causam de virtute Sermonis non sunt vera, nec tamen propter hoc sunt penitus refutanda. Sed reverenter interpretanda. Si quis autem posteriorum Doctorum dictum alicujus Sanctorum contra usum communem etiam in communi schola consuetum, vellet multum extendere, & ad suum sensum inflectendo trahere, aut trahendo inflectere, dictum ejus non esset reverenter suscipiendum aut glossandum, sicut dictum ipsius Sancti, cujus auctoritate uti nititur, sed esset de errore increpandum & condemnandum non minùs quàm si hujusmodi dictum nunquam aliquis Sanctus posuisset. Et causa est, quia in hoc casu talis innititur sensui suo, & præsumit Sanctorum sententias suis coaptare diversis & peruersis dogmatibus, undè evenire potest, ut contagione pestiferâ plurimos secum perdat, & ideò corrigendus est. Nec in hoc reprehenditur Sancti doctrina, sed malè utentis peruersa sententia. Et ad hoc potest poni exemplum clarissimum, nam Beatus Augustinus in pluribus locis dicit, quòd homo factus est Deus, & quòd Deus assumpsit

pſit hominem & Eccleſia cantat: Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, &c. Et tamen ſi aliquis in communi ſchola vellet de proprietate ſermonis iſta dicta extendere, & propter iſta dicere, quòd Deus aſſumpſit hominem, vel quod homo factus eſt Deus, non eſt in aliquo contra fidem, conſtat, quòd talis cogeretur revocare, quia hoc eſt contra fidem ad intellectum, non quidem Auguſtini, vel Eccleſiæ, ſed communis ſcholæ, & juxta communem modum loquendi, ſicut expreſsè docet Sanctus Thomas tertiâ parte Summæ quæſtione tertiâ, articulo tertio, in ſolutione ad principale, & in reſponſione ad primum argument. Sic autem non eſt in propoſito, quia dicta propoſitio, & aliæ ſequentes non condemnantur ad intellectum Sancti Thomæ, ut ex dictis patet, ſed in condemnatione dicitur, quòd non eſt ex dictis Sancti Thomæ aſſerenda in ſenſu, quem reddit, ſcilicet ad ſenſum communis ſcholæ, nec condemnatur ſenſus Sancti Thomæ tamquam in fide erroneus, ſed condemnatur propoſitio tamquam malè ſonans in fide ſecundùm communem modum loquendi Theologorum, & hoc eſt clarum, quia in communi ſenſu ſive uſu non ſolùm Theologorum, ſed etiam Logicorum & Philoſophorum per ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſſe intelligitur illud, quod per nullam potentiam poteſt non eſſe. Hoc autem creaturæ attribuere eſt manifeſtè in fide erroneum, etiam ſecundùm S. Thomam. Quare patet, quòd contra eum nihil dicitur, quin conſimiliter poſſet dici de Beato Auguſtino ſeu alio quolibet Doctore Sancto. Et ſic patet manifeſtè, quòd Facultas Theologiæ huic Sancto magnam fecit reverentiam ejus dictum reverenter gloſſando, & prędictus frater è contra magnam irreverentiam ejus dicta malè applicando, & eis abutendo; quare, &c.

Secundo oſtenditur propoſitum, quia dicta propoſitio condemnata in prædallegato capitulo libri ſecundi contra Gentiles non ponitur in forma. Nam licèt Beatus Thomas ibidem aſſerat quod aliquid creatum eſt, ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſſe, tamen ibidem non dicit, quòd hoc aſſerere eſt in aliquo contra fidem: modò ſtat, quòd illa aſſertio non ſit in aliquo contra fidem in ſenſu Sancti Thomæ, & tamen quòd ſit in aliquo contra fidem, ſcilicet in ſenſu communis ſcholæ, imò etiam quòd ſit contra fidem in ſenſu, quem exprimit dictus frater hoc oſtenditur ex clauſula, quæ in dicta condemnatione ſubjungitur, ſcilicèt, attentâ primâ propoſitione, quam aſſumit, &c. quia dicit, quòd: aliqua res creata eſt ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſſe, æquipollet iſti: Aliqua res creata impoſſibile eſt non eſſe, debuiſſet enim conſequenter loquendo ad

dicta sua addere in secunda propositione simpliciter & absolutè, sicut in prima, nam secundùm expositionem terminorum quam ponit in primo correlario dictæ propositionis condemnatæ necesse esse, quando ponitur sine hac additione simpliciter & absolutè est positivè, ipsum immutabile secundùm quodlibet sui, scilicèt tam secundùm substantiam quàm secundùm accidens, quòd secundùm sensum soli Deo convenit. Constat autem quod impossibile non esse sine additione æquipollet necesse esse, & ideò ex propositione, quam assumit, sequitur, quòd creatura est necesse sine additione, & per consequens immutabilis secundùm substantiam, & secundùm accidens, quod etiam ipsemet dicit esse contra fidem; quare, &c.

Nec valet ratio sua, quam inducit, arguit enim sic prædicta assertio non est contra articulum fidei, nec est contra sacram Scripturam vel doctrinam, igitur non est contra fidem. Primam partem antecedentis probat, quia si esset contra articulum fidei, videretur esse contra articulum de omnipotentia Dei, sed hoc non, quia secundùm eum non repugnat aliquam rem creatam fore simpliciter & absolutè necesse esse, & Deum eam creasse, conservare, & ad nihilum posse redigere. Secundam partem probat, quia in nullo loco Scripturæ sacræ reperitur oppositum, nec ex quo evidenter possit inferri, quare, &c.

Ad hoc namque respondendum est, quòd illud est contra articulum de omnipotentia Dei, & licèt non ad intellectum Sancti Thomæ, tamen ad intellectum communis scholæ, sicut dictum est, & ad eundem intellectum est contra illam auctoritatem Scripturæ: *Ego sum, qui sum*, Exod. 3. secundùm communem sensum expositorum, ut infra capitulo 3. ostendetur, & hoc sufficit ad propositum.

Ad probationem autem dicti antecedentis, & suæ conclusionis inducit quasdam propositiones & rationes, quæ pro majori parte sumuntur, ex prælegato capitulo secundi libri contra Gentiles, de quibus ad præsens, nihil dicendum est quia de illis infra dicetur in quarta & quinta conclusionibus 3. capituli hujus Tractatûs. Sed inter dictas propositiones ponit quartam, quæ in dicto capitulo non habetur expressè, scilicet quod possibile vel impossibile propriè loquendo debet attendi & judicari tale à causa proxima & propinqua, & non à causa remota. Hanc allegat à S. Thoma quæstionibus de potentia, quæstione 1. artic. 4. Et hanc probat sic. Idem est judicium de possibili, & potentia, sed aliquid non est in potentia ad aliud, nisi sit in potentia propinqua uno motore potens exire

in

in actũ,ut dicit Philosophus 9.Mataph.sicut exemplificat, quòd terra non est in potentia chyphus, quia terra est in potentia remota, aurum est in potentia propinqua uno motore potens exire in actum, igitur possibile judicatur tale secundùm causam propinquam,& non remotam. Et iste est modus loquendi S.Scripturæ ut dicit: Et miratur quod hæc homines non advertunt. Undè in Evangelio dicitur: *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Et Hester 15. *Impossibile est sine regali providentia pacem rebus dari.* Et constat quod potest secundùm potentiam Dei remotam, & non secundùm potentiam rei propinquam. Item, Joannes 3. dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et constat, quòd posset de potentia Dei, sed non de potentia rei, & sic de pluribus aliis posset exemplificari, in quibus judicium sumitur à potentia propinqua, & non remota.

Sed ad hoc dicendum est primò, quòd iste modus loquendi favet uni errori Parisiis condemnato in capitulo de Deo & creaturis, in quo dicitur, quod prima causa est causa entium remotissima, error si intelligatur cum præcisione, ita scilicet, quòd non sit propinquissima, modò iste dicit, quod potentia Dei est potentia remota. Et ex hoc concludit, quòd ab ea non dicitur propriè aliquid possibile, sed à potentia propinqua, scilicèt à potentia creata. Adhuc tamen admissa hâc improprietate loquendi de potentia remota & propinqua, dicendum est, quòd licèt secundùm vulgarem loquendi modum tam in quibusdam Philosopię quàm S.Script. locis consuetum aliquid dicitur possibile vel impossibile à potentia propinqua, id est, à potentia causæ secundæ, sicut patet ex auctoritatibus allegatis, qualiter etiam aliquid dicitur necessè juxta illud: *Necesse est, ut scandala veniant.* Tamen secundùm usum scholæ Theologicæ hoc modo nihil dicitur simpliciter, & absolutè possibile aut impossibile aut necessè esse. Et hoc patet ex communi distinctione, quæ datur in Theologia de potentia absoluta, & de potentia ordinata, per quam distinctionem dictus frater voluit salvare quatuor propositiones præcedentes intelligendo eas de potentia absoluta, & non de potentia ordinata. Et constat, quòd per potentiam absolutam intelligit potentiam Dei supremam, & per potentiam Dei ordinatam intelligit potentiam secundarum causarum à Deo in eis ordinatam, sicut aliquid dicitur possibile secundùm legem statutam vel naturam, & tale dicitur possibile, impossibile vel necessè secundùm quid,& non simpliciter & absolutè. Hoc etiam modo loquendi de potentia absoluta, utitur ipsemet Sanctus Thomas eodem

secundo libro contra Gentiles capitulo 25. ubi dicit: Quædam Deus simpliciter nec velle nec facere potest, quædam autem, quæ Deus & velle & facere potest, si ejus voluntas vel potentia absolutè consideretur. Et sic concedit aliqua simpliciter & absolutè possibilia per considerationem ad potentiam ejus absolutam. Ex quibus omnibus patet præmissa non esse contra propositum. Et hæc de sexta conclusione.

Septima propositio fuit, necessè esse non repugnat esse causatum, & hæc condemnatur revocanda tamquam falsa & erronea in fide. Attento primo Correlario ejusdem propositionis cum sua probatione, in qua dicit, quòd necessè esse est illud, quod est immutabile tam secundùm substantiam quàm secundùm accidens, quod soli Dei convenit. Et de hoc dixit in consistorio, sicut de præcedenti propositione. Et in scripto coram judicibus allegat pro ea Sanctum Thomam, ibi supra, contra Gentiles lib. 2. capit. 29. & 1. part. quæst. 50. articulo ultimo, in solutione tertii argumenti. Sed quòd dicta propositio sit rationabiliter condemnata, probatur triplici ratione. Primò quidem, quia licèt Sanctus Thomas ponat dictam propositionem in forma, tamen propter hoc non oportet concedere, quòd sit propriè seu de virtute sermonis vera, sicut patet infra capitulo 3. & sicut etiam apparet per exemplum suprà positum de ista propositione, quam ponit Augustinus, Deus assumpsit hominem, & ideò per suppositionem in principio hujus capituli positam sequitur quòd licèt dicta propositio esset vera ad intellectum Sancti Thomæ. Tamen potest rationabiliter condemnari propter alium sensum falsum in ea intellectum, modò constat, quod secundùm communem usum & consuetudinem scholæ Theologicæ in illa propositione intelligitur falsus sensus & erroneus, scilicet, quòd rei, quæ per nullam potentiam potest non esse, non repugnat esse causatum, quia hoc est consuetum intelligere per necessè esse, quando simpliciter & absolutè & sine additione ponitur. Et ista consuetudo intelligendi seu loquendi est rationabilis, ut infra capitulo tertio ostenditur. Et ideò propter hoc posset dicta propositio rationabiliter condemnari. Et, quod majus est, suppositio, quòd dicta consuetudo loquendi, & communis modus intelligendi esset rationabilis, adhuc propter hoc deberet dicta propositio retractari, sicut patet ex dictis Sancti Thomæ in secunda probatione dictæ suppositionis. Et specialiter ex dicto Beati Augustini in primo exemplo tertiæ probationis ejusdem, ubi dicitur: verumtamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam & causam subdit, cùm videam homines habere in pessima consue-

consuetudine, ut ubi dicere debent, hoc Deus voluit dicant, hoc voluit fortuna.

Ex quo patet, quòd non solùm propter rationabilem loquendi usum, sed etiam malam & irrationabilem consuetudinem intelligendi hominum aliqua propositio est irrationabiliter retractanda. Et ideò cùm dicta propositio secundùm communem & rationabilem consuetudinem loquendi Theologorum habeat prædictum intellectum erroneum, meritò dicitur revocanda. Quamvis tamen Sanctus Thomas prædictum erroneum intellectum non habuit, sicut patet in locis per adversarium allegatis. Unde etiam in prima parte Summæ loco præallegato suum intellectum exponit, ubi dicit: quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis. Et consequenter quid per necessarium velit intelligere, subjungit: Unde non repugnat necessario nec incorruptibili, quod esse ejus dependeat ab alio, sicut à causa, & sic per necessarium intelligit idem quod incorruptibile, quod magis patet ex sequentibus: per hoc, inquit, quod dicitur, quod omnia decidèrent in nihilum, nisi conservarentur à Deo, & etiam Angeli, non datur intelligi, quòd in Angelis sit aliquid corruptionis principium, sed quod esse Angeli dependet à Deo, sicut à causa, non autem dicitur aliquid corruptubile per hoc, quod Deus possit illud in non ens redigere subtrahendo suam conservationem, sed per hoc, quod in seipso aliquod principium suæ corruptionis non habet vel contrarietatem vel saltem potentiam materiæ. Hæc ille. Ex quibus patet, quòd propriè loquendo de corruptibili & incorruptibili, & intelligendo per necessarium idem quod incorruptibile propositio sua est vera, sed hoc modo necessarium non accipitur acceptione propriâ & in communi schola consuetâ.

Prædictum autem intellectum prædictus Frater non posuit, nec in toto scripto suo Parisiis tradito utitur dictis terminis corruptibile, & incorruptibile, & sic improprium loquendi modum & inconsuetam sermonis proprietatem expressit, & hujus improprietatis verum sensum tacuit; quare magnam fecit irreverentiam Sancto Thomæ, ideò debet reprehendi tamquam abusor doctrinæ suæ & irrisor communis doctrinæ Theologicæ Parisiis consuetæ.

Secundò probatur propositum, quia suppósito, quòd prædicta propositio esset de proprietate sermonis vera & in schola Theologica communiter assueta, quod non conceditur, tamen sicut patet ex suppositione præambula hujus capituli & specialiter ex dictis Sancti Thomæ in prima

probatione ejusdem, hujusmodi propositio est rationabiliter condemnanda propter malum sensum & falsum intellectum in ejus probatione seu declaratione expressum. Et hoc modo damnatur propositio prædicta non propter seipsam simpliciter, sed propter relationem ad ejus falsam declarationem, scilicet attento primo correlario ejusdem propositionis, in quo dicit, quod magis est consonum fidei ponere aliquid citra primum esse absolutè & simpliciter necessè esse, quàm ponere ipsum sine aliqua additione esse necessè esse. Attentâ etiam suâ probatione, in qua dicit, quòd necessè est illud quod est immutabile tam secundùm substantiam quàm secundùm accidens. Hoc autem soli Deo convenit, sicut ipsemet dicit, & sicut docet S. Thomas primâ parte Summæ quæst. 9. artic. 2. ubi dicit, quòd solus Deus est immutabilis omninò, & quòd proprium ejus est omninò immutabile esse, per consequens, sicut Deo repugnat esse causatum, sic necessè esse, repûgnat habere causatum secundùm prædictam ejus descriptionem. Item, quia postea dicit, quod necessè esse sine additione stat pro primo necessè esse, quod est Deus, quoniam, ut dicit Philosophus 2. Methaphysicæ, terminus Analogus per se & sine determinatione videtur pro primo & principali supposito. Modò constat, quòd Deus est primum & principale necessè esse, & sic ex verbis ejus sequitur clarè, quòd dicere: necessè esse non repugnat causatum esse, est dicere, quod Deo, qui est primum necessè esse, non repugnat esse causatum, quod est hæreticum, quare manifestè patet, quod dicta propositio sub prædicta modificatione fuit rationabiliter condemnata. Nec valet ratio seu probatio sua, in qua dicit, quod ista propositio est Philosophi 5. Metaphysicæ & 8. Physicorum.

Primò, enim ad hoc dicunt aliqui, quòd nunquam fuit opinio Aristotelis in locis præallegatis vel alibi, quòd aliquid necessè esse, sicut cœlum, esset causatum ab alio causalitate effectiva, imò secundùm mentem Aristotelis, Commentatoris duodecimo Maraphysicæ, commento vigesimo, repugnat aliquid esse necessè esse simpliciter, & esse ab alio effectivè, quia ab agente nihil provenit, nisi contrahendo ipsum de potentia ad actum, ut dicit ibi Commentator, & ideò secundùm aliquos Doctores non fuit opinio Aristotelis, quòd illa, quæ ipse posuit esse ab æterno & necessè esse, sicut cœlum & intelligentiæ, essent à prima causa in genere causæ efficientis, sed solùm in genere causæ finalis.

Secundò dicendũ est, quòd quidquid sit de opinione Aristotelis, tamen ejus opinio non est sufficiens probatio in Theologia ad concludendum aliquam

aliquam propoſitionem eſſe veram ſecundùm fidem, & tamen dixit in in ſcripto ſuo coram judicibus tradito, quòd eodem modo probat propoſitionem ſuam Sanctus Thomas in multis locis, ideò ex hoc concludunt aliqui, quòd Sanctus Thomas non loquebatur ibi Theologicè, ſed Phyſicè, quare dicunt non eſſe inconveniens, concedere in hoc ipſum erraſſe, ſicut patet ex dicendis infra capit. tertio; non enim eſt inconveniens vel abſurdum, aut ei vel doctrinæ ſuæ injurioſum dicere ipſum erraſſe in his, quæ non Theologicè dixit determinando, ſed ſolùm Philoſophicè opinando, nam in quibuſdam locis hoc idem dixit ipſe de Beato Auguſtino, ſicut patet 4. Sententiarum diſtinct. 47. in ſolutione ad primum argumentum ubi reſpondendo ad auctoritatem B. Auguſtini 22. de Civ. Dei, ponentis ordinem eorum, quæ in judicio ſunt futura poſt Chriſti judicium & reſurrectionem in mortuorum, ac bonorum & malorum diviſionem dicentis eſſe futuram mundi conflagrationem ejuſdemque renovationem, ibi dicit, quòd Auguſtinus loquitur non determinando, ſed opinando, quare à fortiori eodem modo reſponderi poterit in propoſito. Et hæc de ſeptima propoſitione ſufficiant.

Octava propoſitio fuit. Magis eſt conſonum fidei ponere aliquid citra primum eſſe abſolutè & ſimpliciter neceſsè eſſe quàm ponere ipſum ſine aliqua additione eſſe neceſsè eſſe, & hæc condemnatur revocanda tamquam falſa & erronea propter falſam implicationem & erroneam comparationem, quæ includit, quòd aliquam rem creatam eſſe neceſsè eſſe, ſine aliqua additione eſt conſonum ſacræ Scripturæ, & per conſequens, aliquod creatum, eſt increatum, quòd contradictionem includit. Hoc autem conſequens ſequitur ex declaratione ſuorum terminorum, quia declarando dictam comparationem ipſe intelligit per neceſsè eſſe primum neceſsè eſſe, quod eſt Deus, ut jam dictum eſt, & infra dicetur.

De hac autem propoſitione dixit in Conſiſtorio, ſicut de duabus præcedentibus, & allegat pro ea Sanctum Thomam 1. quæſt. 9. Sed ibi addidit in propoſitione prædicta iſtam clauſulam, quamvis à Doctoribus unum pro reliquo capiatur, & eamdem poſuit in ſcripto coram judicibus, ſed prædicta clauſula non habetur in ſcripto ſuo Pariſiis tradito, nec in ipſa propoſitione, nec in ejus declaratione, ut notum eſt. Undè prædicta propoſitio fuit rationabiliter condemnata. Patet primò, quia ipſa non condemnatur in aliquo contra Sanctum Thomam vel ejus doctrinam, ſed ſicut apparet ex forma condemnationis, condemnatur præcisè

propter

propter erroneum sensum, quem dat intelligere ratione comparationis impropriæ & abusivæ, nam propriè loquendo secundùm Grammaticos & Logicos comparatiuus præsupponit positivum, & ideò dicendo: magis est consonum fidei, &c. Datur intelligi, quod utrumque est consonum fidei, & in scripto suo coram consistorio exposuit magis consonum fidei, id est, propriè dicitur conformiter ad fidem magis, & hoc est pejus quam primum, quia per hoc dat intelligere, quod utrumque propriè conformatur ad fidem, modò hoc est falsum & erroneum, quia secundùm ipsum & suam expositionem terminorum, propriè loquendo, non est consonum vel conforme fidei, ut patet ex dictis & infra dicendis, quia ponere aliquid citra primum sine aliqua additione esse necessè esse secundùm ipsummet est ponere ipsum primum esse necessè esse, quòd est Deus propriè loquendo. Et sic hoc est ponere aliquid citra primum esse Deum quod est manifestè falsum & erroneum: igitur propositum.

Secundò dicta propositio in forma, quâ ponitur, non invenitur in doctrina Sancti Thomæ, nec in secundo contra Gentiles capit. 29. nec in loco præallegato primâ parte quæst. contra. Imò magis est contra ejus doctrinam, nam ubicumq; loquitur de necessè esse creaturæ semper indifferenter utitur istis terminis simpliciter & absolutè necessè esse, & necessè esse sine additione, quasi ita consonū sit fidei uti uno sicut alio; igitur, &c.

Tertiò, quia illa propositio est contra communem modum loquendi Doctorum & omnium Theologorum, quod patet multipliciter. Primò, quia secundùm communem modum loquendi est consonum fidei quemlibet Angelum beatum necessariò benè velle, sed est consonū fidei ipsum necessariò simpliciter benè vèlle, sicut patet secundo Sententiarum dist. 7. ubi ostenditur de Beatis Angelis, quod non possunt malè velle, sed necessariò benè volunt. Hoc tamen est ex gratia non ex natura, & per consequens non simpliciter necessariò.

Item, consonum est fidei quemlibet viatorem existentem in gratia esse liberum à peccata, juxta illud Apostoli: *Liberati à peccato servi estis justitiæ*, sicut patet 25. distinct. 2. & tamen, ut ibidem apparet, non est ita consonum fidei quemlibet viatorem existentem in gratia esse liberum à peccato simpliciter & absolutè, & ideò magis est consonum fidei dicere aliquid tale sine addito quàm addendo simpliciter & absolutè, quia hæc additio propriè additur contra secundum quid tale vel respectivè tale.

Item, cuicumque consonat vel convenit inferius, convenit superius

riùs per locum ab inferiori ad ſuperius, ſed ratio neceſſitatis eſt ſuperior ad rationem neceſſitatis ſimpliciter & abſolutè, igitur cuicumque ſecundùm fidem convenit neceſſitas ſimpliciter & abſoluta, ei etiam neceſſitas. Major patet, & minor apparet, quia ſecundùm Doctores ratio neceſſitatis dividitur in neceſſitatem complacentiæ & coactionis ſimpliciter, & conditionis vel ſuppoſitionis, ſicut patet 25. diſtinct. 2. & per Boëtium 5. de Conſolatione profâ ultimâ, per Euſtratium 6. Ethicorum capit. 4. & per Sanctum Thomam part. 1. quæſt. 14. artic. 3. & per conſequens illa propoſitio exorbitat à communi modo loquendi Doctorum & S. Thomæ, & ideò non eſt toleranda.

Nec valet ratio ſua, quæ talis: magis eſt conſonum fidei ponere aliqua citra primum eſſe immutabilia ſecundùm ſubſtantiam, & mutabilia ſecundùm accidens, quam eſſe immutabilia univerſaliter, nec ſecundùm ſubſtantiam nec ſecundùm accidens, ſed ponere aliquid citra primum eſſe neceſsè eſſe, ſimpliciter & abſolutè, eſt ponere ipſum immutabile ſecundùm ſubſtantiam præcisè, & ponere ipſum neceſsè eſſe ſine aliqua additione eſt ponere ipſum immutabile ſecundùm quodlibet ſui & ſubſtantiæ & accidentis, quia cùm dico neceſsè eſſe ſine aliqua additione non contrahitur per aliquam additionem, & ideò intelligitur de principali, & hoc eſt neceſſarium, quòd ſecundùm quodlibet ſui non poteſt non eſſe, & tunc hoc non eſt verum, imò contra fidem, quòd aliqua res, citra primam, eſſet univerſaliter immutabilis ſecundùm quodlibet ſui. Unde Auguſtinus de natura boni: ſolus Deus immutabilis eſt, qui omnia fecit, quæ ex nihilo ſunt mutabilia ſunt, &c. quare, &c. Hæc enim ratio in multis deficit. Primò, major eſt falſa, nam quidquid ſit de hoc, utrum aliqua citra primum ſint immutabilia citra ſubſtantiam quod ſupponitur in prima parte, tamen ratione ſecundæ partis comparatio eſt falſa & erronea, quia dat intelligere, quòd ſit conſonum fidei, quod ſint aliqua citra primum immutabilia univerſaliter, quod ipſemet concedit eſſe falſum, & contra illud Pſalmi, quod allegatur ab Apoſtolo Hæbr. 1. *Et tu Domine in principio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem Domine permanes, &c.* Et ſic iſta propoſitio eſt eodem modo & eâdem ratione condemnanda, ſicut propoſitio probata.

Secundò, minor eſt falſa, ſicut patet ex dictis in tertia ratione condemnationis dictæ propoſitionis, non poteſt magis exprimi aliquid neceſsè eſſe quàm dicendo ipſum neceſsè eſſe ſimpliciter & abſolutè, nec talis

additio est, distrahens, imò magis exprimens, sicut patet ex communi modo loquendi.

Tertiò, illud quod concludit ratio, scilicet, quod necesse esse sine additione stat pro principale necesse esse, scilicet pro Deo, est manifestè contra septimam propositionem, ut supradictum est.

Quartò illud quod addidit in consistorio & in judicio, scilicet, quod unum aliquando capitur pro reliquo a Doctoribus, magis est contra eum quàm pro ipso, nam ex hoc manifestè sequitur contra sextam propositionem, quia quando necesse esse simpliciter & absolutè capitur pro necesse esse in principali significatione, tunc ponere aliquod creatum esse necesse esse simpliciter est absolutè & in hoc sensu contra fidem. Et sic patet clarè qualiter inconsequenter loquuntur, & sibiipsi ac etiam doctrinæ Sancti Thomæ repugnatur. Et hæc de tribus propositionibus, quæ contra Sanctum Thomam ab adversariis dicuntur condemnatæ ad præsens sufficiant, de quibus brevius pertransimus, quia de earum materia inferiùs capitulo tertio diffusius pertractatur, quare, &c.

Nona propositio fuit: asserere aliquid fore verum, quod est contra S. Scripturam, est expressissime contra fidem, & hæc condemnatur revocanda tamquam falsa & injuriosa Sanctis & Doctoribus, si eam intelligat universaliter, prout in probatione ejus videtur prætendere: ratio autem hujus condemnationis assignatur, quia aliquid est contra Sacram Scripturam, quamvis hoc non sit evidens. & illud asserere non est expressissimè contra Fidem, patet quia altera istarum duarum propositionum: Deus potest causare supremam speciem, Deus non potest causare supremam speciem, est contra sacram Scripturam, & tamen nulla earum est expressè contra fidem, & sic de multis aliis propositionibus sibi invicem contradictoriis inter Sanctos & Doctores disputabilibus & disputatis. De prædicta propositione prædictus frater multum superbè & pertinaciter loquutus est in consistorio dicens, quòd istam proposuit tamquam catholicam, & per consequens ejus condemnationem reputat hæreticam, & non minùs probationem condemnationis, & plura alia ibi dicens injuriosa multum Theologicæ Facultati & veritati catholicæ, quæ in scripto suo coram judicibus tacuit, de quibus infra dicetur. Sed ut ejus pertinax superbia evidentissimè convincatur: sciendum est, quòd dicta propositio dupliciter potest intelligi, uno modo in sensu composito, alio modo in sensu diviso. Primo modo sensus est, quòd asserere istam propositionem aliquid est verum, quod est contra sacram Scripturam, & asserere

rere expreſſiſſimè contra fidem, & iſte ſenſus poteſt ſubdiſtingui, quia aliquid eſſe contra ſacram Scripturam, poteſt dupliciter intelligi, uno modo contra Scripturam, id eſt, contra verba Scripturæ ſecundùm communem uſum loquendi intellecta, & ſic, ſicut docet Dominus Armachanus libro primo de quæſtionibus Armenorum 1. capit. In ſacra Scriptura multa videntur eſſe falſa etiam aſſertivè poſita, ſicut & illud Iſaiæ 5. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum*, &c. Quod ad communem loquendi uſum conſtat eſſe falſum, cùm infernus nec os habeat nec etiam animam. Et illud Iſaiæ 24. *Erubeſcet luna & confundetur ſol, cùm apparuerit Dominus exercituum*, quod non eſt verum ſecundùm communem loquendi uſum, cùm erubeſcere ſit actus vel paſſio animæ rationalis in corpore. Et illud Baruch 2. *Lapis, qui eſt in pariete, clamabit*, & alia multa hujuſmodi. Similiter in novo teſtamento multa aſſeruntur, quæ non ſunt vera de virtute ſermonis ſecundùm communem modum loquendi, ſicut eſt illud dictum Chriſti: *Doctrina mea non eſt mea.* Et illud: *Cæci vident, claudi ambulant*, & multa ſimilia, & ideò aſſerere aliquid eſſe verum, quod eſt contra ſacram Scripturam, id eſt, contra verba communiter de virtute ſermonis intellecta non eſt contra fidem, quòd etiam clarè patet de dictis Scripturæ ſacræ non aſſertivè, ſed recitativè poſitis, ſicut eſt illud Gen. 3. *Nequaquam moriemini.* Et illud in Evangelio: *Reus eſt mortis*, & ſic de multis aliis, in hoc primo ſenſu propoſitio prædicta non eſt vera.

Secundo modo aliquid poteſt intelligi eſſe contra Scripturam ſacram, id eſt, contra ſenſum ab ejus Auctore, & principali aſſertore, ſcilicet à Spiritu ſancto intellectum: & ſic intelligit Hieronymus 1. quæſt. 1. in capitulo March. & 24. quæſtione 3. Si quis. Et hoc modo dicit Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 1. articulo ultimo, quòd ſenſus litteralis eſt, quem Auctor intendit, Auctor autem ſacræ Scripturæ eſt Deus: & in fine in ſolutione ad tertium argumentum concludit, quòd ſenſui litterali ſacræ Scripturæ nunquam poteſt ſubeſſe falſum, & ideò dicta propoſitio in hoc ſenſu intellecta, & in ſenſu compoſito eſt vera & catholica. Nec ad iſtum ſenſum eſt condemnata, ut patet ex condemnatione & ejus probatione vel ratione.

Tertio modo poteſt intelligi dicta propoſitio in ſenſu diviſo ipſam punctuando ſic, aſſerere aliquid fore verum, quod eſt contra ſacram Scripturam, id eſt, aſſertio alicujus, quòd ſit verum, quod tamen eſt contra ſacram Scripturam, eſt aſſertio expreſſiſſimè contra fidem, & ſic iſta propoſitio

positio indefinitè & particulariter intellecta est manifestè vera, sicut patet, quia asserere istam esse veram, Christus non est Deus, vel Deus non est Trinus & unus, quod est contra Scripturam sacram, est expressimè contra fidem, sed ad istum sensum non potest dicere dictus frater se posuisse dictam propositionem, quia sic non fuisset ad propositum suum, ut patebit.

Quarto modo potest dicta propositio intelligi in sensu diviso & universaliter, ut sit sensus, quòd quicumque asserit, quòd aliquid est verum, quod tamen est contra sacram Scripturam, talis asserit expressissimè contra fidem, ita quod ista consequentia sit bona, iste asserit hoc esse verum, & hoc est contra sacram Scripturam, igitur asserit expressissimè contra fidem, & in hoc sensu dicta propositio posita fuit, & sic contra dictum Fratrem intelligi debuit, quod patet multipliciter, quia secundùm Hilarium intelligentia Doctorum ex causis est assumenda dicendi, sed probatio dictæ propositionis concludit eam in sensu universali, ut clarè patet. Item, causa dicendi seu ponendi dictam propositionem fuit, ut ex ea tamquam ex conclusione principali inferret correlariè quatuor propositiones sequentes de Conceptione Beatæ Mariæ, sicut patet in ejus scripto. Sed constat, quòd nullatenùs correlariè sequuntur, nisi conclusio universaliter intelligatur, ut notum est. Aliter enim non esset ad propositum, sed omninò impertinens; igitur, &c. Item, non debet eum juvare, quòd dicta propositio est indefinita, quia secundùm Philosophos morales, & Juristas in materia morali indefinita æquipollet universali. Et maximè hoc habet locum, quando talis propositio aliter non esset ad propopositum seu intentionem ponentis, sicut est in materia nostra.

His igitur præmissis probandum est, quòd dicta propositio ad sensum prædictum universaliter intellecta est falsa, & Sanctis ac Doctoribus injuriosa. Secundò, quòd non obstantibus aliis sensibus veris propter prædictum sensum est rationabiliter condemnata.

Primum igitur probatur, primò quidem ratione suprapositа in condemnatione dictæ propositionis, quia aliquid est contra S. Scripturam, quamvis hoc non sit evidens, id est, quamvis non sit evidens, quòd sit contra sacram Scripturam, & per consequens illud non est expressissimè contra Sacram Scripturam, ut patet in exemplo ibidem posito, sicut non est expressissimè contra Sacram Scripturam. Nam altera istarum est contra Sacram Scripturam, Deus potest facere supremam speciem. Deus non potest facere supremam speciem, quia oportet, quòd una sit vera,

& si prima sit vera, constat quòd secunda est contra articulum de Omnipotentia Dei. Et per consequens contra Scripturam Lucæ 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Et si secunda sit vera, constat, quòd prima est contra articulum de unitate Dei, scilicèt, quòd Deus possit facere aliquam rem infinitæ perfectionis, quia illa esset Deus, & tamen patet, quòd nulla illarum est expressissimè contra fidem. Nam hoc dicere injuriosum esset Doctoribus tenentibus opiniones contrarias de hujusmodi propositionibus.

Item, hoc idem patet in multis aliis exemplis de propositionibus inter Sanctos & Doctores contradictoriè opinatis. Undè contradictoriè loquuntur Hieronymus & Augustinus de Petro cogente gentes judaizare ad Galat. 2. Augustinus dicit, quòd reprehensibilis erat eò quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, Hieronymus dicit oppositum. Et constat, quòd alterum istorum est contra Scripturam sacram, & tamen nullum illorum est expressissimè contra fidem.

Item de hac materia circa cessationem Legalium, de qua fuit controversia inter Petrum & Paulum, & posteà inter Hieronymum & Augustinum, dicit Sanctus Thomas 2.2. q. de Hæret. 2. quòd aliqui Doctores sic dissensisse inveniuntur, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Et per consequens ante Ecclesiæ determinationem non est dicendum, quòd aliquis talium Doctorum dicat expressissimè contra fidem, nisi evidenter ostendatur, quòd hoc sit contra sacræ Scripturæ auctoritatem.

Item, ad hoc propositum est expressè auctoritas Augustini ad hoc allegata in prologo scedulæ Facultatis Theologicæ, quæ habet 1. libro super Gen. ad litteram versus finem, ubi loquens de variis sententiis vel expositionibus Scripturæ Sacræ, dicit: Ponamus in eo, quod scriptum est: *Dixit Deus, Fiat lux & facta est lux*, alium sensisse lucem corporalem, alium spiritualem: concludit ad propositum tam diu non est contra fidem, donec certissima auctoritate Scripturæ sacræ aliquid refellatur, non est dicendum contra fidem, quare multò minùs est dicendum, expressissimè contra fidem, & sic patet primum quod fuit declarandum.

Secundum verò patet, scilicèt quòd dicta propositio non obstantibus aliis sensibus veris supra expressis propter ultimum sensum immediatè reprobatum fuit rationabiliter condemnata. Et primò quidem hoc probatur ex suppositione præambula in principio hujus capituli posita, &

ex dictis Sancti Thomæ ibidem allegatis, & specialiter ex quarta probatione ejusdem suppositionis. Ex quibus omnibus clarè patet, quòd licèt prædicta propositio sit in aliquo sensu vera & catholica. Tamen propter alium sensum falsum est rationabiliter condemnanda.

Item, non valet, si dicat Adversarius, quòd non est condemnanda, cùm sit de virtute sermonis vera, sicut jacet in forma, nam supposito quòd sic esset. Tamen sermones sunt accipiendi secundùm materiam subjectam, & ideò propter sensum falsum prædictum, quem secundùm materiam subjectam dat intelligere, debuit condemnari.

Item, aliquæ propositiones de virtute Sermonis veræ sunt Parisiis condemnatæ propter aliquem sensum falsum in eis intellectum: unde istæ propositiones, Deus non est melior diabolo, Deus & creatura nihil sunt, dicuntur esse condemnatæ, quæ tamen sunt de virtute Sermonis veræ.

Item, ista propositio: Ecclesia militans, manens Ecclesia, potest errare, per Dominum Stephanum Parisiensem Episcopum postea Cardinalem condemnata fuit, licet asserens eam probaret eandem esse de virtute sermonis veram.

Item, nec hoc debet esse mirum, cùm etiam Augustinus multas propositiones de virtute sermonis veras retractavit, sicut ex suo Retractationum libro clarè patet, & ex dictis in principio hujus capituli. Ex quibus omnibus apparet justificatio condemnationis supradictæ propositionis.

Nec obstat ratio, qua eam probare nititur Adversarius, arguendo sic: asserere aliquid fore verum, quod expressè est contra aliquem de articulis fidei, est expressè contra fidem, sed sacram doctrinam forè veram, est unus de articulis fidei, igitur asserere aliquid contra sacram doctrinam est expressè contra fidem. Hæc enim ratio non valet, quia concessa majore, minor est insufficiens ad inferendum propositum. Primò, quia Sacram Scripturam fore veram, quoad omnem sensum, quem facit, non est articulus fidei, ut dictum est; sed quoad sensum Spiritûs Sancti, qui aliquando docet Sanctos & Doctores catholicos. Secundò in minori debet addi ly, expressè, sicut in majori dicendo, quod Sacram Scripturam fore veram est expressè unus articulus fidei, & hoc non est verum loquendo de articulis propriè. Tertiò, debet addi in conclusione ly, expressè, utrobiq; inferendo, quod asserere aliquid, quod est expressè contra Scripturam ad sensum Spiritûs Sancti intellectam, est expressè contra fidem, & sic est, cùm in proposito per fidem intelligat Scripturam Sacram, hoc non,

aliud

aliud dicere, nisi quod asserere aliquid, quod est expresè contra Sacram Scripturam est expresè contra Scripturam Sacram, ut clarè patet. Hoc autem non est ad propositum conclusionis suæ, nec eorum, quæ ex ea infert correlariè, quare, &c.

Item, etiam ex præmissis patet quàm frivola sunt quædam, quæ in consistorio proposuit ultra ea, quæ tradidit Parisiis: posuit enim ibi circa dictam propositionem tres suppositiones. Prima, quòd tota Sacra Scriptura est vera. Secunda, quòd Sacra Scriptura est revelata à Deo. Tertia quòd asserens aliquid, quod est contra Sacram Scripturam, asserit contra illud, quod est revelatum à Deo. Ex quibus arguit sic: omnis asserens aliquid, quod est contra aliquid, quod est revelatum à Deo, asserit aliquid quod est contra fidem, vel contra illud, quod sequitur ex fide, sed omnis asserens aliquid fore verum, quod est contra Sacram Scripturam asserit aliquid fore verum, qnod est contra illud, quod est revelatum à Deo, & intelligitur esse contra illum, quod est revelatum à Deo illud, quòd est sibi contrarium vel contradictorium, vel etiam Sacræ Scripturæ, vel etiam quod immediatè sequitur.

Sed quidquid sit de suppositionibus præmissis, de quarum materia satis supra dictum est, tamen nec ipse nec prædicta ratio in eis fundata aliquid possunt facere ad propositum, quia in eis non ponitur ly expresè vel expressissimè, quod ponitur in sua propositione, & in quo consistit difficultas, & hoc sufficit pro responsione ad ista, licèt multa alia possent dici. Unde etiam patet, quàm superbè & pertinaciter ex prędictis duo correlaria intulerit. Primum fuit, quòd asserentes oppositum suæ conclusionis incidunt in errorem Manichæorum. Patet, quia ipsi ponunt falsa contineri in Sacra Scriptura, sicut & Manichæi.

Secundum correlarium fuit, quòd tales sunt puniendi, sicut hæretici, licèt enim hæc duo correlaria non sequantur, sicut notum est, cuilibet Theologo, & adeò notum, ut declaratione non egeat, tamen per hæc dicta, & per illud, quod supra dixit, quod reputat condemnationem suæ propositionis & probationem condemnationis esse hæreticam, manifestè convincitur ipsum esse hæreticum, licèt enim non sequatur, condemnatio est hæretica, igitur condemnatores sunt hæretici, quia cum hoc stat quòd sunt parati corrigi, & ideò non sunt inter hæreticos deputandi, sicut patet 24. quæst. 3. dicit Apostolus. Propter quod patet prædictum secundum correlarium esse falsum. Tamen ex quo ipse in dicto correlario asserit, quod condemnantes propositionem suam, seu asserentes oppositum

situm ejus sunt puniendi tamquam hæretici, scilicet Episcopus Parisiensis & Magistri Sacræ Theologiæ, ad quos pertinet ipsum de suo errore corrigere, consequens est, quòd ipse est pertinax in suo errore, & per consequens inter hæreticos deputandus, argumento à contrario sensu ex dicto capit. Dicit Apostolus. Unum enim nec minimum genus est pertinaciæ illos hæreticos nominare, ad quos pertinet aliquid de hæresi corrigere, & maximè donec per superiorem judicem super hoc fuerit declaratum, cui judici dicti Episcopus & Magistri sententias suas reverenter supponunt, ut supra in 1. capit. ostensum est.

Ex prædictis etiam patet, quàm injustè in dicto consistorio conquerebatur de Magistris supradictis ex eo, quod cùm sua propositio sit indefinita vera pro uno supposito, & per consequens vera, tamen ipsi cogebant eum, ut revocaret ipsam, si eam intelligebat universaliter, & quòd eodem modo possent eum cogere ad revocandum istam: *Verbum caro factum est*; licèt enim hæc blasphemia nequaquàm responsione digna sit, tamen ad hoc satis superius est responsum, nam nisi illa propositio universaliter intelligeretur, non est ad suum propositum, ut ostensum est. Unde etiam clarè patet, quod fraudulenter dictam propositionem in scripto coram judicibus ante alias præmiserit, & ipsam ab aliis quatuor Conceptionem Beatæ Mariæ tangentibus segregaverit, propter quas tamen ipsam posuit, & eas ex ipsa correlariè intulit, ut dictum est. Et hæc de nona propositione.

Decima propositio: Non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale, est expresè contra fidem. Et hæc condemnatur revocanda tamquam falsa scandalosa & piarum aurium offensiva, & præsumptuosè asserta, non obstante probabilitate quæstionis, utrùm Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta.

Item alia causa falsitatis hujus propositionis assignatur, quia Eva non contraxit peccatum originale ab Adam, & tamen Eva fuit homo præter Christum, igitur verum est, quòd non omnis homo præter Christum contraxit peccatum originale ab Adam, & per consequens non est expresè contra fidem. Consimiliter argui potest de ipsomet Adam, quòd non contraxit peccatum originale ab Adam. Sed exemplum de Eva clarius est, nam quis dicere posset, quòd primum peccatum Adæ fuit peccatum originale, & quòd ipsum contraxit Adam à seipso, licèt illud peccatum propriè non debeat dici originale, sed actuale, ut patet 2. Sentent. distinct. 22.

Sed

Sed ſuppoſito in aliqua impropria ſignificatione quod peccatũ Adæ vel Evæ diceretur originale, tamen clarũ eſt, quòd illud non contraxit Eva ab Adam, ſed magis è contra, quia Eva fuit Adæ prima occaſio ſic peccandi, ſicut patet eodem libro diſtinſtione 21. & ſequenti, & ſic patet falſitas prædictæ propoſitionis ex prædicta radice, de qua breviter pertanſimus principaliter tractaturi de materia quam dicta propoſitio tangit contra honorem Virginis glorioſæ. Undè de propoſitione illa dixit dictus frater in conſiſtorio, quòd ipſam propoſuit tamquam catholicam ſine pertinacia, tamen pertinacia ipſius ex aliis ejus dictis poteſt apparenter convinci, nam ibidem dixit, quòd ſi cogeretur ad iſtam propoſitionem revocandam, Apoſtolus & alii Doctores ponentes eam, tenerentur ad ipſius revocationem, ſicut & ipſe, unde ex hoc concluditur non ſolùm pertinax ſed blaſphemus, cùm imponat Apoſtolo, cujus ſcripta tamquam divina Scriptura veneranda ſunt, quòd dictam propoſitionem falſam & erroneam poſuit, quòd tamen evidenter falſum eſt.

Ad ejus pertinaciam etiam clariſſime convincendam facit illa ſuperba proteſtatio, quam fecit in præſentia totius Theologicæ Facult. ubi cùm per ejuſdem Facultatis Decanum charitativè moneretur, ut de malè dictis ſeipſum ſine coactione juridica corrigeret, reſpondit, quòd omnia, quæ in quæſtione de reſumpta dogmatizavit, ubique etiam uſque ad mortem defendere & publicè ſuſtinere. In ſcholis etiam multum arroganter dixerat, quòd prædictam, & alias ſequentes propoſitiones, ſicut & quaſdam alias præcedentes ex injuncto Majorum ſuorum dicebat, nec eas ſine magno & maturo conſilio publicabat, dans omnibus aſtantibus intelligere, quòd ex parte Ordinis hæc omnia procedebant. Unde ſi hæc falſa ſunt, Ordo ipſe contra eum deberet procedere, nec procedentes contra eum deberet quomodolibet impedire. Nunc autem cùm res aliter ſe habeat, quid inde conjecturari poſſit, ſatis notum eſt, habentibus rectum judicium rationis.

His præmiſſis contra prædictam propoſitionem, & ad ejus condemnationis juſtificationem arguitur ſic: omnis propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa piarum aurium offenſiva, & præſumptuosè aſſerta, quæ aſſerit aliquid eſſe expreſsè contra fidem, quòd multi SS. & Doctores Catholici tenent & aſſerunt, & quòd multi Summi Pontifices & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales & alii majores Eccleſiæ Prælati, & plures particulares Eccleſiæ, imò ferè univerſalis Eccleſia aut ejus major & ſanior pars aſſerunt, & publicè dogmatizant, & ad cujus approbationẽ tenent miracu-

la esse facta, & in cujus commemorationem annuale festum solemniter celebrant, sed prædicta propositio & aliæ tres sequentes sunt hujusmodi: igitur, &c. Major patet, quia absurdum est, quòd tales, & tanti Catholici aut asserant expressè vel expressissimè contra fidem, & quòd Summus Pontifex & alii majores Ecclesiæ Prælati sic faveant sic errantibus contra fidem, & pro hoc facit auctoritas Augustini primo libro de doctrina Christiana, ubi ait: Divinarum Scripturarum solertissimus indagator hunc modum tenere debet in Scripturis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis proponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus eas proponat, quas plures graviores que accipiunt eis, quas pauciores minoriśve auctoritatis Ecclesiæ tenent, & sicut dicit Augustinus de Scripturis, ita dicendum est, de Scripturarum expositionibus & intelligentiis, & ideò illud quod in eis plures Ecclesiæ & majores Ecclesiarum Prælati tenent & asserunt non est dicendum expressè vel expressissimè contra fidem, maximè, donec per universalem Ecclesiam oppositum fuerit determinatum vel certâ ratione approbatum, juxta dictum Augustini primo super Genesim superiùs allegatum contra nonam propositionem, & sicut patet per dictum Sancti Thomæ, & alia ibi dicta. Sed minor rationis probatur, quia prædicta propositio, & aliæ tres sequentes asserunt aliquid esse expressè vel expressissimè contra fidem, scilicet Beatam Virginem non contraxisse ab Adam peccatum originale, quod tamen multi Sancti & Doctores approbati & Prælati prædicti ac particulares Ecclesiæ Catholicæ modo prædicto tenent, asserunt & approbant, sicut notum est. Sanctorum verò, ac Doctorum auctoritates pro illa parte non inducimus, quia illam quæstionem, utrùm Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta, hîc disputare non proponimus, nam prædicta & tres propositiones sequentes condemnantur non obstante probabilitate hujusmodi quæstionis. Undè sicut probabiliter tenentes partem prædictam non dicunt illos asserere contra fidem, qui tenent partem oppositam, ita multò minùs iste frater dicere debuit, quòd tenentes ipsam non fuisse in peccato originali conceptam dicant expressè contra fidem aut expressissimè, & hoc sufficit ad propositum.

Et ideò hoc multipliciter declaratur. Undè cùm pars adversa multum absurdum reputet dicere, quòd Sanctus Thomas aliquid asseruerit quòd sit expressè vel expressissimè contra fidem. Multò magis hoc reputari debet de tot Sanctis & Doctoribus ac aliis Catholicis, qui partem

prædictam

prædictam asserunt. Item, ipsemet Sanctus Thomas 1. Sentent. distinct. 24. artic. 3. in responsione ad tertium argumentum dicit, quòd tanta vel talis fuit puritas Beatæ Virginis, quòd à peccato actuali & originali immunis fuit, & per consequens Sanctus Thomas asserit expressè contra fidem; quod tamen pars adversa in alia materia abhorret audire. Nec valet si dicatur, quòd alibi asserit oppositum, scilicet in 3. Sententiarum distinct. 3. in solutione primæ quæstionis, ubi concludit, quòd Beata Virgo in originali peccato concepta fuit. Hoc enim eum non excusat, sed solùm ex hoc sequitur, quòd in doctrina sua contradictoria asserit, & in materia fidei, & ideò oportet quòd alterum contradictoriorum sit contra fidem. Unde etiam clarè sequitur, quòd hujusmodi doctrina non potest in omnibus esse approbata.

Item, licèt dicat, quòd fuerit concepta in originali, tamen nec ibi nec alibi dicit, quòd oppositum dicere est expressè vel expressissimè contra fidem, imò ex dictis ipsius clarè sequitur contrarium, nam in Secunda Secundæ, quæstione de hæresi artic. 2. in solutione ad principale dicit, quòd ad fidem aliquid pertinet dupliciter, uno modo directè & principaliter, sicut articuli fidei: alio modo indirectè & secundario, sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, & circa utraque potest esse hæresis eo modo quo & fides. Ex quo patet primò, quòd non omnis hæresis vel error in fide est directè vel principaliter contra fidem. Et per consequens non est contra eam expressè vel expressissimè. Et ideò posito, quòd ipsi vel aliqui alii Doctores dicerent, quòd esset hæreticum vel erroneum in fide Beatam Virginem sine peccato originali conceptam fuisse, tamen non sequitur, quòd hoc sit expressè contra fidem.

Secundò sequitur, quòd cùm hoc non sit expressè contra aliquem articulum fidei, nec ex hoc expressè vel evidenter sequatur corruptio alicujus articuli, absurdum est dicere, quòd hoc sit expressè hæreticum vel expressè contra fidem, & sic manifestè iste frater in hac materia contradicit doctrinæ Sancti Thomæ.

Item, licitum est in hac materia probabiliter loqui, & istam partem tenere, vel circa utramque dubitare, ut supponitur. Sed non licèt sic probabiliter loqui vel dubitare de aliquo, quòd est expressè contra fidem, quia dubius in fide infidelis est, ut dicitur in capit. 1. de hæreticis. Et maximè non est licitum dubitare illos, qui tenentur fidem explicitè scire, sicut sunt Prælati Ecclesiæ & Doctores fidei catholicæ. Pro quo sciendum

dum, quòd sicut dicit Sanctus Thomas Secunda Secundæ quæst. 1. artic. 6. Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundùm se. Alia verò sunt credibilia, de quibus non est fides secundùm se, sed solùm in ordine ad alia. Et consequenter hoc declarando subdit: Quia verò principaliter est de his quæ videnda speramus in patria secundum illud Hebræorum 11. *Fides est substantia sperandarum rerum.* Ideò per se ad fidem pertinent illa, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ, omnipotentia Dei, mysterium Incarnationis Christi, & alia hujusmodi, & secundùm ista distinguntur articuli fidei: quædam verò proponuntur in Sacra Scriptura, ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem, sicut quòd Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Helisei suscitatus est mortuus & alia hujusmodi, quæ narrantur in Scriptura in ordine ad manifestationem divinæ majestatis vel Incarnationis Christi. Et secundùm talia non distinguuntur articuli, posteà verò quæst. 2. artic. 5. dicit quòd quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenere, habere fidem, quantùm autem ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, sed solùm implicitè vel in præparationem animi, in quantum paratus est credere quidquid in divina Scriptura continetur, sed tunc habet solùm explicitè credere quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri. Et consequenter articulo sequenti dicit, quòd superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

Ex quibus dictis patet primò, quòd hæc materia non sit de credibilibus principaliter ad fidem pertinentibus, tamen si ostendatur esse expressè contra fidem, & per consequens oppositum constet in doctrina fidei contineri, sicut iste frater dicit se ostendere, tunc quilibet homo tenebitur suæ assertioni explicitè credere, & per consequens oppositum probabiliter opinantes vel dubitantes erunt hæretici, quod est absurdum.

Secundò sequitur hoc maximè de majoribus, scilicèt, Prælatis & Doctoribus, ad quos pertinet alios erudire, cùm ipsi magis quam alii teneantur explicitè credere, & quid sit, vel non sit expressè contra fidem præ aliis cognoscere, *quia oportet eos esse paratos ad satisfaciendum omni poscenti de fide, &c.* ut docet Petrus Apostolus primæ Petri tertio capitulo, & ideò Papa & alii majores Ecclesiæ Prælati, ad quos illud maximè pertinet,

essent

eſſent hæretici opinando ſeu dubitando illud, quod iſte frater aſſerit eſſe expreſsè imò expreſſiſſimè contra fidem. Hoc autem dicere eſt abſurdum, falſum, ſcandaloſum, præſumptuoſum & piarum aurium offenſivum. Et ſic patet qualiter hujus frâtris præſumptio ex doctrina Sancti Thomæ evidentiſſimè confutatur.

Item, hæc præſumptuoſa aſſertio non ſolùm Sanctis & Doctoribus tenentibus Virginem ſine macula originali injurioſa eſt, ſed etiam his, qui tenent oppoſitum adverſatur, nam licèt Beatus Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes tenuerit ipſam in peccato conceptam fuiſſe, propter quod ibidem ſcribit conceptionem ejus celebrandam non eſſe. Quod ideò veriſimiliter tenuiſſe creditur, quia nondum ſuo tempore miracula, quæ nunc pro hac celebritate facta eſſe probantur, ſibi nota erant, nec per Eccleſiam divulgata, ideò paucæ tunc Eccleſiæ dictam Conceptionem celebrabant, tamen in fine dictæ Epiſtolæ concludit: quæ autem dixi abſque præjudicio dicta ſint, ſanè ſanius ſapienti præſertim auctoritati Eccleſiæ atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ hujuſmodi, ſicut univerſa reſervo, ipſius ſi quid aliter ſapio paratus judicio emendare. Undè ſequitur, quòd illud ſolùm probabiliter & opinativè tenuit, nec oppoſitũ tenentes inſanè ſapere aſſerere præſumpſit, quod tamen potuiſſet, ſi illud expreſsè eſſe contra fidem credidiſſet. Tunc enim hoc non reſervaſſet aliorum examini vel correctioi, ſed dixiſſet potiùs cum Apoſtolo ad Galat. 1. *Licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Ex quibus omnibus poteſt ſic argui; illud quod eſt expreſsè contra fidem ab illo, qui hoc credit nullatenùs eſt ſupponendum aliorum examini vel emendationi cujuſcumque, etiam Angeli de cœlo. Sed quòd Beata Virgo fuerit concepta in originali peccato à Sanctis Doctoribus licitè ſupponitur examini & emendationi aliorum, ut patet ex dicto Beati Bernardi præallegato, igitur non credunt illud ſic eſſe credendum vel tenendum, ut dicendum ſit oppoſitum eſſe expreſsè contra fidem. Et per conſequens hoc aſſerens, præſumptuosè loquitur, & intentioni Sanctorum patenter adverſatur.

Nec valet ratio, quâ propoſitum ſuum probare nititur. Arguit enim ſic dicta propoſitio, ſcilicèt non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatũ originale, eſt expreſsè contradictoria propoſitionibus S. Script. igitur eſt expreſsè contra fidem. Antecedens patet Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gratiâ Dei.* Et ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem*

peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, & ita sicut unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per Dominum IESVM Christum, &c. Item, 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, igitur omnes mortui sunt*, scilicet per peccatum, dicit Glossa. Item Isaiæ 53. *Omnes nos sicut oves erravimus*, &c. Et dicit Augustinus 1. de Baptismo parvulorum, quòd hæc vox est omnium membrorum Christi.

Ad hanc igitur rationem respondetur, & primò negatur antecedens; quia contradictorium illius exceptivè non habetur expressè in Scrip. S. nec in auctoritatibus allegatis, nec in quibuscumque aliis, cùm etiam talis affirmativa, in qua forma proponitur, de virtute sermonis esset falsa, quia adhuc præter Christum ab illa excipitur Adam vel saltem Eva, ut dictum est suprà. Et per consequens magis debet excipi Maria, quia majus debet privilegium attribui Matri nostræ redemptionis, quàm Matri nostræ generationis, sicut majus est nostræ regenerationis, quàm generationis beneficium.

Secundò suppositò, quòd contradictoria illius propositionis haberetur expressè in Scriptura, tamen negatur consequentia, nisi addatur in antecedente, quod est expressè contradictoria propositioni Sacræ Scripturæ, scilicet ad sensum Spiritûs sancti intellectæ, sicut patet ex dictis in nona propositione.

Tertiò dicendum est, quòd omnes illæ auctoritates sunt universales accommodè & non simpliciter, sicut ista: *Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quòd ista sit intentio Sanctorum & intellectus Scripturæ ad sensum Spiritûs sancti, patet per Augustinum, qui hîc allegatur loquens secundùm legem communem, tamen alibi legem privatam, & specialem considerans Mariam excipit, sicut patet in libro contra quinque hæreses, ubi in persona Christi loquens, ait: Si potuit inquinari, cùm ipsam facerem, potui inquinari, cùm ex ea nascerer. Et in libro de Natura & Gratia, cùm de peccatis agitur, nullam de Maria volo facere mentionem, &c.

Quartò, quòd sic excipere ab illa universali aliam præter Christum non sit expressè contra fidem, patet, quia aliter sequeretur, quòd etiam ista; non omnis homo præter Christum est mendax, & similiter ista; non omnis caro præter carnem Christi est fœnum, essent expressè contra fidem, quia habetur expressè in Scriptura: *Omnis homo mendax*, & *omnis*

homo

homo fœnum, & falsitas consequentis declaratur, quia ex hoc sequetur, quòd Hieronymus & Augustinus & cæteri Sancti ponentes MARIAM Matrem Christi non fuisse mentitam nec fuisse incineratam, errassent expresè contra fidem, quod est absurdum. Undè pro hujus declaratione est sciendum, quòd istud signum universale, omnis, in sacra Scriptura distribuit subjectum, cui apponitur triplicitèr, uno modo non simpliciter, sed secundùm quid, scilicet pro majori parte contentorum sub subjecto vel pro contentis sub eo secundum aliquam determinationem, sicut dicitur in Psalm. *Omnes declinaverunt*, &c. *Omnis homo mendax*, quidem potest intelligi quoad majorem partem hominum, cùm tamen omni tempore fuerint aliqui boni & veraces, vel potest intelligi secundùm aliquam determinationem, scilicet quantùm ad naturalem pronitatem, prout natura excluderet gratiæ auxilium.

Secundò distribuit pro communi lege tantùm, & tunc à tali universali specialiter privilegiati eximuntur, sicut Eccl. cap. 10. *Omnia quæ de terra sunt*, &c. Et ibi: *Omnis caro fœnum*; ubi loquitur de Incineratione corporum, & quia Christus & Mater ejus habent in hoc speciale privilegium, non cadunt sub illa universali regula secundùm Hieronymum & Augustinum.

Tertio modo distribuit pro aliqua parte subjecta sui subjecti, sicut Roman. 8. *Omnis creatura ingemiscit*, &c. ubi solùm distribuit pro creatura rationali viatrice, & non pro Beata. Et sic auctoritates allegatæ per Adversarium non concludunt propositum, quia sicut omnes declinaverunt, id est, plures, vel omnes secundùm naturalem pronitatem, si non fuisset gratia adjuvans, sic omnes illo modo præter Christũ peccaverunt. Et sicut omnes in terram per Incinerationem convertuntur propter privilegiatos sic in proposito, & sicut omnis rationabilis creatura ingemiscit, quantùm ad viatores, sic omnes habuerunt peccatũ originale præter personas, circa quas nostræ redemptionis mysterium fuit immediatè celebratum. Ex quibus patet, quòd licèt auctoritates prædictæ sint universales in voce, non tamen simpliciter & universaliter sunt intelligendæ, & ideò patet, quòd non concludunt oppositum. Et hæc de decima conclusione sufficiant.

Undecima propositio fuit: Beatam MARIAM Virginem & Dei Genitricem non contraxisse peccatum originale, est expresè contra fidem, & hæc condemnatur revocanda tamquam falsa, scandalosa præsum, piosè asserta & piarum aurium offensiva. De hac autem propositione dixit

in

in consistorio, quod ipsam proposuit tamquam opinabilem, & ibi usus fuit isto termino, expressimè, licèt eo non utatur in scripto coram judicibus exhibito. Et postquam allegavit plures Doctores tenentes eam conceptam fuisse in peccato originali, inter quos quidam tenent, quòd oppositum dicere est hæresis, intulit, quòd hoc tenentes tenerentur revocare, si ipse teneretur.

Sed improbatio omnium istorum patet ex dictis in præcedenti propositione, & specialiter ex dictis Sancti Thomæ in quarta & quinta rationibus contra eamdem. Item, improbatio ejusdem propositionis patet ex dictis in præcedenti. Item, quòd illam non proposuit præcisè tamquam opinabilem patet, quia asseruit se illam velle defendere usque ad mortem, prout supra dictum est. Item, præter illa, quæ dicta sunt, arguitur contra eamdem propositionem sic, quia Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Ecclesiarum cum multis Ecclesiis sibi subjectis tenet & asserit quòd non est expressè contra fidem dicere MARIAM conceptam sine originali, igitur asserere oppositum est temerarium, quia sic dicere est asserere hujusmodi Ecclesiam errare: consequentia patet, & antecedens probatur, quia qui sustinet & permittit illud, quod est expressè contra fidem quod tamen potest impedire, sic sustinendo & permittendo præcisè, illud tacitè tenet & asserit, & in hoc errat contra fidem, ut in capit. Qui alios. Extra de Hæreticis. Et in cap. Excommunicamus infra eodem titulo. Sed constat, quòd Romana Ecclesia permittit dicere MARIAM sine originali conceptam, imò etiam de ejus Conceptione solemnizat; igitur, &c.

Item, Doctores catholici tractantes de hac materia, an sit expressè contra fidem, determinant expressè, quod non est contra fidem MARIAM fuisse sine originali conceptam, sicut patet per Bonaventuram 3. dist. 3. quæst. 1. cujus opera pro causa fidei in Archivo Papæ sunt recondita, ut quidam dicunt tamquam fidei catholicę utilia, igitur patet propositum.

Nec valet ratio in oppositum facta, arguit enim sic: Asserere MARIAM non contraxisse peccatum originale est expressè contra Scripturam, ergo expressè contra fidem. Antecedens probatur, quia omne illud dicitur esse contra Scripturam sacram, cujus oppositum elicitur formaliter ex Scriptura sacra, sed Beatam MARIAM contraxisse peccatum originale formaliter concluditur ex Scriptura, arguendo sic: omnis homo præter Christum contraxit peccatum originale, Beata Virgo est homo præter Christum, ergo ipsa contraxit peccatum originale. Major

est

est Apostolus ad Roman. 5. *In omnes homines mors pertranſiit*, &c. Et minor patet Matth. 16. ubi Christus vocat se Filium hominis, scilicet Virginis Matris. Ad hoc respondetur, quòd stat, quòd illud sit contra Scripturam verbaliter intellectam, & tamen non sit contra fidem, sicut dictum est, & ad probationem antecedentis dicendum est, quòd illud non concluditur ex Scriptura ad sensum Spiritûs Sancti intellecta. Et ad argumentum patet, quòd forma non valet, vel aliqua præmissarum est falsa, nam omninò consimiliter probaretur, quòd Eva contraxit peccatum originale, quod est falsum, & ideò major est neganda, sicut in præcedente propositione ostensum est, & ad auctoritatem Apostoli patet ibidem quid dicendum. Et hæc de undecima propositione sufficiant.

Duodecima propositio fuit, quòd tantùm est contra Sacram Scripturam: Unum hominem esse exemptum à peccato originali præter Christum, sicut decem homines ponerentur exempti, & hæc condemnatur, sicut præcedens revocanda tamquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva. Et de hac & sequenti propositione dixit in Consistorio, quòd eam proposuit tamquam veram sine pertinacia, & ibidem addidit, quòd non minùs est contra Scripturam, &c. quod in scripto coram judicibus non tradidit. Illam etiam protestationem specialem, scilicet sine pertinacia nunquam Parisiis expressit, sed magis oppositam, dicendo se velle istas conclusiones seu propositiones usque ad mortem defendere, licèt autem improbatio dictæ propositionis satis pateat ex prædictis, tamen contra specialiter arguitur sic, ponere decem homines exemptos à peccato originali est tam expresè contra Scripturam, quòd omnes catholici concedunt esse hæresim manifestam, ergò si tantùm est contra Scripturam, unum hominem præter Christum esse sic exemptum, omnes habebunt concedere hoc esse hæresim manifestam, quod est contra honorem Sanctorum & Doctorum & aliorum concedentium Beatam MARIAM esse conceptam, &c. quam appellatione unius hominis ipse intelligit, sicut patet in declaratione præcedentis propositionis, ubi dicit, quòd Beata Virgo est purus homo; igitur, &c.

Item, non tantùm infringitur lex communis per privilegium unius, sicut multorum. Undè non est tantùm contra legem civilem ponere Augustum exemptum & privilegiatum, sicut ponere decem servos, vel decem præsides provinciarum sic exemptos argumentum. ff. de legibus juncto titulo de servitutibus, & per consequens non tam est contra cõmunem legem Scripturæ Sacræ ponere Reginam cœli exemptam ab omni

peccato, sicut ponere decem servos sic exemptos. Attento, quòd Ecclesia, quæ Spiritu Sancto regitur, de qua cantat, quòd est omni laude dignissima: *Et quibus te laudibus efferam nescio.* Quod intelligitur secundùm Sanctos, quoad munditiæ nitorem & exemptionem à peccato, sicut patet per Anselmum libro de Conceptu virginali capit. 16. & Sanctum Thomam lib. 1. dist. 44.

Item, non est tam contra Scripturam unum hominem præter Christum exemptum à carnis incineratione, sicut si decem ponerentur exempti, sicut patet per Hieronymum & Augustinum hoc concedentes de Maria, & per Sanctum Thomam 4. Sentent. distinct. 43. artic. 4. ubi in solutione 2. quæst. dicit, quòd omnes resurgent à cineribus in communi resurrectione, nisi aliquibus ex privilegio specialis gratiæ sit contrarium indultum; igitur à simili de peccato originali, quod est causalis ratio mortis & incinerationis non est tam contra Scripturam ponere unum præter Christum ab eo esse exemptum, sicut ponere plures & maximè ponere illamesse exemptam, quàm ejus filius præ cæteris aliis privilegio specialis gratiæ voluit honorare: igitur propositum.

Nec valet ratio in contrarium in qua dicit, quòd universalis affirmativa ita falsificatur ex una particulari, sicut ex decem, quamvis sint in una plures causæ falsitatis quàm in alia. Ad hoc enim dicendum est primò, quòd hoc nihil facit contra privilegium Mariæ, quia talem affirmativam veram, quam includat, est in tota Scriptura non poterit reperire, ut patet ex dictis.

Secundò, universalis affirmativa cum exemptione prædicta, scilicet præter Christum non est expressè in Scriptura intellecta secundùm Spiritûs Sancti intellectum, quia talis universalis non sunt universales simpliciter ut dictum est. Et hæc de duodecima propositione sufficiant.

Decimatertia propositio fuit: Magis est expressè contra Scripturam Sacram Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quàm asserere ipsam simul fuisse beatam, & Viatricem ab instanti suæ Conceptionis vel sanctificationis. Et postquam probavit correlariũ dixit, quòd pari modo videretur posse dici, quòd magis est expressum quàm ipsam unitam fuisse hypostaticè, & hoc idem in Consistorio & in scripto suo coram judicibus recitavit. Hæc autem propositio condemnatur, sicut præcedentes revocanda tamquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta & piarum aurium offensiva. Et meritò potuisset rigorosius condemnari, quia nulla præcedentium est ita temeraria.

Unde

Undè pro ejus ſpeciali improbatione ſuppono, quòd aſſerere MARIAM fuiſſe ſimiliter beatam & Viatricem ab inſtanti ſuæ ſanctificationis vel fuiſſe unitam hypoſtaticè eſt expreſsè & manifeſtè hæreticum. Et hoc patet etiam per adverſarium, quia in iſta comparatione præſupponit hoc eſſe expreſſum contra Scripturam Sacram. Primum etiam patet per illud Exod. 3. *Non videbit me homo & vivet.* Unde per ibi notata patet, quòd hoc intelligitur de beatifica viſione, quæ non eſt cum vita hujus viæ. Et per illud Joann. 1. *Deum nemo vidit unquam, niſi Unigenitus*, &c. ubi ponitur expreſsè exceptio de Filio Dei, quæ non ſic ponitur expreſsè in iſta: *Omnes in Adam peccaverunt*, &c.

Secundum patet, quia implicat MARIAM eſſe hypoſtaticè unitam cum MARIA, ſic nomen ſuppoſiti tenendo, ſicut tenent omnes Theologi, ſed recipiendo illam impropriam loquutionem ad ſenſum ipſius, & intelligendo per MARIAM humanitatem ſeu naturam, & non ſuppoſitum, adhuc conſtat, quòd Eccleſia tenet univerſaliter MARIAM non eſſe vel unquam fuiſſe Deum, ſicut patet per Sanctos tractantes illud Joann. 2. *Quid mihi & tibi mulier.* Ex his patet, quòd ex illa propoſitione ſequitur, quòd ponere MARIAM non eſſe conceptam in peccato originali, eſt magis expreſſum contra Scripturam, quam illa, quæ ſunt expreſsè & manifeſtè hæretica, & quæ talia reputantur ab univerſali Eccleſia, hoc autem eſt nimis temerarium & abſurdum, & ſic ex his & aliis ſupradictis manifeſtè ſequitur propoſitum.

Nec valet ratio in oppoſitum facta, in qua dicit, quòd non ita expreſsè apparet in Scriptura, quòd ipſa non fuerit beata in via, ſicut eſt expreſsè quòd ipſa fuit in originali peccato concepta.

Ad hoc enim primò dicendum eſt, quòd nullatenùs eſt expreſſũ, quòd MARIA fuit ſic concepta, ſicut patet ex dictis, ideò ex aſſumpto ſuo nihil ſequitur contra propoſitum. Secundò dicendum eſt, ad mentem ſuam quod in Scriptura clarè eſt expreſſum, quòd ipſa non fuit beata in via, ſicut patet per auctoritates allegatas, & hoc ſatis oſtendit auctoritas univerſalis Eccleſiæ, quæ non poteſt errare, tamen ipſa generaliter tenet, quòd ſolus Chriſtus fuit Viator & beatus, & quòd ipſe ſolus fuit verus homo & verus Deus, non autem ſic tenet, quòd ſolus Chriſtus fuerit ſine peccato originali conceptus, ut notum eſt. Et hæc de decimatertia propoſitione.

Decimaquarta propoſitio & ultima fuit, in expoſitione Sacræ Scripturæ ſive declarando per Eccleſiam ſive declarando per Doctores ſive

excipiendo per quodcumque, de Sacra Scriptura, & non aliundè trahenda est determinatio, declaratio sive exceptio, sicut in Grammatica, quæ regulas ponit, in eadem exceptio reperitur. Et hæc condemnatur revocanda tamquam falsa, erronea, si intelligat quod exceptio vel expositio sit trahenda expressè & explicitè ex Scriptura Sacra, & non aliunde, prout videtur prætendere, aliter non esset ad propositum suum. Et hoc patet clarè per processum suum, quia ponit illam propositionem pro regula generali, & applicat eam ad propositum de Conceptione Mariæ volens eam apprehendi sub lege communi, quia ex Scriptura Sacra de ea exceptio expressa & explicita non habetur.

Item, patet per exemplum de Grammatica, quòd posuit, in qua constat, quòd expressa & explicita exceptio reperitur, & ideò fraudulenter prædictum exemplum in Consistorio tacuit, quod tamen in scripto coram judicibus tradere coactus est. Ibidem etiam dixit & addidit, quòd trahēda est hujusmodi expositio vel exceptio ex Scriptura, scilicet & fundamentaliter, quam tamen additionem in scripto prædicto, & etiam in scripto suo Parisiis non expressit: dixit etiam ibidem quòd istam proposuit tamquam veram & catholicam ad mentem Beati Gregorii sine pertinacia, & per consequens ejus condemnatio est sibi suspecta de hæresi. Ex quibus verbis ejus pertinax superbia satis potest convinci, sicut supra tactum est.

Ad condemnationem autem dictæ propositionis in scedula Magistrorum duplex ratio assignatur. Prima est, quia multæ sunt contra eam instantiæ, sicut de ista: *Omnes quod in os intrat per secessum emittitur*, constat, quod oportet ab ista universali excipere & eam exponere, quia aliter opinio Magist. 2. Sentent. distinct. 31. quòd nihil de extrinseco transit in veritatem humanæ naturæ, nec per generationem, nec per nutritionem, esset vera, quæ tamen à Doctoribus reprobatur, & tamen ab illa non fit exceptio, quæ habeatur expressè vel explicitè ex Scriptura Sacra, sed magis aliundè, scilicet in rationali, naturali & medicinali.

Item, instantia est de istis, omnes à maximo ad minimum avaritiæ student. *Et si dixerimus, quòd peccatum non habemus nosipsos seducimus:, & veritas in nobis non est*, quia multi sunt vel fuerunt, & de lege ordinata esse possent sine peccato avaritiæ vel alio actuali, & tamen in Scriptura Sacra expressè non reperiuntur illi excepti.

Item, instantia est de ista: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit Filius Dei*, quia multi secundùm animam ascenderunt, & secundùm

corpus

corpus à Doctoribus aliqui ponuntur ascendisse, sicut Beata Virgo; & secundùm aliquos quidam qui surrexerunt cum Christo: undè quòd nemo præter Christum ascendit in cœlum, est hæresis secundùm Bonaventuram super tertium Sententiarum distinct. 22. in fine, & tamen talis exceptio non habetur ex Scriptura.

Secunda ratio est, quia prædicta regula detrahit determinationibus & usibus Ecclesiæ catholicæ, ex revelatione enim seu inspiratione divina & ex instructione Apostolorum in primitiva Ecclesia multæ expositiones Sacræ Scripturæ sunt traditæ, & ad hoc est auctoritas Joannis ultimo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESVS, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Ex quibus patet, quòd Ecclesia multa tenet quæ expressè non habentur in Scriptura. Et ista ratio confirmatur primò auctoritate Innocentii III. Extra de celebratione missarum, cùm Marthæ, ubi dicit: Sanè multa tam de verbis quàm de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse creduntur. Et infra: Credimus igitur, quòd formam verborum, sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorú acceperint successores. Undè patet, quòd forma Sacramenti Eucharistiæ, licet expressè secundùm se totam non reperiatur in Scriptura, tamen auctoritate Ecclesiæ habemus eam servare, & ita est de multis aliis in materia Sacramentorum, & in talibus ad fidem faciendam sufficit auctoritas Ecclesiæ sine expressa auctoritate Scripturæ Sacræ, sicut docet Augustinus libro contra Manichæos, & habetur 11. distinct. capit. Palam. Ubi dicitur, quòd in re dubia ad fidem & certitudinem, valet auctoritas Ecclesiæ Catholicæ: & ratio prædicta assignatur.

Item, circa Sacramentum Matrimonii multæ sunt determinationes, expositiones, declarationes & exceptiones per Ecclesiam traditæ, quæ tamen ex Sacra Scriptura expressè non trahuntur, sicut patet in quarto Decretalium. Et similiter circa Sacramentum Pœnitentiæ, ab illa parte universali concessione, quâ quilibet Sacerdos in ordinatione sua recipit potestatem absolvendi quemlibet indistinctè per illa verba Joann. 2. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ecclesia tamen excipit de aliquibus personis & de aliquibus peccatis, & tamen hæc exceptio expressè ex Sacra Scriptura non habetur, ut notum est. Hic advertat, si placet, Romana Ecclesia, quia prædicta regula multum detrahit suæ auctoritati in determinando sive declarando circa

ea, quæ sunt fidei. Nam ipsa determinavit, quòd essentia divina nec generat, nec generatur in capit. Damnamus de Summa Trinitate & fide Catholica. Attamen ratio determinationis non potest haberi expressè in Scriptura Sacra, ut patet. Similiter etiam determinavit Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, & tamen hæc determinatio non habetur expressè in tota Scriptura, aliter cessaret schisma inter nos & Græcos. Et ideo illa regula videtur favere errori Græcorum, qui dicunt nos anathematizatos, quia dicimus Spiritum Sanctum procedere ab utroque, cùm non habeatur expressè in Scriptura, nec in eorum conciliis, sicut patet primo Sentent. distinct. 11.

Item, hæc regula contrariatur doctrinæ Sanctorum Doctorum, qui circa expositionem Sacræ Scripturæ multa docent, quæ non trahuntur ex auctoritate Scripturæ, sed deducuntur pro universali ratione, sicut patet in libro Augustini de concordia Evangelistarum & aliis ejus, & aliorum Sanctorum opusculis.

Similiter Augustinus & Hieronymus ab universali illa, *Omnis caro fœnum* excipiunt MARIAM, quæ tamen exceptio expressè in Scriptura non habetur, imò ponens istam regulam sibiipsi contradiceret: videtur, quia ponit eam pro expositione vel declaratione Sacræ Scripturæ & tamen ipsam non trahit expressè ex Scriptura Sacra, sed eam solùm probat auctoritate humanâ, scilicèt, Gregorii & Augustini, ut notum est.

Item, dicta regula improbatur in materia circa quam, & gratiâ cujus posita est, nam applicat eam ad materiam Conceptionis MARIÆ, quia dicit, quod ab illa universali regula: *Omnes in Adam peccaverunt*, non debet excipi MARIA, quia talis exceptio in nulla parte Scripturæ reperitur. Undè dicit, quòd omnis exceptio alicujus regulæ habet probari per eamdem scientiam, per quam regula probatur, sicut in Grammatica sunt regulæ, & in eadem scientia sunt exceptiones. Ex quibus patet, quòd ad sic excipiendum MARIAM exceptio debet trahi expressè & explicitè ex Sacra Scriptura, sicut patet per exempla de Grammatica, quia in ea ponuntur exceptiones explicitè & expressè.

Sed contra hoc arguitur, quia Christus, qui fuit verus homo non peccavit in Adam, nec ab Adam peccatum originale contraxit, & tamen ex Sacra Scriptura sola non trahitur expressè & explicitè exceptio ejus à prædicta universali regula, sed aliunde, scilicèt ex ratione, & ex rationabili deductione in Scriptura fundata, & hoc modo trahitur etiam

ex

ex Scriptura exceptio de MARIA, igitur, &c. Sed ad hoc respondet negando minorem, quia dicit, quòd ille actor, scilicet Apostolus, qui posuit illam regulam excipit Christum, ut patet eodem capitulo. Item, ad Hebræos 4. *Tentatum per omnia pro similitudine*, scilicet hominum, *absque peccato*, &c. Item, *qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus.* Ad hoc multipliciter replicatur faciliter, quia duæ auctoritates ultimæ non excipiunt Christum à peccato originali, cùm illæ manifestè loquantur de peccato actuali, ut satis patet. Præterea ratio non facit ad propositum, quia Apost. ad Rom. 5. ubi ponit dictam universalem regulam, non ponit expressè, quòd Christus non contraxit peccatum originale, sed dicit, quòd sicut in unius delicto mors pertransiit, &c. Multò magis abundantiâ gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum JESUM Christ. Et infra: Sic per unius justitiam in omnes homines, &c. Sed ex hoc non sequitur expressè nec evidenter, quòd Christus non contraxit originale, quia aliquis posset dicere, quòd staret Christum à peccato originali sanctificatum fuisse & purgatum, & tamen per gratiam ipsius regnum cœlorum fuisse hominibus apertum, & per ejus instantiam humanum genus fuisse justificatum, sicut Ecclesia cantat de MARIA: *Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, & per MARIAM Virginem iterùm patefacta est.* Et tamen hoc non obstante Adversarius dicit ipsam in peccato conceptam, licèt in utero sanctificatam. Et ideo illa exceptio de Christo non expressè habetur ex illis verbis Apostoli, nec ex eis evidenter sequitur, sed ex illis trahitur per ratiocinationem & deductionem non evidentem. Et sic potest dici, quòd MARIA, quamvis non ita apparenter possit de ea hæc exceptio excludi, sicut de Christo.

Confirmatur primò ista ratio, quia Augustinus & alii Doctores non excipiunt solum Christum singulariter, sed sicut docet Augustinus primo libro de Baptismo & libro 2. contra Julianum, Illa regula illos solùm apprehendit, qui descenderunt ab Adam per naturalem propagationem. Christus autem non sic descendit, & in hoc se fundat adversarius. Et ex eodem fundamento concludit Sanctus Thomas 2. Sentent. dist. 31. artic 2. quod necessarium est omnes, qui ex Adam generantur per viam coitus originale contrahere, & hoc non probat principaliter ex Scriptura, sed quadam deductione fundata in naturali ratione. Ex qua in fine solutionis quæstionis infert, quòd ideo omnes, qui secundùm rationem seminalem, quæ est virtus activa, ab Adam descendunt, oportet, quòd in culpa originali nascuntur, & ideo in responsione ad tertium argu-

argumentum dicit, quòd si aliquis divinâ virtute ex digito formaretur, originale non haberet, & rationem ibi ponit, quia defectus non accusatur ex voluntate primi hominis, nisi in eis, qui ab eo naturam excipiunt, non autem aliquis accipit naturam à materia, sed ab agente, unde cùm iste sit ab Adam solùm materialiter, non autem sicut à principio activo ab eo descendat, constat, quòd natura humana ab eo non accipit, nec per eum incurrit prædictos defectus, & ideò rationem pœnæ vel culpæ non habebunt, cùm non comparentur ad voluntatem, sicut ad causam.

Ex prædictis, patet, quòd Augustinus, Sanctus Thomas, & alii non excipiunt Christum ab illa regula sub ratione singulari, sed sub ratione communi, scilicet, quia non descendit ab Adam per naturalem propagationem, quæ exceptio potest pluribus convenire saltem miraculosè, sicut patet per exemplum positum à Sancto Thoma de illo, qui ex digito formaretur, & ita de quolibet alio, qui sine coitu generaretur. Modo constat, quòd hæc generalis exceptio ex dicto Apostoli vel alia Scriptura expresè non extrahitur, sed per quamdam ratiocinationem & deductionem fundatam in ratione naturali, sicut patet ex dictis Sancti Thomæ, & per consequens poterit consimiliter excipi MARIA, per aliam rationem in Scriptura aliqualiter fundatam maximè, cùm ejus Conceptio fuerit miraculosa, sicut esset illa, quæ poneretur sine propagatione humana.

Confirmatur insuper ex dictis Sancti Thomæ 3. Sentent. distinct. 3. artic. 1. in responsione ad ultimum argumentum, ubi ad auctoritatem Hieronymi dicentis: Non mihi credas, si tibi aliquid dixero, quod ex veteri vel novo Testamento haberi non possit, sed de sanctificatione B. Virginis in utero nihil dicitur in novo vel veteri Testamento, igitur non est credendum eam in utero sanctificatam fuisse, respondetur quòd quamvis sanctificatio Virginis beatæ in utero expresè in Scriptura veteris ac novi Testamenti non legatur, tamen pro certo potest haberi ex his, quæ ibi leguntur, & consequenter hoc infert per quamdam rationem dicens. Si enim Joannes & Hieremias sanctificati sunt, qui Christum prænunciaverunt, multò magis Beata Virgo, quæ ipsum genuit.

Ex quibus patet quòd consimili ratione potest dici, quod quamvis Conceptio Beatæ Virginis sine originali peccato expresè in Scriptura Sacra non habeatur tamen ex ea scilicet ex rationibus circa eam fundatis probabiliter potest trahi inter quas prætacta ratio apparenter concludit, quod

si

ſi Joannes & Jeremias ex privilegio ſpeciali fuerunt in utero ſanctificati, multò magis Mater Chriſti ultra eos ſic fuit privilegiata, quæ non ſolùm fuit in utero ſanctificata, ſed etiam omninò præſervata à peccato originali.

Ex quibus omnibus patet probabilitas opinionis communis, B. MARIAM eſſe ſic privilegiatam ſine alterius opinionis præjudicio aſſerentis, non enim dicit alteram opinionem eſſe hæreticam aut expreſsè contra fidem, ſed eam reputat probabilem propter prædictas auctoritates Apoſtoli, & alias, quibus tamen poteſt probabiliter reſponderi, ſicut declaratum eſt.

Ex prædictis etiam patet clarè, quàm periculoſa eſt propoſitio ſeu regula ſuperiùs improbata. Nec etiam ratio pro ea facta eſt alicujus apparentiæ, probat enim eam duabus auctoritatibus, prima eſt Gregorii 18. lib. Moralium, ubi ait: Qui ad veræ prædictionis verba ſe præparat neceſsè eſt, ut cauſarum origines à ſacris paginis ſumat, & omne, quod loquitur ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium ſuæ loquutionis firmet. Alia eſt Auguſtini de vita Clericorum: In doctrina Sacræ Scripturæ auctoritatem debet Epiſcopus præferre non ſæcularium litterarum peritiam oſtendere, non enim eſt Epiſcopi officium Grammaticam exponere, nec laudes Jovis perſonent ora Pontificis. Ex iſtis namque auctoritatibus ſi diligenter conſiderentur præmiſſa, nullatenùs inferri ante dicta, ſed ſolùm habetur ex eis, quod in doctrina prædicationis fundamentum debet ſumi ex Sacris Scripturis, & non ſæcularibus litteris, quòd nullo modo eſt contra dicta. Et hæc de prædicta regula, & de toto ſecundo principali dicta ſufficiant.

CIrca tertium principale in quo declarandum eſt, quòd doctrina Sancti Thomæ non ſic eſt approbata, quod propter eam oporteat ante dictam condemnationem aut dicti Epiſcopi proceſſum aliqualiter impedire, præmittenda eſt hæc diſtinctio, quòd aliquam doctrinam eſſe per Eccleſiam approbatam, poteſt tripliciter intelligi, uno modo, quòd talis doctrina ſit per Eccleſiam tamquam utilis, & in fide probabilis acceptata, & tamquam talis inter Scholaſticos divulgata. Secundo modo, quod talis doctrina ſit ſic approbata, quòd oporteat credere, quòd ipſa ſit in omni ſui parte vera. Tertio modo, quòd ſit ſic approbata, ut oporteat credere, quòd ipſa in nulla ſui parte ſit in fide erronea vel hæretica. Secundus autem modus differt à tertio, quia ſtat quod aliqua doctrina,

n aliqua sui parte sit falsa absque hoc, quod sit in fide erronea vel hæretica. Nam multa sunt falsa, quæ non pertinent ad fidem, quæ tamen non inducunt errorem condemnabilem, & in talibus non cadit hæresis, quia hæresis importat corruptionem fidei Christianæ. In talibus autem falsitas vel error ad corruptionem fidei Christianæ non pertinet, ut dicit Sanctus Thomas Secunda Secundæ quæstione de hæresi articulo secundo, & ideò patet, quòd approbatio alicujus doctrinæ, secundo modo major est approbatione alicujus tertio modo. Primus autem modus approbationis multum differt à duobus aliis, quia multæ sunt doctrinæ illo primo modo approbatæ, quæ continent non solùm falsa, imò etiam quædam in fide erronea, ut inferiùs patebit. Unde primus modus approbationis communis est multis doctrinis seu libris vel tractatibus Sanctorum & Doctorum. Sed secundus modus & tertius valdè paucis scripturis conveniunt, scilicet soli doctrinæ Scrip. Sacræ ac universalis Ecclesiæ, ut quidam dicunt, sicut apparebit ex dicendis, & ideo utique ipsorum major est primo. Quilibet autem prædictorum modorum potest subdividi, quia talis approbatio alicujus doctrinæ potest esse expressa vel tacita, expressa quidem per Scripturam authenticam, sicut per auctoritatem Scripturæ divinæ, vel constitutionem Ecclesiæ, vel Bullam Apostolicam, aut aliam litteram authenticam alicujus personæ vel Collegii in hoc potestatem habentis. Et sic expressè approbata est doctrina Scripturæ Sacræ novi & veteris Testamenti, generalium Conciliorum, Epistolarum Decretalium, & quorumdam opusculorum Sanctorum Patrum, sicut patet ex Decreto Gelasii Papæ 16. dist. capit. Sancta Romana. Tacita verò potest esse alicujus doctrinæ approbatio per tollerantiam seu permissionem Ecclesiæ. Et sic multæ sunt doctrinæ approbatæ, non solùm Sanctorum Patrum, sed etiam quorumdam Doctorum & Magistrorum, qui scripserunt Summas & lecturas diversas, & in quibusdam inter se adversas tam in Theologia quàm in Jure Canonico, sicut patet de multis Doctoribus Universitatis Parisiensis & aliorum studiorum, & hæc tacita eorum approbatio habetur implicitè ex præallegato Decreto Gelasii Papæ, ubi dicit: Opuscula atque Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à Sancto Romanæ Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab eis prædicatione sejuncti sunt, legenda decrevimus. Unde hîc generaliter omnium illorum Magistrorum vel Doctorum, hujusmodi approbata opuscula approbata tacitè & implicitè sunt, licèt non explicitè sint approbat, sed de opusculis eorum diligenter servandum est, quod ibi-

dem

dem ſequitur, quòd cùm hæc ad Catholicorum manus advenerunt Beati Apoſtoli Pauli ſententia præcedat: *Omnia probate quod bonum eſt tenete.* Juxta primam diſtinctionem declarandæ ſunt tres principales concluſiones circa approbationem doctrinæ Sancti Thomæ. Deindè aliæ tres ſpeciales circa doctrinam ejus de abſoluta neceſſitate creaturæ.

Prima igitur concluſio eſt, quòd doctrina Sancti Thomæ in opuſculis Theologicis contenta, primo modo eſt per Eccleſiam approbata, id eſt, tamquam utilis & probabilis divulgata: & hoc probatur, quia illa doctrina meritò ſic eſt approbata & apud ſcholaſticos divulgata, quæ in pluribus imitatur Scripturam divinam, & ſpecialiter in illis quatuor utilitatibus, quas ponit Apoſtolus, dicens: *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad increpandum, ad erudiendum*, ſed ut in pluribus talis eſt hujuſmodi doctrina Sancti Thomæ, nam ipſa in multis eſt utilis ad docendum catholicam veritatem, & ad arguendum hæreticam falſitatem, & ad increpandum in malis moribus, & ad erudiendum in virtutibus, ut notum eſt: igitur concluſio vera, & ideo hanc doctrinam in his, in quibus eſt ad iſta utilis tamquam approbatam recipimus, ſicut & doctrinam aliorum Magiſtrorum & Doctorum, qui & ante & poſt eum in hoc venerabili ſtudio Pariſienſi floruerunt, quamvis & doctrinam ipſius aliquo modo præ aliis veneremur propter reverentiam non ſolùm doctrinæ, ſed etiam perſonæ docentis & ſuæ ſanctitatis, ac etiam Eccleſiæ ipſum canonizantis. Servamus tamen in ea prædictum documentum Gelaſii & ſententiam Apoſt. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, ſicut ipſemet Sanctus Thomas docuit, ut inferiùs apparebit.

Secunda concluſio, quòd prædicta Sancti Thomæ doctrina non eſt ſecundo modo per Eccleſiam approbata ſic, ſcilicet, quòd oporteat credere, quòd ipſa in omni ſui parte ſit vera, & hæc concluſio adeò clara eſt, ut etiam pars adverſa eam negare non poſſit, quia iſte frater contra quem agimus inter aſſertiones ſuas condemnatas, aliqua poſuit, quæ ſunt expreſsè contra Sancti Thomæ doctrinam, ut ex prædictis patet, multi etiam Magiſtri & Doctores ſui Ordinis, ſicut Dominus Durandus & plures alii in ſuis lecturis, & in multis paſſibus præfatæ doctrinæ contradicunt, ut notum eſt, & ideò ſecundùm ipſoſmet non oportet credere, quodhujuſmodi doctrina in omni ſui parte ſit vera. Inſuper & alii antiqui Doctores famoſi, ſicut Dominus Guillelmus Pariſienſis, & Dominus G. Altiſſiodorenſis Epiſcopi, Dominus Durandus de Sancto Portiano Or-

dinis Prædicatorum, sicut Alexander de Ales, Magister Joannes Scotus, Dominus Ægidius de Roma, Magister Gregorius de Armino, & quamplures alii tam Sæculares quàm Regulares plures opiniones Sancti Thomæ rationabiliter reprobant, & tamquam falsas impugnant, & in hoc moderni Doctores & Baccalaurei illos antiquos Doctores in suis lecturis & actibus Scholasticis imitantur, quod utique non fieret si oporteret credere hujusmodi doctrinam in omni sui parte esse veram, & ideo hanc doctrinam hoc modo extollere & approbare, esset doctrinam omnium aliorum Doctorum evidentissimè reprobare.

Item, hoc esset derogare non solùm omni doctrinæ humanæ, sed etiam doctrinæ divinæ, & Scripturæ canonicæ, quia nec doctrinæ Augustini, nec cujuscumque alterius quatuor principalium Doctorum Ecclesiæ, nec cuicumque alteri doctrinæ humanæ attribuenda est hæc auctoritas excellentissima, ut oporteat credere, quòd ipsa in omni sui parte sit vera. Sed hæc prærogativa soli doctrinę divinæ, quæ canonica appellatur servanda est, sicut docet Augustinus Epistola 8. ad Hieronymum, & habetur in 10. distinct. 9. capit. Ego solis. Ubi dicit: Ego solis illorum librorum Scriptoribus, qui jam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Et post pauca sequitur: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantâvè doctrinâ polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos vel probabili ratione, quòd à verò non aberrent persuadere potuerunt. Et eadem sententia probatur eâdem distinct. capit. Quis nesciat. Et cap. sequenti. Noli frater. Ex quibus omnibus patet prædicta conclusio, quæ adeò clara est, ut eam ampliùs declarare tædiosum & superfluum videatur.

Tertia conclusio est, quòd præfata Sancti Thomę doctrina non est tertio modo prædicto per Ecclesiam approbata sic, scilicet, quòd oporteat credere, quòd ipsa in nulla sui parte sit in fide erronea vel hæretica. Et hæc conclusio probatur; primò ex dictis ejusdem Sancti Thomæ in prima parte Summæ suæ quæst. 1. artic. 8. in solutione ad secundum argumentum, ubi dicit, quòd licèt locus ab auctoritate, qui fundatur in ratione humana sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super revelationem divinam est efficacissimus, & postea distinguit triplicem modum auctoritatum, quibus utitur sacra doctrina, nam quandoque utitur auctoritatibus Philosophorum, sicut Apostolus actuum 17. inducit

inducit verbum Arati, dicens: *Sicut & quidem Poëtarum vestrorum dixerunt: genus Dei sumus*, sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis, & probabilibus auctoritatibus, aut canonicâ Scripturâ tamquam argumentis propriis, & ex eis propriè ex necessitate arguendo; auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ utitur, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, quæ fuit aliis Doctoribus facta, & ad hoc allegat dictum Augustini in præfato capit. Ego solis. Ex quibus dictis multa sequuntur; primò sequitur, quòd cùm auctoritas vel doctrina S. Thomæ in multis fundetur in ratione humana saltem in illis non oporter, quòd sit ita firma, quin possit esse in fide erronea. Aliter enim locus sumptus ab auctoritate, quæ fundatur in ratione humana, non esset infirmissimus, ut ipse dicit, sed jam attingeret illam firmitatem, quam habet locus ab auctoritate fidei, quæ fundatur in revelatione divina, quod est contra ipsum. Et maximè apparet propositum, quia ejus doctrina in multis innititur auctoritatibus & rationibus Philosophorum, & præcipuè Peripateticorum. Nam quando in omnibus etiam arduissimis fidei articulis, & humanam rationem transcendentibus ipse utitur dictis articulis, & immiscet ejus Philosophiam doctrinæ fidei, sicut patet cuilibet intuenti. Hoc autem præbet occasionem errandi, cùm ipsemet dicat, quòd auctoritas Philosophorum sint argumenta, quasi extranea Scripturæ Sacræ, & ideo Haymo in Christianarum rerum memoria agens de laude Origenis, postea de causis erroris ejus inquirens ita dicit: Quod autem erratum est ab Origine, & contra orthodoxam fidem aliquid est descriptum, opinor ex hoc ei accidisse, quòd nimiæ lectionis studio Philosophos est amplexus, & post pauca sequitur: & fortassè quia nimis in eis est moratus, & quòd diutiùs ebibit de calice Babylonis, coactus est de ejus fece in Sacram Scripturam transfundere. Hæc ille. Hæc autem non ideo inseruimus, quia Sanctum Thomam de studio Philosophiæ reprehendere, aut ipsam Philosophiam, quasi Theologiæ nocivam damnare velimus, nam ut Haymo ibidem subdit: Neque hoc dicendo Lectores artium damnamus & artes, nam & ipse non inutiliter leguntur ad profundas quæstiones Theologiæ enodandas, & perscrutandas rationes, sed illud propter hoc dicimus, quia physicas & naturales rationes applicare & adaptare rebus divinis, & maximè in arduis fidei articulis sæpè dat causam & occasionem errandi, & hoc expressè docet Dominus Altisiodorensis in

principio Summæ suæ Theologicæ; ubi dicit, quòd ideo decepti fuerunt hæretici, quia rationes rerum naturalium proprias volebant applicare rebus divinis. Et posteà subdit, si autem considerassent hæretici, res divinas in infinitum excedere res naturales, nunquâ proprias rationes rerum naturalium applicare voluissent rebus divinis, quia sicut dicit Boëtius: Eruditi hominis est de unaquaque re, prout ejus natura exigit, Sermonem habere, undè tandem in fine capituli concludit: nos igitur rationibus rerum naturalium non nitemur, sed ex Theologicis rationibus, & consonis rebus, de quibus loquimur circa res divinas negotiabimur, hoc est enim quod dicit B. Dionysius in principio libri de divinis Nominibus: Universaliter autem nihil audendum dicere aut intelligere de supersentiali, & occultâ Divinitate præterquam ea, quæ nobis ex sacris Eloquiis sunt expressa. Ex quibus omnibus apparet 1. correlarium ex dictis S. Thomæ.

Secundò, ex ejus dictis sequitur, quòd cùm auctoritas divinæ seu canonicæ Scripturæ præcellat auctoritati aliorum Doctorum Ecclesiæ in hoc, scilicet, quia in doctrina Ecclesiæ seu fidei Auctoritas facit argumentum necessarium. Auctoritas verò aliorum solùm argumentum probabile, ut ipse dicit: consequens, quòd divinæ Scripturæ, & non doctrinæ humanæ cujuscumque Doctoris Ecclesiæ oportet de necessitate credere, quare arrogantissimum esset dicere, quòd oporteat credere quòd doctrina Sancti Thomæ in nulla sui parte sit erronea in fide, cùm Augustinus aliorum Doctorum eximius hanc arrogantiam à se excludat, & ab aliis Doctoribus, sicut patet lib. 2. ad Vincentium, ubi dicit: Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis Majoribus, ita multa esse in multis nostris libris, quæ possunt justo judicio, & nullâ temeritate culpari. Et in Epistola ad Fortunatum prout habetur 9. distinct. in capit. Neque. Dicit idem August. Neque quorumlibet expositiones, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum veluti Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scripturis improbare atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter scripserint quàm veritas habet. Et subdit, talis ego sum in Scripturis aliorum quales volo esse intellectores meorum. Et patet correlarium.

Tertiò sequitur ex præallegatis Sancti Thomæ verbis, quòd cùm ipse nec fuerit Apostolus & Propheta, nec ei sicut nec aliis Doctoribus facta fuerit talis revelatio, cui innitatur fides nostra, ut ipsemet dicit, consequens est, quòd ejus doctrina potest esse in fide erronea, qui illa sola doctrina

ctrina non poteſt eſſe in fide erronea, cui innititur fides noſtra. Et ideò Auguſtinus loquens de ſuis & aliorum Doctorum ſcriptis in Epiſtola ad Vincentium prout habetur 9. diſtinct. capit. Noli frater. Ita ſcribit. Hoc genus litterarum ab auctoritate Canonis diſtinguendum eſt, non enim ſic leguntur tamquam ex eis ita teſtimonium proferatur, ut contra ſentire non liceat, ſi ubi fortè aliter ſapuerint quàm veritas poſtulet. In eo quippè numero ſumus, ut non dedignemur in nobis dictum ab Apoſtolo accipere. Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; vobis Deus revelavit. Et eandem ſententiam oſtendit idem Auguſtinus diffusè lib. 11. contra Fauſtum. Ex quibus & aliis præmiſſis tam Auguſtini quàm Sancti Thomæ verbis clarè patet propoſitum. Undè non eſt in dubium revocandum, quòd ſicut Sanctus Thomas fuit regulæ Beati Auguſtini profeſſor, ita fuit, ſicut eſſe debuit, præfatæ ejus doctrinæ humilis imitator, ut cum eodem Auguſtino in prologo libri 3. de Trinitate diceret: noli meis litteris, quaſi canonicis Scripturis inſervire, ſed in illis, ſcilicèt, canonicis: & quæ non credebas, cùm inveneris incunctanter crede. In iſtis autem, ſcilicet meis, ſcripturis, quòd certum non habeas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere. Et hæc de prima concluſionis probatione.

Secundò principaliter eadem concluſio ſic probatur, quia de illa non oportet credere doctrina, quòd ipſa in nulla ſui parte ſit in fide erronea vel hæretica, in qua quidem continentur multæ contrarietates & repugnantiæ etiam in materia ad fidem pertinente, ſed multæ hujuſmodi repugnantiæ & contrarietates continentur in doctrina Sancti Thomæ, igitur, &c. Major eſt nota, ſed minor probatur, & de multis exemplis pauca brevitatis causâ ponentur.

Primum exemplum eſt, quia 1. Sentent. diſtinct. 11. artic. 4. tenet Sanctus Thomas, quod Pater & Filius poſſint dici duo Spiratores, ſicut ſpirantes. In prima verò parte Summæ ſuæ quæſtione 36. articulo ultimo dicit, quod ſunt unus Spirator & non duo, & tamen hæc materia multum ad fidem pertinet, cùm in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. celebrato diffinitum fuerit, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit, ſicut patet in capitulo. Fideli. Extra de Summa Trinitate & fide Catholica lib. 6.

Secundum exemplum eſt, quia in 2. Sentent. diſtinct. 1. dicit, quòd creatio inſtrumentaliter communicari potuit creaturæ, ſuſtinens in hoc opinionem Magiſtri lib. 4. diſtinct. 5. in qua tamen ab aliis Doctoribus communiter non tenetur. In prima verò parte Summæ quæſt. 45. artic. 5.

dicit

dicit, quòd non. Et idem dicit in secundo contra Gentiles capit. 21. & in quæstione de Veritate.

Tertium exemplum potest poni, quia in secundo Sententiarum & similiter in quarto tenet, quòd omnis homo præter Christum concipitur in peccato originali, & in primo tenet, quòd Beata Virgo non fuit concepta in peccato originali, sicut supra dictum est. Et tamen pars adversa, contra quam agimus, asserit secundum esse expresse, imò expressissimè contra fidem, & ideò habet concedere, quòd doctrina Sancti Thomæ in hac parte est in fide erronea.

Quartum exemplum, quia 3. Sentent. distinct. 6. quæst. 2. artic. 2. dicit, quòd prima opinio ibi posita à Magistro non est hæretica, licèt sit falsa, scilicet, quòd Filius Dei assumpsit hominem ex humana carne & anima rationali constitutum, & ille homo cœpit esse Deus, & Deus cœpit esse homo ille. In tertia verò parte Summæ quæst. 2. artic. 3. in fine dicit, quod est hæretica & damnata in Concilio.

Quintum exemplum est, quia in 4. Sentent. distinct. 38. artic. 4. in solutione tertii argumenti dicit, quòd Papa potest dispensare in voto continentiæ, & in Secunda Secundæ quæstione 88. artic. 11. dicit, quòd non allegans decretalem, cùm ad monasterium. Extra de statu Monachorum, ubi in fine illius decretalis dicitur, quòd abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere, sed hæc secunda opinio videtur esse erronea in fide, cùm sit contra observantiam Ecclesiæ, quæ in tali voto quandoque dispensavit, sicut ostendit Dominus Durandus in 4. Ex quibus omnibus conclusio.

Sed adhuc ad majorem ipsius confirmationem, ponitur sextum exemplum generale, quod sumitur ex quodam Tractatu Sancti Thomæ de concordantia quorumdam dictorum suorum inter se discordantium, qui incipit: Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia; ubi multa diversa & adversa, quæ in doctrina sua continentur, corrigit & exponit, & quia verisimile est, quòd tunc non omnia hujusmodi sibi occurrerint, ideò in fine Prologi sui supplicat librorum suorum Lectoribus ita dicens: Si quis aliquid invenerit non concordanter, si non sit manifesta causa dicendi, ex qua secundùm Hilarium accipienda est intelligentia dictorum, discretiorem & magis exercitatum consulat. Si verò non fuit inventum quomodo utrumque stare possit, id illorum eligat, quod magis consonum veritati judicaverit. Alterum verò nos ipsi revocaremus, si talis

lis diſcordia nobis occurreret. Ex quo dicto correlariè ſequitur, quòd ſi in doctrina Sancti Thomæ aliqua aſſertio reperiretur, quæ eſſet hæretica aut in fide erronea, non propter hoc ſequeretur, quòd aſſerens fuiſſet hæreticus, quia ſcilicèt eam pertinaciter non aſſeruiſſet, cùm ad revocationem humiliter ſe offerat. Sic etiam Beatus Cyprianus & Beatus Hieronymus, licèt enim erroneas opiniones vel hæreticas ſcripſerint, quas revocaſſe non leguntur, ut infra dicetur, quia tamen eas pertinaciter non defenderunt, non ſunt hæretici judicandi. Sic etiam Abbas Joachim ſcripſit opinionem hæreticam, ſicut teſtatur Innocentius III Extra de Summa Trinitate & fide Catholica capit. Damnamus. Et tamen non propter hoc fuit judicatus hæreticus propter hoc, quia ſicut in dicto capit. dicit Gloſſa ſuper verbo Corrigenda. Ipſe fuit ad correctionem paratus. Et propter hoc ſolùm quòd aliquis hæreſim tenuerit verbo vel ſcripto non eſſet poſt mortem de hæreſi accuſandus, niſi probari poſſet, quòd talem hæreſim pertinaciter tenuiſſet. Et hoc patet ex dictis Sancti Thomæ in Secunda Secundæ quæſtione de hæreſi artic. 2. in ſolutione ad tertium argumentum, ubi allegat Auguſtinum 24 quæſt. 3. dicentem: Si qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tacitâ ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos computandi. Unde concludit, quòd ſi aliqui Doctores diſſenſiſſe videntur in vel contra ea, quorum nihil intereſt ad fidem vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nundum erant per Eccleſiam determinata, non eſt vitium hæreſis, poſtquam autem eſſet determinata auctoritate univerſalis Eccleſiæ, ſi quis tali determinationi pertinaciter reſiſteret vel repugnaret hæreticus eſſe ſentiretur, & hoc dicit S. Thomas propter diſſenſionem, quæ fuit inter Hieronymum & Auguſtinum circa ceſſationem legalium.

Ex quibus omnibus patet, quòd idem Sanctus Thomas, qui Auguſtinum, & in regula, & in doctrina ſequitur, ſicut magiſtrum diſcipulus, dicere potuit & debuit cum eodem Auguſtino: Errare potero, ſed hæreticus non ero, quare non oportet credere, quòd doctrina ſua in nulla ſui parte fuerit hæretica vel in fide erronea, licèt ipſe non fuerit hæreticus. Et hæc de ſecunda probatione tertiæ concluſionis præmiſſæ.

Tertiò probatur eadem concluſio, quia ſi oporteat dicere, quòd hujuſmodi doctrina in nulla ſui parte ſit in fide erronea vel hæretica, hoc maximè eſſet, quia ipſa eſt per Eccleſiam approbata, ſed aliqua eſt doctrina multò magis approbata, quàm doctrina Sancti Thomæ, quæ tamen

in aliqua sui parte est hærerica vel erronea in fide; igitur hoc etiam sine ulla temeritate dici poterit de doctrina Sancti Thomæ, non obstante ejus approbatione: consequentia est clara, & major nota, quia illi fundamento initur pars adversa; sed minor probatur per multa exempla, & ut à majoribus ad minora procedatur.

Primum exemplum ponitur de doctrina Beati Petri Apostoli quàm nulli dubium est esse magis approbatam quàm doctrinam S. Thomæ, & tamen capiendo doctrinam Beati Petri pro omnibus ad fidem pertinentibus, quæ verbo aut facto docuit, constat, quod hujusmodi doctrina in aliqua sui parte fuit in fide erronea, scilicèt in illa parte, in qua Paulus Apostolus eum reprehendit, de qua reprehensione dicit ad Galathas 2. capit. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quod reprehensibilis erat.* Et causam reprehensionis ipsius & aliorum per ejus doctrinam errantium subdit: Quia, scilicet non rectè ambulabant ad veritatem Evangelii. Et sic patet, quòd errabat contra veritatem Evangelii, quare ejus doctrina erat in hoc in fide erronea. Unde etiam patet, quòd in errore fidei minor reprehendere potest quantumlibet majorem, cùm Paulus sic reprehenderit Petrum Principem Apostolorum. Et ideò non debet mirum nec temerarium judicari, si minores Doctores reprehenderent Sanctum Thomam, ubi ostenderent eum errasse in materia fidei.

Secundum exemplum est de doctrina Sancti Cypriani, qui inter Doctores approbatos primus nominatur in decreto Gelasii Papæ 15. distinct. capit. Sancta Romana, & tamen ejus doctrina in aliquibus fuit erronea, unde de Baptismo parvulorum eumdem reprehendit Augustinus de Consecratione distinct. 4. capit. Quomodo. Et meritò erat reprehendendus, licèt esset Sanctus Martyr & insignis, sicut ponitur 32. distinct. porrò reprehensibilis autem erat, quia scilicèt baptisma hæreticorum lavacrum diaboli appellabat. Unde Augustinus lib. 2. contra quemdam Donatistam de Scripturis Cypriani dicit sic: Quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Et infra: Viri hujus laudem assequi non valeo, ejus multis litteris mea scripta non comparo, ejus ingenium diligo, ejus laude delector, ejus charitatem miror, ejus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit non accipio, quia Ecclesia non accipit, pro qua sanguinem fudit.

Tertium exemplum est de doctrina Beati Hieronymi, qui in prædicto decreto Gelasii inter approbatos Doctores numeratur, in cujus eloquium

quium, ut Auguſtinus de eo ait contra Julianum, ab oriente in occidente inſtar ſolis refulget, ac etiam cui tantùm defert Eccleſia, ut Sacræ Scripturæ teſtimonium præ cæteris interpretibus ex ejus tranſlatione ſuſcipiat, & tamen conſtat, quòd ejus doctrina in aliqua ſui parte conceditur fuiſſe erronea, etiam in his, quæ ad fidem & doctrinam Apoſtolicam pertinere noſcuntur, nam ſicut habetur in decretis 26. diſtinct. circa doctrinam Beati Pauli Apoſtoli dicentis: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, & non plurium, Hieronymus & Auguſtinus contrarias ſententias protulerunt. Hinc eſt quòd Gloſſa in prædicta diſtinctione capitulo primo dicit, quòd malè ſentit hîc Hieronymus, Auguſtinus eum corrigit in proximo. Iſti etiam Sancti, ſicut patet in eorum Epiſtolis & recitat Gloſſa ad Galathas 2. capit. de reprehenſione, quâ Paulus dixit Petrum Apoſtolum eſſe reprehenſibilem, contraria ſentiebant, ut ſupra tactum eſt; & ideò alter eorum circa veritatem Evangelii erroneam opinionem tenebat. De Auguſtino etiam & aliis pluribus approbatis Doctoribus ſimile poſſet oſtendi.

Quartum exemplum eſt de doctrina ſeu compilatione Magiſtri Sententiarum, quæ in ſtudiis generalibus, & quandoque ex mandato Apoſtolico publicè tamquam approbata & authentica legitur, & tamen in ea aliqua continentur in fide erronea, ſicut eſt illa opinio, quam tenet in 3. diſt 22. quòd Chriſtus in triduo ſuæ mortis fuit homo & quædam aliæ, in quibus communiter reprobatur. Hoc tamen non obſtante, videtur, quòd ejus doctrina ſit magis authenthentica quàm doctrina Sancti Thomæ, cùm ipſe in majori parte doctrinæ ſuæ Theologicæ ſit expoſitor doctrinæ libri Sentent. ille autem, qui ab alio exponitur, majoris auctoritatis eſſe videtur, quàm ejus expoſitor, ſicut majoris auctoritatis videtur eſſe Ariſtoteles, quam ejus commentator Averoys, Ypocras quàm Gallienus, Tholomæus quàm Haly, & ita in aliis ſcientiis, quare & in Theologia majoris auctoritatis eſſe videtur Magiſter Sententiarum in doctrina ſua, quam Sanctus Thomas ejus expoſitor in lectura ſua, ideò mirum videretur, quòd ille & non iſte in doctrina fidei potuerit errare.

Quintum exemplum eſt de doctrina ſeu compilatione Decreti Gratiani, quæ à Doctoribus Decretorum tamquam approbata & authentica legitur, & à qua & non à lectura Decretalium Doctores Decretorum, & non Doctores decretalium nominantur, & tamen illa Doctrina in aliqua ſui parte eſt erronea in fide, ſicut patet 23. quæſt. 4. cap. Sed objicitur, ubi narrat Gratianus, quòd tempore Regis Achab fuerunt miſſi duo

quinquagenarii ad Eliã, qui dicerẽt ei: *Et vir Dei Rex Israël vocat te.* Quod est hæresis explicita, quia contraria veritas est explicitè approbata, quia hoc accidit tempore Ochoziæ, mortuo Rege Achab, sicut expressè in S. Script. reperitur 4. Reg. 1. cap. Unde si Gratianus pertinaciter adhæsisset dicto suo, fuisset manifestus hæreticus, sed ideò non fuit hæreticus, quia non pertinaciter, sed inadvertenter illud dixit. Unde super illo passu dicit Glossa, quod ipse confundit historiam, non enim Achab misit illos quinquagenarios, sed Rex Ochozias, nec etiam illud contigit tempore Achab, sed sub Ochozia: in pluribus etiam aliis Glossa reprobat Gratianum, sicut patet 11. quæst. 3. capit. Evidenter itaque & 12. quæst. 1. capit. 1. & aliis quamplurimis locis. Et dicunt aliqui propter hoc, quod in multis licet negare Glossas decretorum & decretalium, cùm Glossæ apertè negent textum, & consimiliter dicunt aliqui de Glossis ordinariis Bibliæ, quæ tamen videntur esse majoris auctoritatis, quàm doctrina S. Thomæ, cùm allegentur auctoritativè.

Sextum exemplum potest poni de quibusdam Doctoribus, qui non sunt Sancti vel Canonizati, sicut venerabilis Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, venerabilis Hugo de Sancto Victore, & quidam alii, quorum dicta vel scripta in aliquibus reperiuntur erronea. Et tamen eorum doctrina non minus videtur esse authentica quàm doctrina Sancti Thomæ, cùm ipsi communiter in actibus scientificis allegentur auctoritativè, nec solent negari, sed eorum dicta reverenter glossari & exponi, quòd tamen Scholastici nondum consueverunt facere de dictis Sancti Thomæ, & ideò præsumptuosum videtur ejus doctrinam super illos, & alios Doctores sic extollere, quòd liceat credere aut asserere ipsum in fide errasse, sicut & alii erraverunt.

Nec obstat ejus canonizatio, quam aliqui pro magno colore prætendunt, & etiam Sancti canonizati, & magis quàm ipse in Ecclesia solemnizati, etiam in fide erraverunt, sicut in tribus primis exemplis ostensum est. Beatus enim Cyprianus magis est canonizatus quàm Sanctus Thomas cum in canone Missæ inter Martyres nominetur, quod majus est quàm inter Confessores adscribi Sanctorum catalogo, qui tamen erravit in fide, ut dictum est. Ecclesia namque canonizando aliquem Sanctum, non canonizat doctrinam ejus, nec per hoc intendit eam in omnibus tamquam catholicam approbare, sicut ex præcedentibus clarè patet. Ex quibus omnibus sequitur, quòd dicere Sanctum Thomam in aliqua parte doctrinæ suæ errasse in fide nec obviat seu derogat canonizationi

suæ,

ſuæ, nec approbationi doctrinę ſuæ Theologicæ, ſicut hoc idem dicere de aliis Sanctis & præcipuis Doctoribus non derogat canonizationi ſeu approbationi ipſorum, nam Eccleſia ſicut canonizando aliquem Sanctum non per hoc approbat omnia ejus facta, ita approbando ejus doctrinam non per hoc approbat omnia ejus dicta vel ſcripta, ſed ſolùm illa quæ per Auctorem ipſum non ſunt retractata, nec per alium rationabiliter ſunt correcta, aut merito tamquam veritati contraria corrigenda juxta ſuperiùs allegatam Apoſtoli ſententiam: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Sic igitur per Eccleſiam approbatur aliqua doctrina, & non tamen quoad omnia, ſed quoad illa, quæ ſunt veritati conſona, ſicut patet de doctrina Origenis, de qua dicit Gelaſius Papa 15. diſtinct. capit. Sancta Romana. Quod Origenis nonnulla opuſcula, quæ vir Beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus: Reliqua autem cum Auctore ſuo dicimus eſſe renuenda. Ex quibus omnibus igitur prædictis clarè patet tertia concluſio principalis.

Sed adhuc circa præmiſſa occurrit dubitatio: Cùm enim in prima concluſione dictum ſit doctrinam S. Thomæ aliquo modo eſſe per Eccleſiam approbatam, id eſt, tamquam utilem, & in fide probabilem divulgatam. Dubium eſt, utrùm hujuſmodi approbatio ſit ſolum tacita per Eccleſiæ tolerantiam, aut utrùm ſit expreſſa approbatio per Bullam Apoſtolicam aut aliam litteram authenticam. Hic enim duplex modus approbationis in principio hujus capituli tangebatur.

Ad hoc autem dicunt quidam, quòd doctrina S. Thomæ non ſolùm eſt tacitè, approbata, ſicut doctrina quorumdam aliorum DD. ſed eſt approbata expreſsè per Bullam Summi Pontificis, ac etiam per litteram authenticam Domini Stephani Epiſcopi Pariſienſis de Concilio Doctorum Theologicæ Facult. Et ex hoc nituntur improbare proceſſum factum contra Fratrem Joannem per Facultatem Theologiæ. Et deindè per Epiſcopum Pariſienſem, ſcilicèt quantùm ad aliquas aſſertiones damnatas tangentes doctrinam S. Thomæ, ut aſſerunt.

Sed circa hoc ad confirmationem prius dictorum ſunt aliquæ propoſitiones notandæ. Prima eſt, quòd in dicto proceſſu numquam fuit exhibita aliqua Bulla Papæ, nec ipſius copia ſuper confirmatione vel approbatione dictæ doctrinę, & ideò cùm idem ſit judicium de his, quæ non ſunt, & de his, quæ non apparent, ſicut dicunt jura, ſequitur, quòd hoc non debuit dictum proceſſum impedire.

Secunda propoſitio eſt, quod eſto, de quo tamen non conſtat, quòd

doctrina S. Thomæ esset expressè approbata per Bullam Papæ. Hæc tamen approbatio per hujusmodi Bullam non est major quàm approbatio doctrinæ S. Cypriani aut Beati Hieronymi & aliorum SS. DD. Ecclesiæ, quæ habetur per expressam constitutionem Apostolicam Galasii Papæ 15. dist. capit. Sancta Romana. Et tamen non obstante hujusmodi approbatione concedendum est istos Sanctos in doctrina sua erraſse in fide, ut patet ex dictis in tertia probatione 2. conclusionis. Igitur fortiori ratione, non obstante quâcumque Bulla Papæ, potest concedi S. Thomam potuisse in doctrina sua erraſse in fide, quamvis tamen hoc nondum concesserit Facultas Theologiæ, nec hoc sequitur ex ejus condemnatione facta contra dictum fratrem, sicut patet ex dictis in 2. cap. & infra dicendis.

Et hic etiam notandum, quòd sicut Ordo Fratum Prædicatorum dicit se habere Bullam super confirmatione vel approbatione doctrinæ S. Thomæ, ita Ordo Fratrum Minorum, dicit se habere idem de approbatione doctrinæ Magistri Alexandri de Ales, & ideò si istæ doctrinæ per istas Bullas essent quoad omnia approbatæ, cùm isti Doctores in aliquibus contradicant sequeretur, quòd contradictoria essent per Ecclesiam approbata, quod est absurdum, quare &c.

Tertia propositio est, quòd littera D Sthephani Episcopi Parisiensis superiùs allegata, & coram dicta Facultate per quosdam Fratres Ordinis exhibita non debuit dictum processum in aliquo impedire, nec probat intentionem partis adversæ. Sed magis facit ad confirmationem dicti processûs, & eorum, quæ supra dicta sunt. Et hoc declarabitur ex multis clausulis dictarum litterarum. Primò quidem, quia in prologo dicitur: Magistra rerum experientia indiciis evidenter demonstrat multa, quibusdam temporibus ordinata consultè multis emergentibus causis succedentibus temporibus in contrarium debere consultius immutari.

Ex quo patet, quòd si iste Episcopus prædecessorum suorum ordinationem consultè potuit immutare, ita & prædecessorum illius successores Episcopi possunt ordinationem suam per dictam litteram factam consultè & rationabiliter immutare, quia etiã ordinatio sua non ligavit plus successores suos, quàm prædecessorum suorum ordinatio ipsum ligaverat, cum par in parem non habeat imperium, ut jura dicunt, & ideò Episcopus præsens potest dictam litteram ex causa rationabili revocare & pœnitus annullare.

Secundò in dicta littera sequitur: Dudum siquidem fœlicis memoriæ,

riæ, quidam prædeceſſores noſtri Pariſienſes Epiſcopi quoſdam articulos, nè forſitan eos malè intelligentes caderent in errorem tamquam erroneos per excommunicationis ſententiam damnaverunt, quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris Beati Thomæ de Aquino de Ordine Prædicatorum tangere ab aliquibus aſſeruntur. Ex qua clauſula patet primò, quòd ad Epiſcopos Pariſienſes non de jure ſolùm ſed de uſu & conſuetudine pertinet articulos erroneos condemnare, & hoc facit pro ſecunda concluſione, & pro prima parte quartæ concluſionis primi capituli.

Secundò patet, quòd doctrina S. Thomæ in quibuſdam articulis quandoque fuit de errore ſuſpecta, & hæc ſuſpicio per dictam litteram non eſt ſufficienter purgata, ut infra patebit ex ejuſdem litteræ concluſione. Et hoc eſt pro ſecunda & tertia concluſionibus hujus capituli.

Tertiò principaliter in dicta littera quædam narrantur ad laudem S. Thomæ & doctrinæ ſuæ, contra quæ licèt inter ea quædam dicantur multum favorabiliter, & ſine probatione, nihil tamen opponimus, quia hujus Doctoris & ſuæ doctrinæ laudem non quærimus deprimere, ſed quantum ratio patitur ampliare, & ideò hæc omnia faciunt pro prima concluſione hujus capituli.

Quartò in dicta littera poſt prædictam narrationem ſequitur alia narratio, ſcilicet qualiter per quoſdam Conſiliarios dicti Epiſcopi inquiſitio facta fuit ſuper dictis articulis apud Doctores Theologicæ Facult. in eorum cognitione generali regentium, & non regentium ſæcularium & regularium, ad hoc ſpecialiter convocata, & compertum fuit dictum Confeſſorem beatum nunquam ſenſiſſe, docuiſſe, vel ſcripſiſſe, quòd ſanæ fidei vel bonis moribus adverſetur. Ex quo patet primò, quòd non obſtante canonizatione S. Thomæ, & præcedente approbatione & examinatione ſuæ doctrinæ, adhuc poſteà ad Facultatem Theologiæ pertinuit, & pertinet inquiſitio & examinatio ſuper aliquibus articulis ejuſdem doctrinæ. Nam licèt ibidem præmittatur, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia præfatum Doctorem nuper Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribit, decrevit diligenti diſcuſſione & examinatione præhabita ſuper vita ipſius, & doctrina ipſumque quoad vitam puram & doctrinam ſalubrem orbi terræ commendabilem prædicavit, tamen poſteà ſubditur, quod non obſtante hâc Romanæ Eccleſiæ diſcuſſione & examinatione adhuc Facultas Theologiæ inquiſitionem fecit de prædictis articulis, & hoc facit pro tertia concluſione, & 1. parte 4. concluſionis 1. cap.

Ex

Ex quo secundo sequitur, quòd per illam generalem approbationem Ecclesiæ Romanæ doctrina S. Thomæ non est in omnibus particulariter approbata, aliter enim non licuisset dictæ Facultati de dictis articulis inquirire. Et hoc etiam patet, quia in conclusione dictæ litteræ dicitur, quod dicti articuli non approbantur, nec tamquam approbati reputantur, quòd non diceretur, si essent sic per Ecclesiam approbati, & hoc multum facit pro secunda & tertia conclusionibus hujus tertii capituli.

Tertiò patet ex dicta clausula, quòd relatio Consiliariorum dicti Stephani Episcopi super deliberatione Theologicæ Facultatis fuit multum irrationabilis, quia ibi dicitur, quòd per eos fuit compertum & relatum dictum Confessorẽ nunquam aliquid sensisse, docuisse seu scripsisse, quòd sanæ fidei vel bonis moribus adversetur modo notum est, quòd pro tunc non potuit constare dictæ Facultati Theologiæ de omnibus, quæ S. Thomas sensit aut verbo docuit, sed solùm de his, quæ scripsit, & scripto reliquit, nec adhuc de omnibus, quæ scripsit potuit constare in una congregatione seu deliberatione Facultatis prædictæ, de qua tamen sola fit mentio in prædicta littera, & illa loquutio ideò est multum irrationabilis & excessivè favorabilis. Et hoc fortè cõtingere potuit ex ignorantia vel inadvertentia notarii dictam litteram componentis, nam illa littera non fuit data in solemni auditorio, sed apud Gentiliacum extra Parisiis, ut in fine ipsius litteræ patet.

Quintò, in dicta littera concluditur sic: De consilio venerabilium virorum Decani, & Capituli Parisiens. & venerabilis Domini Guillielmi Archiepiscopi Viennensis S. Theologiæ professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, unà cum reverendo Patre prædicto in litteris suis sub eorum sigillis per præfatos commissarios nobis misso, necnon & triginta novem Baccalaureorum in Theologia super hoc per litteram eorum propriis subscriptionibus & sigillis munitã nobis super hoc consulentium & rogantium humiliter & devotè & aliorum discretorum solemni & maturo consilio super hoc habito supradictam articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, quantum tangunt vel tangere asseruntur doctrinam Sancti Thomæ prædicti ex certa scientia, tenore præsentium totaliter annullamus, articulos ipsos non propter hoc approbando seu etiam reprobando, &c. Ex qua clausula primò patet, quòd ista littera non est doctrinæ Sancti Thomæ aliqualis approbatio, sed solùm condemnationis quorumdam articulorum, & cujusdam sententiæ

tentiæ annullatio, & ideò inutiliter allegatur ad probandum expreſſam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ.

Secundò patet, quòd nec hujuſmodi littera eſt approbatio illorum articulorum priùs condemnatorum, ſed ſolùm annullatio condemnationis eorum. Et ideò Epiſcopus Pariſienſis cum Concilio Magiſtrorum Facultatis Theologiæ poſſet dictam annullationem revocare, & eoſdem ſeu alios doctrinæ Sancti Thomæ articulos, ſi oſtenderetur cauſa rationabilis condemnare.

Et hoc idem manifeſtè patet ex ſexta, & finali clauſula ejuſdem litteræ; nam poſt dictam annullationem appoſita modificatione, quâ dicitur articulos ipſos non propter hoc approbandos, nec etiam reprobandos, ſtatim ſubjungitur, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo. Et his patet manifeſtè propoſitum, quia quidquid in doctrina Theol. diſcuſſioni ſcholaſticæ ſic liberè relinquitur, ſi per hujuſmodi diſcuſſionem inveniatur erroneum, poteſt rationabiliter condemnari, aliter enim fruſtra eſſet hujuſmodi diſcuſſio, nam Theologicæ diſcuſſionis finis eſt veritas, & approbatio veritatis & condemnatio falſitatis. Ex quibus omnibus patet, quòd dicta litera in nullo juvat partem adverſam, ſed magis eſt contra eam, & hoc clarum eſt cuilibet, cui inordinata affectio non obtenebrat oculum rationis, & hæc in generali ſufficiant circa approbationem doctrinæ S. Thomæ. Sed adhuc in ſpeciali quædam dicenda circa doctrinam ejus ſunt de abſoluta neceſſitate creaturæ.

Quarta igitur concluſio ſit iſta, quòd doctrina Sancti Thomæ libro ſecundo Summæ ſuæ contra Gentiles capitulo 29. de rerum creatarum neceſſitate abſolutâ eſt de virtute ſermonis falſa, & multum impropria: & hæc concluſio patet, quia illud capitulum intitulatur, qualiter in rebus creatis eſſe poteſt neceſſitas abſoluta, & eſt principalis concluſio capituli, quòd ſunt quædam in rebus creatis, quæ ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſt eſſe, & aliqua, quæ ſunt contingentia eſſe, ſed quòd iſta loquutio ſit de virtute ſermonis falſa & multum impropria hoc probatur. Nam ſecundùm omnes tam Logicos quàm Philoſophos ac etiam Theologos illud dicitur ſimpliciter & abſolutè neceſsè, quòd ſimpliciter & ſine addito dicitur neceſsè eſſe juxta illud dictum Philoſophi: ſimpliciter dico, quòd ſine addito dico, ſed conſtat illum communem modum loquendi omnium Doctorum, quod illud dicitur ſine addito neceſsè eſſe, quòd non poteſt non eſſe, & illud contingens eſſe quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, nulli autem creaturæ convenit non poſſe non

esse sed cuilibet convenit posse esse & posse esse non esse, igitur nulli convenit esse necessè esse & quilibet convenit esse, contingens, quare, &c.

Et confirmatur ista ratio ex dictis ipsius Sancti Thomæ eodem lib. capit. 45. ubi dicit, quòd necessè est esse, impossibile non esse, & quod impossibile est esse necessè non esse, sed nulli creaturæ convenit impossibile non esse, igitur nulli creaturæ convenit necessè esse. Consequentia est clara, & major est S. Thomæ, ut dictum est, sed minor apparet, quia impossibile non esse & possibile non esse contradictoriè opponuntur secundùm omnes, cui convenit unum contradictoriorum eidem non convenit reliquum, sed cuilibet creaturæ convenit possibile non esse, ut probatur, igitur nulli creaturæ convenit impossibile non esse, seu necessè esse, quod idem est. Assumptum autem probatur scilicèt, quòd cuilibet creaturæ convenit possibile non esse, seu quòd quælibet creatura potest non esse, quia secundùm veritatem fidei quælibet creatura per Dei potentiam potest non esse igitur per aliquam potentiam; ipsa potest non esse, & ultra sequitur, igitur potest non esse, quia utrobique arguitur ab inferiori ad superius affirmativè, nam quælibet illarum est affirmativa de modo, constat etiam, quòd sicut illud, quod per aliquam potentiam est possibile, dicitur possibile, ita illud, quod per aliquam potentiam est possibile non esse, dicitur possibile non esse, & ideò cùm quælibet creatura per aliquam potentiam possit non esse, consequens est, quòd quælibet est contingens esse, & nulla est necessè esse, & ideò oppositum dicere est impropria loquutio & abusio temerariorum, quia est contra communem loquendi usum, & tamen sicut dicit S. Thomas in principio dictæ Summæ contra Gentiles, multitudinis usus in rebus nominandis sequendus est, ut Philosophus censet, nec debet aliquis abhorrere, quòd Sanctus Thomas loquatur impropriè, & sine cautela seu proprietate verborum, nam ipsemet hoc idem dicit de aliis majoribus Doctoribus in principio Tractatûs sui contra errores Græcorum, ubi ait, quòd aliqua in dictis antiquorum Doctorum, quandoque inveniuntur, quæ cùm tanta cautela non dicuntur quanta à modernis servatur. Et hæc de quarta conclusione.

Quinta conclusio, quòd prædicta Sancti Thomæ doctrina secundùm quosdam est in fide erronea seu in aliqua sui parte de hujusmodi errore suspecta, & in hac conclusione non assertivè, sed solùm recitativè loquimur dicunt enim aliqui, quòd ista doctrina multos errores continet. Primus est, quia ponit aliquid aliud à Deo esse necessè esse, quod videtur contra

Sa-

Sacram Scripturam & intentionem Sanctorum, quia neceſſè eſſe eſt proprium nomen Dei. Et hæc videtur intentio Scripturæ Sacræ Exod. 3. ubi Moyſi interroganti à Domino: *Si dixerint mihi, quod eſt nomen ejus quid dicam eis? dixit Dominus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos*, ſuper quo verbo dicit Gloſſa, quòd Hieronymus ſcribens ad Marcellam de decem Dei nominibus, ſexto loco ponit nomen, quod in Exodo loquitur: *Qui eſt, miſit me ad vos, Deus enim ſolus, qui exordium non habet, veræ eſſentiæ nomen tenuit, quod per Angelum dictum eſt Moyſi nomen ejus quærenti, quia in ejus comparatione, qui verè eſt, quia eſt incommutabilis, quaſi non ſunt, mutabilia ſunt.* Et poſteà ſubdit: *Solus autem Pater cum Filio & Spiritu Sancto verè eſt, cujus eſſentiæ comparatum noſtrum eſſe non eſt.* Ex quo patet, quòd ſolus Deus verè eſt, & nulla creatura, cùm ſit mutabilis verè eſt, ſed quaſi non eſt. Hoc autem non eſt ideò dictùm, quia creatura non habeat verum eſſe, ſed quia non habet neceſsè eſſe, ſed mutabile & contingens eſſe, ſoli igitur Deo convenit habere neceſsè eſſe, & hæc videtur communis intentio Doctorum exponentium hunc textum, unde hîc dicit Magiſter Nicolaus de Lyra, quòd per hoc quod dicitur: *Ego ſum, qui ſum*, ſignificatur neceſſitas eſſendi, æternitas & immutabilitas per omnem modum, quæ eſt conditio propria & ſingularis ipſius Dei, & ideò dicunt multi, quòd Sanctus Thomas hîc incidit in illum ſecundum modum errandi contra fidem, quem ipſemet ponit in eodem ſecundo libro contra Gentiles capit. 3. In errore, ſcilicet, illorum, qui illud, quod Dei ſolius eſt, creaturis aſcribunt contra quos dicitur Sap. 14. *Incommunicabile nomen ligni & lapidibus impoſuerunt.*

Secundus error, ut iſti dicunt eſt in principali fundamento prædictæ propoſitionis, quod eſt iſtud: Sunt, inquit, quædam in rebus creatis, quæ ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſt eſſe, illas res enim ſimpliciter & abſolutè neceſsè eſt eſſe, in quibus non eſt potentialitas ad non eſſe. Quędam autē res ſic ſunt à Deo in eſſe productæ, ut in ea natura ſit potentia ad nō eſſe, quod contingit ex hoc, quod materia in eis eſt in potentia ad aliam formam: Illæ igitur res, in quibus vel non eſt materia, vel ſi eſt, non eſt potentialis ad aliam formam non habent potentiam ad non eſſe eas, igitur abſolutè & ſimpliciter neceſsè eſt eſſe.

Hoc autem iterùm circa medium cap. magis explicat, dicens, quod quia materia ſecundùm quod eſt ens in potentia eſt ex ordine materiæ, neceſſariò res aliquæ corruptibiles exiſtunt, ſicut animal quod ex contrariis compoſitum eſt, quia ejus materia contrariorum eſt ſuſceptiva. Forma

autem secundùm id quod est, actus est & per eam res existunt actu, undè ex ipsa provenit necessitas ad esse in quibusdam, quod contingit, quia res illæ sunt formæ non in materia, & sic non est in eis potentia ad non esse, sicut est in substantiis separatis, vel quia formæ rerum suâ perfectione adæquant totam potentiam materiæ, ut sic non remaneat potentia ad illam formam, nec per consequens ad non esse, sicut est in corporibus cœlestibus.

Hoc est igitur principale fundamentum propositionis S. Thomæ, quod videtur multipliciter erroneum. Primò, quia dicit, quòd in aliquibus rebus creatis non est potentialis potentialitas ad non esse, sicut in Angelis vel substantiis separatis & in corporibus cœlestibus, nam hoc est contra communem omnium Sanctorum & Doctorum sententiam, qui ponunt, quòd omnis creatura, quantum est de se, habet vertibilitatem & mutabilitatem in non esse. Unde Augustinus quinto de Trinitate capit. 5. & habetur 1. Sentent. distinct. 8. Sola, inquit, essentia, quæ est Deus immutabilis est, cui maximè & verissimè convenit esse, quod enim mutatur, non servat ipsum esse. Ideò solùm id quod non, tantùm non mutatur, verùm etiam quod mutari non potest omninò verissimè dicitur esse, scilicèt substantia Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ex quo patet, quod omnis creatura ex hoc ipso, quod est mutabilis, non habet verissimè esse, id est, necessè esse, sed contingens esse vertibile in non esse. Et hæc videtur intentio Apostoli 1. ad Tytum 6. ubi dicit, quòd *Deus solus habet immortalitatem*, super quo dicit Magister Nicolaus de Lyra, quòd sola Trinitas habet ex se necesse esse, omnis enim creatura, eo quod de nihilo, vertibilis est in nihilum, quantùm est de se, & eamdem sententiam ponit super verbo prius allegato: *Ego sum qui sum*. Nec valet solutio, quam ibidem prætendit Sanctus Thomas quando dicit: Si autem dicatur, quòd ea, quæ sunt ex nihilo, quantum est de se, in nihilum tendunt. Et sic omnibus creaturis inest potentia ad non esse. Manifestum est hoc non sequi, & causam subdit. Dicuntur enim res creatæ eodem modo in nihilum tendere, quo sunt ex nihilo, quod quidem non est, nisi secundùm potentiam agentis, sic igitur rebus creatis non inest potentia ad non esse, sed creatori inest potentia, ut eis det esse vel eis desinat esse influere, cùm non ex necessitate naturæ agat, sed ex voluntate. Unde hæc responsio videtur seipsam impugnare, quia omni potentiæ activæ in Creatore correspondet potentia passiva in creatura, nam potentia activa & potentia passiva relativè se habent, igitur si Creatori inest potentia activa ad non

esse

esse creaturæ, sequitur quòd creaturæ inest potentia passiva ad non esse, & per consequens in ipsa est potentia sivè potentialitas ad non esse.

Secundò, erroneum videtur prædictum fundamentum in hoc quod ponit creaturæ inesse potentiam ad non esse solùm ratione materiæ, quæ est potentia ad aliam formam, hoc enim favet tribus erroribus Parisiis condemnatis in capit. De intelligentiis vel substantiis separatis, in quorum uno dicitur, quòd substantiæ separatæ non sunt in potentia ad aliud quia æternæ sunt & immunes à materia, in alio dicitur, quòd substantiæ separatæ, quia non habent materiam, per quam prius sunt in potentia, quàm in actu, ideò sunt æternæ, in alio dicitur, quod omne quod non habet materiam est æternum.

Item, ex hoc sequitur, quod omnia accidentia spiritualia, quæ sunt in anima vel in Angelo, sicut intellectiones & volitiones vel gratia infusa, imò etiam motus localis animæ separatæ vel Angeli, si ponantur ab eis distincta, essent simpliciter & absolutè necesse esse, consequens est absurdum, quia ista non sunt naturæ permanentis, sed successivæ vel fluxibilis, nunc incipientis, nunc desinentis esse, & consequentia patet, quia ista non habent materiam, cùm sint in substantia immateriali, nam Angeli vel substantiæ separatæ, ut dicit, sunt formæ non in materia, & idem ponit 2. Sentent. distinct. 3. cap. 1. ubi dicit, quòd in Angelis nullo modo potest esse materia.

Tertiò, erronea videtur prædicta positio in eo, quod dicit; ex eo, quod forma est actus, in quibusdam provenire necessitatem ad esse, sicut in substantiis separatis, nam nulla creatura est purus actus, quælibet substantia separata, quantumcumque separata à materia, habet potentiam admixtam actui, & ideò suâ actualitate non potest habere puram seu absolutam necessitatem ad esse, sed habet actualitatem permixtam potentiæ ad non esse, & talem potentiam actui permixtam largo nomine vocant quidam materiam. Undè sic dicit Damascenus 2. Sent. capit. 2. in Angelis esse aliquam materiam. Sic etiam Augustinus sumit materiam libro 5. super Gen. & lib. 1. de mirabilibus Sacræ Scripturæ capit. 1. & aliis multis locis. Sic insuper ipsemet Sanctus Thomas super 2. Sent. in quæst. præallegata, dicens: Quod in Angelo est compositio ex actu & potentia, & si ista potentia vocetur materia, erit compositus ex materia & forma, quamvis hoc sit omninò æquivocè dictum. Sapientis autem est non curare de nominibus. Ex quibus patet, quòd sive illa poten-

tia propriè vocetur materia sive non, tamen ipse concedit, quod Angelus non est purus actus, sed est compositus ex actu & potentia, & ideò non habet puram & absolutam necessitatem ad esse, sed permixtam potentiæ ad non esse.

Tertius principaliter error prædictæ propositionis esse videtur, quia dicit, quod per hoc quod dicitur Deum produxisse res per voluntatem non per necessitatem non tollatur, quin voluerit aliquas res esse quæ de necessitate sint, & aliquas, quæ sint contingenter ad hoc, quod sit in rebus diversitas ordinata, nihil igitur prohibet res quasdam divinâ voluntate productas necessarias esse. Et consequenter hoc declarando subdit, esse necesse simpliciter non repugnat ad rationem esse creati, nihil enim prohibet aliquid esse necesse, quòd tamen suæ necessitatis causam habet, sicut conclusiones demonstrationum, nihil igitur prohibet quasdam res sic esse productas à Deo, ut tamen eas esse sit necesse simpliciter, & iterùm post quamdam aliam rationem concludit sic, igitur aliqua creatura de necessitate habet esse. Ex quibus clarè patet, quod non solùm concedit quasdam res divinâ voluntate productas necessarias esse, vel eas necesse esse, sed etiam concludit, quòd quædã de necessitate sunt, & quòd eas esse est necesse simpliciter, & quod de necessitate habent esse. Modò hoc repugnat libertati divinæ voluntatis, quòd arguitur sic, quia ista consequentia est bona, Deus vult creaturam esse, ergo creatura est, & è contra per consequens, si antecedens liberè & voluntariè verificatur de aliqua creatura, consequentia consequenter verificatur de eadem, igitur si Deus liberè & contingenter, & non de necessitate vult quamlibet creaturam esse, sequitur, quod quælibet creatura est contingenter, & nulla de necessitate. Unde etiam ex opposito sequitur oppositum, quia sequitur hæc: creatura est; igitur Deus vult eam esse, & per consequens si antecedens est, necessarium simpliciter etiam consequens est necessarium simpliciter, si igitur, hanc creaturam esse est necessarium simpliciter, Deum eam velle esse est necesse simpliciter, quia sicut ex vero non sequitur falsum; sic ex necessario non sequitur contingens, constat autem quod cùm Deus producat res per suum velle. Idem est in eo suum velle & suum producere, & per consequens si Deum velle creaturam esse, esset necesse simpliciter, Deum producere creaturam in esse, esset necesse simpliciter, igitur non produceret eam liberè & contingenter, sed necessario & inevitabiliter, quòd negat Sanctus Thomas, & omnes Catholici.

Item,

Item, ut omnis tollatur calumnia. Similis ratio posset fieri de productione Dei, sicut de volitione facta est, nam ista consequentia est bona; Deus producit creaturam, ergo creatura est, vel sit; & è contra, vel Deus conservat creaturam, igitur creatura est & per consequens, cùm Deus producat, vel conservet creaturam contingenter, & non de necessitate, sequitur, quòd omnis creatura ab eo producta vel conservata est contingenter, & non de necessitate, & ideò falsum est, quòd aliqua creatura de necessitate habet esse.

Item, quod dicit esse necessè simpliciter non repugnat ad rationem esse creatum, & quòd nihil prohibet aliquid necessè esse quod tamen suæ necessitatis causam habet, videtur omninò voluntariè dictum, quia nec hoc habetur ex Theologia seu Scriptura divina, nec etiam ex Philosophia, imò secundùm mentem Aristotelis, & etiam Commentatoris 12. Mataph. commento 44. repugnat aliquid esse necessè esse simpliciter, & esse ab alio affectivè, quia ab agente nihil provenit, nisi contrahendo ipsum de potentia ad actum, ut dicit commentator, nec valet ibi exemplum, quod inducit de conclusionibus demonstrationum, quia illæ non habent necessitatem in essendo, sed solùm in significando, nec præmissæ demonstrationis sunt causæ conclusionis in essendo, imò nec sunt causæ necessitatis conclusionis in significando, sed solùm sunt causæ conclusionis in cognoscendo, id est, evidentia præmissarum est causa notitiæ conclusionis, igitur, &c.

Quartus error hujus doctrinæ esse dicitur in quadam ratione, quæ ibidem sequitur, quæ dicit quòd quantò aliquid magis distat ab eo, quod per seipsum est ens, scilicèt à Deo, tantò magis propinquum est ad non esse, quantò igitur aliquid est propinquius Deo, tantò magis recedit à non esse, quæ autem jam sunt propinqua sunt ad non esse per hoc, quòd habent potentiam ad non esse. Illa igitur, quæ sunt Deo propinquissima, & per hoc à non esse remotissima, talia esse oportet, ad hoc quod sit ordo rerum completus, ut in eis non sit potentia ad non esse. Talia autem sunt necessaria absolutè, sic igitur aliqua creatura de necessitate habet esse. Hæc enim ratio deficit in multis, primò in hoc, quod supponit, quòd etiam Deo propinquissima, sicut Angeli, tantò magis recedunt à non esse, &c. Hoc enim propriè loquendo non est verum, quia propriè nihil distat vel recedit à non esse, vel si aliqui concedant, sic distare videtur, quòd distat infinitè, quia inter contradictoria, sicut inter esse & non esse vel nulla est distantia, vel videtur esse infinita.

Item

Item esto, quòd illa improprietas loquendi admittatur, tamen falsum est, quod ultra supponitur, scilicèt, quòd quædam sunt propinqua ad non esse per hoc, quod habent potentiam ad non esse, nam pœnes hoc non attenditur propinquitas ad non esse, quia sic omnes creaturæ, quæ haberent potentiam ad non esse, haberent æqualem propinquitatem ad non esse, sicut haberent æqualem potentiam ad non esse, cùm talis potentia ad non esse sit ratione materiæ, ut dicit ista positio, quæ tamen materia in hujusmodi creaturis est æqualis seu consimilis rationis, non ergo pœnes hoc attenditur major vel major creaturæ propinquitas ad non esse, sed penes majorem & minorem perfectionem suæ essentialis naturæ, nam per hoc appropinquat etiam magis vel minùs ad supremum seu divinum esse.

Tertiò falsum est, quòd etiam Deo propinquissima, & à non esse remotissima oportet esse talia, in quibus non est potentia ad non esse, nam hoc supra est probatum, hoc tamen conceso, non propter hoc debet inferri, quod talia sunt necessaria absolutè, sed solùm secundùm quid & respectivè, scilicet per respectum ad potentiam intrinsecam suam, cùm habeat in agente potentiam extrinsecam ad suum non esse.

Et hoc confirmatur, quia necessitas simpliciter absoluta, in quocumque ponatur, debet excludere omnem potentiam tam intrinsecam quàm extrinsecam ad non esse, quòd etiam ex dictis Sancti Thomæ ostenditur, nam paulò ante dicit, quòd ad divinam perfectionem pertinet, quòd rebus creatis suam similitudinem indiderit, quia agentis perfecti est producere sibi simile quantum possibile est. Unde ex hoc concludit, quòd nihil prohibet quasdam res sic esse productas à Deo, ut tamen eas esse sit necesse simpliciter, imò hoc dicere perfectionem attestatur. Ex quo dicto patet, quòd ipse intendit, quod necessitas absoluta, seu necesse esse simpliciter absolutè sub eadem vel consimili ratione convenit Deo & creaturæ; aliter enim Deus non per hoc suam similitudinem creaturæ imprimeret, vel sibi simile produceret, sed constat, quod necessitas absoluta in Deo excludit omnem potentiam tam intrinsecam, quàm extrinsecam ad non esse. Igitur & in creatura, si talis necessitas in ea ponatur, quòd etiam manifestum est ex vi nominis terminorum. Nam sicut patet 5. Metap. licèt aliquid dicatur necessarium multipliciter, tamen secundùm communem modum loquendi, quando dicitur aliquid necessarium simpliciter absolutè, intelligitur illud, quod impossibile est non sic se habere, & hic modus vocatur à pluribus necessitas immutabilitatis

tatis, ſed tamen verius vocatur ab aliis, ut dicit ibi Commentator, neceſſitas inevitabilitatis, & hujuſmodi neceſſitas non ſtat cum contingentia, dicere igitur creaturam eſſe neceſsè ſimpliciter & abſolutè, & non contingenter eſſe, eſt dicere ipſam inevitabiliter eſſe, quod ſolùm convenit ei, quod per nullam potentiam ſive intrinſecam ſive extrinſecam poteſt non eſſe, hoc autem non poteſt convenire creaturæ; igitur nec poteſt neceſſitas abſoluta ei convenire.

Quintus error prædictæ poſitionis eſt in ipſius declaratione, in qua dicit: Sciendum eſt itaque, quòd ſi rerum creatarum Univerſitas conſideretur, prout ſtare à primo principio inveniuntur dependere ex voluntate non ex neceſſitate principii, niſi neceſſitate ſuppoſitionis, ut dictum eſt. Si verò comparentur ad principia prima, inveniuntur neceſſitatem habere abſolutam. Nihil enim prohibet aliqua principia non ex neceſſitate produci, quibus tamen poſitis de neceſſitate ſequitur talis effectus, ſicut mors animalis hujus neceſſitatem abſolutam habet propter hoc quod jam ex contrariis eſt compoſitum, quamvis ipſum ex contrariis componi, non fuiſſet neceſſarium abſolutè. Similiter autem, quòd tales rerum naturæ à Deo producerentur, voluntarium fuit. Quod autem eis ſic ſtatutis aliquid proveniat vel exiſtat, abſolutam neceſſitatem habet. Ex quo patet, quòd hæc poſitio eſt loquutio impropria, & petit principium, quia id aſſumit, quod debet probare, nam per exemplum poſitum patet, quod vocat neceſſitatem abſolutam illam, quæ non eſt, niſi ex conditione vel ſuppoſitione, ſicut mors hujus animalis, niſi ex ſuppoſitione vel conditione, ſcilicet, quòd animal jam ſit ex contrariis compoſitum, non habet neceſſitatem, & ideò non habet neceſſitatem, niſi conditionalem, & per conſequens non abſolutam.

Nec adhuc in hoc exemplo videtur eſſe neceſſitas conditionalis, cùm hæc conditionalis non ſit neceſsaria, ſi hoc animal eſt compoſitum ex contrariis, ipſum morietur, poſſet enim non obſtante tali contrarietate aliquod animal præſervari à morte, ſicut dicitur de primo homine, ſi permanſiſſet in ſtatu innocentiæ.

Item, hæc poſitio aſſignat neceſſitatem ſimpliciter abſolutam in creaturis per conſiderationem ad ſua prima principia, ſcilicet, ad principia eſsentialia, quod clarius patet ex hoc, quod ſtatim ibidem ſequitur: Diverſimodè, inquit, ex diverſis cauſis neceſſitas in rebus creatis eſt. Nam quia ſine ſuis principiis eſsentialibus, quæ ſunt materia & forma, res eſse non poteſt, quod ex ratione principiorum eſsentialium rei contingit

necessitatem absolutam in omnibus necessè est habere; hoc autem favet artic. Parisiis condemnatio in cap. De Scientia vel Philosophia, ubi dicitur, quòd possibile vel impossibile simpliciter, id est, omnibus modis est possibile vel impossibile secundùm Philosophiam, error. Illud enim est possibile vel impossibile secundùm Philosophiam, quod est possibile vel impossibile secundùm principia essentialia vel naturalia, & ideò sicut error est dicere tale esse possibile vel impossibile simpliciter, sic error est dicere per considerationem ad hujusmodi principia aliquid esse necessarium absolutè & simpliciter, quare, &c.

Item, hæc positio deficit, quia ponit in creaturis necessitatem absolutam per considerationem ad causas secundas, & in eis contingentiam per considerationem ad causam primam, hoc enim videtur falsum. Primò, quia favet articulo primo Parisiis condemnato in capit. De necessitate eventûs rerum, in cujus tertia parte dicitur, quòd nihil evenit contingenter considerando omnes causas error.

Secundò, quia si necessitas aliqua esset in creatura, magis deberet attèdi ex consideratione ad primam causam quàm ad secundas causas quia in ratione condemnationis unius articuli Parisiis condemnati in capit. De Deo, dicitur, quòd essentialior & inseparabilior est ordo entium ad primam causam, quàm ad causas inferiores, & ideò si in entibus sit aliqua necessitas magis debet attendi in ordine ad causam primam, quæ Deus est, quàm ad causas inferiores naturales vel essentiales, & hæc videtur intentio Platonis in Thimeo lib. 2. ubi expressè ponit Angelos ex sui natura dissolubiles, & ex voluntate divina indissolubiles, quam sententiam approbat Augustinus decimo tertio de Trinitate Dei capitulo decimo sexto.

Tertiò, pro isto & contra positionem istam videtur esse prædictus Sanctus Thomas in scripto distinct. 18. prælegata primi, ubi intendit, quòd omne futurum comparatum ad causam primam & Dei præsentiam est necessarium seu necessariò futurum. Comparatum verò ad causas proximas, & secundùm suam naturam consideratum, est contingens seu contingenter futurum. Et ad hoc videtur esse Boëtius quinto de consolatione, ubi in solutione cujusdam argumenti dicit: Respondebo namque idem futurum, cùm ad divinitatem notitiam refertur necessarium. Cùm verò in sua natura perpenditur, liberum prorsùs atque absolutum videtur. Et infrà: qualiter intelligit aliquid esse absolutum ostendit, dicens, hæc si ad divinam notitiam referantur necessaria, si per se considerentur ne-

cessitas

ceſſitatis ſunt nexibus abſoluta. Qualiter autem hæc ſententia Boëtii vera ſit aut falſa declarat Magiſter Gregorius ſuper prædicta diſtinctione quæſtione ultimâ articulo 3. Sed quidquid ſit de hoc, patet quòd vel nulla eſt in creaturis neceſſitas, vel ſi eſt aliqua, videtur ſecundùm intentionem Boëtii & Sancti Thomæ loco prædallegato, quòd magis ponenda ſit per comparationem ad primam cauſam, quàm ad cauſam ſecundam, ſeu ad ipſius creaturæ intrinſecam naturam, quod eſt contra fundamentum poſitionis prædictæ.

Sextus error doctrinæ prædictæ aſſignari poteſt in quodam dicto, quod ſequitur ibidem, ubi ait: Manifeſtum eſt, quod omnia, quæ contrarium habent, vel ex contrariis ſunt, corruptibilia ſunt, quæ autem hujuſmodi non ſunt ſempiterna ſunt, niſi per accidens corrumpantur, ſicut formæ, quæ non ſubſiſtunt, ſed eſſe earum eſt per hoc, quod inſunt materiæ. Ex hoc enim ſequitur, quòd gratia in anima vel in Angelo, cùm non habeant contrarium, nec ex contrariis exiſtat, nec ſit forma, quæ inſit materiæ, eſt ſempiterna. Et idem videretur ſequi de luce vel lumine, ſi eſſet ſine materia, ſicut accidentia Sacramenti Altaris ſunt ſine ſubjecto. Hoc etiam favet articulo Pariſius condemnato allegato ſuperiùs, in quo dicitur: omne quod non habet materiam eſt æternum. Et breviter, hæc & alia multa erronea, falſa & impropriè dicta videntur multis in prædicta doctrina contineri, quæ tamen ex tædio pertranſimus.

Nec apparet iſtis mirabile, ſi Sanctus Thomas in hac doctrina erraverit, quia ut dicunt non loquitur ibidem Theologicè, cùm nullam Sacræ Scripturæ aut Sanctorum auctoritatem inducat, ſed ſolùm Phyſicè, & ſecundùm rationes naturales. Hæc autem in doctrina Theologica præſtant occaſionem errandi, ſicut ſupradictum eſt in primo corrolario primæ probationis tertiæ concluſionis hujus capitùli. Unde dicunt, quòd etiam, quia nimis innititur Philoſophiæ & naturalibus principiis in eodem libro capitulo vigeſimo quinto, erravit manifeſtè, ubi declarando qualiter Deus omnipotens dicatur, quædam non poſſe inter alia dixit: Quòd Deus non poteſt facere unum & idem eſſe & non eſſe, quod eſt, contradictoria ſimul, & poſteà ſubdit, quòd contradictio in contrariis & privativè oppoſitis includitur, ſequitur enim quod ſi eſt album & nigrum, quòd ſit album & non album, & ſi eſt videns & cæcum, quòd ſit videns, & non videns. Undè ejuſdem rationis eſt, quòd Deus non poſſet facere oppoſita ſimul ineſſe eidem ſecundùm idem.

Ex quo patet, quòd ipse ponit, quòd Deus non magis potest facere duo contraria simul ine se eidem secundùm idem, quàm duo contradictoria. Hoc autem est erroneum, quia defacto corpori Christi secundùm se totum in Sacramento Altaris in diversis altaribus insunt motus contrarii, sursùm scilicèt, & deorsum, & pari ratione posset facere Deus idem corpus secundùm se totum esse album & nigrum.

Dicunt etiam, quòd in pluribus aliis locis doctrinæ suæ ipse erravit per hoc, quòd principia Philosophiæ seu potiùs quædam Philosophorum verba ad conclusiones Theologiæ nimis applicavit. Non enim taliter loqui debent Theologi qualiter loquuntur Philosophi, sicut docet Augustinus decimo de Civitate Dei capitulo vigesimo tertio dicens: Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem Religiosarum aurium pertimescunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas est, nè verborum licentia de his rebus, quæ significantur impiam gignant opinionem. Ideò dicunt isti, quòd Sanctus Thomas in prædicta doctrina hanc Augustini Regulam non servavit, sed libertatem & licentiam loquendi Philosophorum sequutus est, maximè in libro contra Gentiles, quia sicut ipsemet in eodem libri principio capit. 2. protestatur cùm ipsi Pagani non conveniant nobiscum in auctoritate alicujus Scripturæ, per quam possint convinci, sicut contra Judæos disputare possumus per vetus Testamentum, contra hæreticos per novum. Hi verò neutrum recipiunt, ideò necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur, quæ tamen in rebus divinis deficiens est. Et in capitulo nono ejusdem libri primi dicit, quæ enim supra rationem humanam sunt, non credimus, nisi Deo revelanti. Sunt tamen ad hujusmodi veritatem manifestandam rationes aliquæ verisimiles inducendæ, ad fidelium quidem exercitium, &c. Et sic patet, quòd tam ad fidelium consolationem quàm ad infidelium confutationem ipse in dicto libro utitur Philosophiâ, & ratione naturali, quæ tamen ipso teste in rebus divinis deficiens est, & ideò non est mirum, si eam sequens quandoque deficiat. Et hæc de quinta conclusione.

Sexta conclusio est, quòd licèt prædicta Sancti Thomæ doctrina secundùm ejus intellectum vel intentionem aliqualiter esset vera, tamen propter hoc sub illa verborum improprietate, & falsi sensûs ambiguitate sine veri sensûs expositione à Scholasticis non est simpliciter assere-

renda

renda. Et hæc concluſio patet ex Regula Beati Auguſtini quarto libro de doctrina Chriſtiana, ubi loquens de antiquis Doctoribus reſpectu poſteriorum eos ſcholaſticè exponentium ita dicit: Sic quippè illi loquuti ſunt, ut poſteriores, qui eos rectè intelligerent & exponerent alteram gratiam, diſparem quidem, verùm tamen ſubſequentem, in Dei Eccleſia reperirent, non igitur expoſitores eorum ita loqui debent tamquam ſeipſos etiam exponendos ſimili auctoritate proponant, ſed in omnibus ſermonibus primitus & maximè, ut intelligantur elaborarent eâ quantum poſſunt perſpicuitate dicendi, ut autem multum tardius ſit, qui non intelligit, aut in rerum, quas explicare atque oſtendere volumus, difficultate atque ſubtilate non in noſtra loquutione ſit cauſa, quò minùs tardiuſve quod dicimus poſſit intelligi.

Item, ad idem eſt dictum Sancti Thomæ in tractatu ſuo contra errores Græcorum in principio ubi dicit: Si quâ in dictis antiquorum Doctorum inveniantur, quæ cum tanta cautela non dicuntur, quanta à modernis ſervatur, non ſunt contemnenda vel abjicienda, ſed nec etiam ea extendere oportet, ſed exponere reverenter. Ex quibus patet, quòd cùm dicta Sancti Thomæ doctrina ſit de virtute Sermonis impropria, ut oſtenſum eſt in quarta concluſione, & ſecundùm aliquos ſit erronea vel de errore ſuſpecta, ut in quinta concluſione monſtratum eſt, conſequens eſt, quod ipſa non debet à Scholaſticis ſimpliciter dogmatizari, ſed reverenter exponi. Hoc autem non fecit pars adverſa, ut patet ex dictis in ſecundo capitulo, & ideò magnam facit irreverentiam doctrinæ Sancti Thomæ. Facultas autem Theologiæ magnam ei videtur reverentiam facere, quæ voluit, quod reverenter ſuſcipiatur, ſicut patet ex prædictis auctoritatibus, in prologo ſcedulæ Facultatis prædictæ contentis, & pluribus aliis ibidem allegatis.

Ex quibus omnibus clarè patet propoſitum principale, ſcilicèt, quòd propter prædictam Sancti Thomæ doctrinam non oportet antedictam condemnationem aut dicti Epiſcopi proceſſum aliqualiter impedire, & hoc etiam apparet ex ſuppoſitione in principio ſecundi capituli declarata, & in dictis Sancti Thomæ fundata, necnon etiam ex his, quæ dicta ſunt ſuper tribus aſſertionibus, quæ prædictam Sancti Thomæ doctrinam tangere ab adverſariis aſſeruntur, quæ omnia, ſi ſine inordinata affectione conſiderentur, adeò clara ſunt, ut etiam pars adverſa eis aſſentire cogatur.

Huic ergo Tractatui, utinam & adverſo errori! finem ſtatuimus. Illi laus,

laus, honor atque gratiarum actio, qui nobis causam suam tractantibus non defuit, quo docente assertam hic veritatem sentimus, quo instruente prædicamus, quo præcipiente defendimus, & per quem postremò superna charitate permoti ad omnes devenire & nobiscum sentire vehementer affectamus, quod si veritati huic judicio nostro clarissimæ nec sic creditur, aut alio favore vel ipsa prosequatur, aliove fine quam ejus veritas postulet, dignitas criminetur, testamur te Christe, testamur & illam, cui testimonium perhibes esse totam pulchram, & in ea maculam non esse, omnes ad extremum tui atque ipsius amatores in testimonium evocamus nostrum nunc debitum sufficienter &, ut putamus, superabundanter expleviſe.

DEO GRATIAS.

DE

DE MUNDISSIMA VIRGINIS MARIÆ CONCEPTIONE, ADVERSUS VINCENTIUM DE CASTRO-NOVO DISCERTATIO CAROLI FERDINANDI.

Viri eloquentissimi in discertationem Venerabilis Patris Roberti Guaguini, Generalis Ministri Ordinis Sanctæ Trinitatis de Redemptione Captivorum de mundissimo Divæ MARIÆ Christi Matris Conceptu, adversùs Vincentium de Castro-Novo, Ordinis Prædicatorum Commentarium incipit feliciter.

NOn Ambigimus ab Apostolo olim dictum esse in Adam peccasse, omnes & per unum hominem diaboli invidiâ mortem in orbem intrasse terrarum, quæ verba tametsi Sapientiæ liber habet idem tamen sentire Apostolum nemini dubium esse potest. In quam sententiam Prophetarum omnium Princeps David multò ante videtur incidisse, cùm dixit : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quòd enim de se dixit de omnibus intelligi voluit : nec ignoravimus

mus antiquum ſapientiſſimum, Job idem potiùs ſenſiſſe, cujus hæc ſunt verba, *Nemo mundus à ſorde, nec infans unius diei.* His adductis Sermonibus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, reliquaque Sanctorum Patrum Caterva, neque his tantùm, ſed aliis quoque permultis, quibus eadem omninò contexitur ſententia, credendum atque aſſerendum exiſtimant primi parentis peccatum in univerſam poſteritatem fuiſſe traductum, atque præter unum Chriſtum eam maculam, quam originalem dicunt, quæ à prima manavit origine, nullo unquam tempore effugiſſe quemquam. Neque id abſurdè præterque rationem aſſeruiſſe, viſi ſunt. Cùm enim in Adam omnes peccaſſe dicantur, minimè conſultum videbatur à quoquam eam labem abfuiſſe fateri, qui quidem communi omnium lege procreatus eſſet. Quam quoniam ſolus Chriſtus non ſubiit, cui producendo virilis opera nunquam acceſſit, eum dumtaxat haud immeritò excipiendum putavere. Cùm igitur illos de glorioſiſſima Chriſti Parente Sermonem habere contingeret ambiguitate non parva capti atque in varias partes pulſi fuiſſe videntur. Nec quid potiſſimum afferrent, ſatis ſciebant. Hinc enim urgebantur, quoniam ipſam Chriſti Matrem viri fœminæque concubitu perindè ac cæteros homines emerſiſſe videbant, atque hoc ipſum conſiderantes illam originalis culpæ aliquando fuiſſe ream aſſeverare minimè timuerunt. Illinc verò eximius caſtiſſimæ Virginis occurrebat honos, cui uni ſingulari nimirum privilegio datum eſt, ut Deum atque hominem ullo abſque dolore pariens Virgo nunquam eſſe deſierit. Hoc igitur vigilantiore volventes animo, putaverunt haud impiè credi poſſe Filium id chariſſimæ tribuiſſe parenti. Ut quæ Dei immortalis templum futura erat eâ puritate, quâ ſub Deo major intelligi non poſſet, pulcherrimè refulgeret, atque ob idipſum originalis peccati fuiſſe dixerunt immunem, id eſt, à Deo nè in eam fœcem incideret mirabiliter fuiſſe præſervatam: hinc eſt, quòd Sanctorum Patrum ſcripta diligentiùs evolventes eoſdem in contrarias deprehendimus incidiſſe ſententias. Quippè qui diverſis adducti rationibus, quidnam penitus aſſererent (ut paulò ante diximus) non ſatis habebant compertum. Hoc itaque modo viros non ſolùm doctrina, ſed vitæ quoque ſanctitate præcipuos Deus optimus maximus uni ſibi agnitâ ratione, de re tantâ dubitare permiſit. Eâ verò tempeſtate, quâ floruiſſe narratur Bernardus, Lugdunenſis Eccleſia caſtiſſimæ Virginis amore ſuccenſa conceptæ Virginis diem magnificentiſſimè colere cœpit. Quam rem vir ſanctus (D. profectò Virginis amantiſſimus) moleſtè admodum tuliſſe

videtur

videtur Epiſtola, namque Lugdunenſem acerbius increpavit. Non quòd impios illos, ſed temerarios potiùs arbitraretur, qui quicquam auderent facere aut inſtituere quòd non priùs eſſet Apoſtolicæ Sedis auctoritate probatum. Illorum tamen inſtitutioni Romanus non legitur reſtitiſſe Pontifex. Sed nec Angli ab eadem celebritate Sedis Apoſtolicæ Decreto prohibiti fuiſſe traduntur, qui ſe ad obſervandum tam ſanctæ Conceptionis diem divinis & revelationibus & prodigiis perſuaſos fuiſſe conſtantiùs aſſerebant. Quid prolixiori opus eſt oratione? Nemini dubium poteſt eſſe qui ingenuè, quæ vera ſunt, fateri novit, quin ab eo tempore quo primum hæc eſt inſtituta ſolemnitas aucta ſit, creveritque ſemper eo quidem pacto, ut Romanorum Pontificum nemo ad eam religionem avertendam nervorum aliquid intendiſſe videatur. Thomas Aquinas, quem & ſcientia & moribus mirum in modum excelluiſſe non negamus, eo tempore viguit, quo Eccleſia non paucis virgineæ Conceptionis celebrandæ conſuetudo probatiſſima fuit, cùm virum doctum, ſanctumque minimè lateret eâdem, quâ priſci viri, quos ſupra memoravimus dubitatione fluctuavit; adeò ut in variis locis varia immo vero contraria ſenſiſſe negari non poſſit: quique aliter atque nos dicimus rem ſeſe habere credunt ejus viri ſcripta non ſatis ſtudioſè legiſſe videntur. Iterùm tamen minimè defuere, qui clariſſimam Virginem omni ſemper caruiſſe maculâ citra dubitationes omnes liberius aſſeverarent, fuit in hac ſententia Joannes Scotus, ejuſque imitator Thomas de Argentina aliique complures, quorum recenſeri nomina nihil attinet. Denique Baſileenſi Concilio, quòd his noſtris ſæculis celebratum fuiſſe meminimus, eorum placuiſſe ſententiam nullo modo poſſumus inficiari, qui ſanctiſſimam Chriſti parentem nulla unquam fuiſſe cantaminatam maculâ conſtantius affirmare minimè dubitaverunt. Quod profectò tanti Concilii nunquam comprobaſſet auctoritas, ſi non eorum qui hanc diſputavere quæſtionem argumentationibus accuratiſſimo ſtudio exactiſſimâque diligentiâ diſcuſſis ea quæ de Marianæ Conceptionis, puritati Fidei pietatique quam optimè congruere judicaſſet: itaq; poſt hujus Decreti promulgationem, quòd ab unanimi Concilio profectum eſſe conſtat: ii ſemper piè ſentire judicati ſunt, qui ſanctiſſimam Chriſti Matrem ſemper nitidam, ſemperque puram fuiſſe arbitrabantur præter ſolos Prædicatores, qui neſcio, quâ ducti pertinaciâ in contraria perſiſtere ſententia maluerunt, vix inventus eſt quiſquam, qui glorioſiſſimæ Virginis Conceptionem originali maculâ fuiſſe fœdatam contendere

vellet. Accessit etiam nuper Sixti quarti Pontificis maximi non parvi facienda authoritas cujus bullam, ut recentiorum, more loquar, quâ tanta probatur solemnitas, quâque illius celebratoribus peccatorum veniam, quam indulgentiam dicunt, non modicam elargitur Romæ in templo Divæ MARIÆ de populo spectare atque etiam lectitare licet. Quæ cùm ita sint: non potuit tamen Vincentii cujusdam de Castro-Novo, id enim homini & nomen & cognomen est, prædicatorculi, nè dicam prædicatoris, petulantissima comprimi lingua: iis enim, qui Virgineæ Conceptionis puritatem venerantur ita latrat, invehitur, debacchatur, quasi nec Philosophiæ nec Sacrarum Litterarum vel ipsa prima elementa comperta habere videantur, sintque inter hæreticos, deque Christiana fide minùs rectè sentientes omninò numerandi: hujus improbam planè loquacitatem quam belluarum omnium petulantissimâ, non parvo effusam volumine posteris ridendam reliquit Robertus Guaguinus Minister Generalis Ordinis Sanctæ Trinitatis de Redemptione captivorum, vir profectò Religione & bonarum litterarum scientia præditus, his paucis versibus refrænare constituit, Arnoldi Vostii Fratris Carmelitæ Virginis amatoris eximii iterata nimium petione persuasus. Nec mirum cuique videri debet quàm brevi Carminum serie immensi voluminis Auctori Vincentio noster Guaguinus respondérit. Siquidem garrulus ille verborum effusissimus, Sententiarum verò prorsùs est inops, hic autem sermonis brevitate gaudens tantùm sibi Sententiarum comparavit quantùm ad conterendas egregii nugatoris ineptiolas satis videri possit. Et quamquam nihil est in hac rerum congerie, quod viro apprime docto obscurum videri queat, ne tamen vel mediocriter litteratos quidquid latere possit, quæ difficiliora visa sunt, lucidius interpretari decrevimus, abillis ob hunc nostrum laborem gratiarum fortassis aliquid accepturi.

Æquis telis justis argumentationum spiculis, hoc enim compendio Vincentianam garrulitatem pulcherrimè taxat; siquidem nugator ille, quòd paucis potuit effici verbis, id vix longissimo codice consecutus esse videtur. Ideoque telis æquis se cum illo contendere velle dixit, id est, justis, ut dicimus argumentationum spiculis, quæ in disputando justos propositæ materiæ terminos non egrediatur indomitæ. Nihil appositius dici potuit, ea etenim, quæ sui Ordinis fraterculi variis in locis sæpenumero perpessi sunt, neque id sine multa bonis nominis jactura, tam immanem belluam omninò domare debuerant. Horrida tellurem, dicit tellurem

multa

multa protuliſſe monſtra partim quadrupedia, partim reptilia, ſed Vincentium, & hæc & illa naturæ malignitate longè ſuperare oſtenſum Auctore Labeone dicitur, quòd contra naturam cujuſque rei genitum factumque eſt. Et rectè nihil magis contra naturam poteſt eſſe quam virum Religioſum nomine veſtimentoque decorum ea moliri, quæ Sanctæ Religioni tam ſunt contraria, ut nihil repugnantius excogitari poſſit Rictu. Rictus propriè ferarum eſt, ora verò hominum quamquam & ora feris, & rictus homini non nunquam tribui ſolet per rictum ergo ferarum crudelitatem intelligi per vomitum ſerpentum ſævitiam, quibus proprium eſt venena vomere, ſed ferarum ſerpentumque crudelitas foliis corporibus nocere poteſt, hujus verò nugatoris inſulſa loquacitas etiam animabus detrimenta afferre poteſt. Nec lernęa. Sententia eſt: non traxiſti originem ab Hydra, quæ in lernæa delituiſſe Palude, & ab Hercule occiſa fuiſſe dicitur, ſed à Megera infernali furia: morſus profectò accommodatiſſimus, quamvis enim de bellua lernæa uno ablato capite mox plura renaſcerentur, tamen ab Hercule tandem interempta eſt. Nam Auctore Seneca, hanc igne demum vicit & docuit mori; at monſtrorum hoc teterrimum, id eſt, eorum ſecta, qui contra virgineam Conceptionem latrare gaudent, nunquam ita poteſt interfici, quin ſemper aliquid capitis novi renaſcatur. Ideòque non ineptè ex Megero progenitum eſſe Vincentium dicit, id eſt, ex patre diabolo, ut apertis agimus Sermonibus: hæc enim ſequentia carmina lucidius manifeſtant. Quorum hæc eſt ſententia: Ipſe mortis & ſcelerum conditor virus te diffundere docuit, tenui ſub toga idem ſub Religioſa veſte elatum. Et quem obſecro ſcelerum & mortis conditorem rectius arbitrabimur, niſi malignum illum ſpiritum, quem diabolum ſacræ vocant litteræ, ipſe enim priùs peccatum induxit, imò verò fecit; peccatum autem mortis eſſe cauſam, nemo eſt, qui ignoret. Vipera ſæva. Nihil profectò deteſtabilius, quàm cultu atque habitu quamdam præferre religionem moribus autem etiam flagitioſiſſimis quoſque ſuperare vaſto hyatu. Non fuit vaſtus Sanctorum Patrum hyatus, neque enim aperto ore temerè quicquam locuti ſunt. Quippè cum omni reverentia de candidiſſima Virgine ſcripſiſſe inveniuntur. Et ſi quando illam originali maculæ fuiſſe ſubjectam, dixere, hoc ipſum non aſſeruere pœnitus, ſed ita fuerunt ambigui, ut alteram quoque partem nonnumquam aſſeruiſſe legantur.

Vincentius verò & ſui ſimiles vaſtum hyant, namque os in cœlum tollentes audacter aſſerunt, quod ignorant; adde quòd Sancti Patres

nunquam in quemquam sunt invecti, qui de Conceptione Virginis id sentiret, quod nunc Sancta credit Ecclesia. Vincentius verò ita in eos invehitur, qui Conceptionem Virginis venerantur, quasi ab Christiana Religione pœnitus dissentiant, vastus igitur imò verò vastissimus est hujus belluæ furentis hyatus. Originei, nomen ab origine cõmodissimè deductũ; nam crimen hoc originale non recipit gigantæam molem, maximi gigantis grave corpus fundula, plus habet vehementiæ quàm si funda dixisset, vult enim ostendere maximum corpus re minima superatum. Quod ut commodius faceret ipsam quoque fundulam parvam dixit parvulam fortè dicturus, si per versum licuisset Glandem. Glandis plumbum est instar glandis formatum, quo veteres pugnare solebant. Glandes enim plumbeas jaciebant in hostes. Salustius: Pars eminus glande ac lapidibus pugnare. Hîc ergo glandem pro lapillo posuit, perstitit super aram, non destitit donec superaret anguem, draconem. Nota est historia ex gestis Divi Georgii, Exertis è vagina eductis, Maria voluit hoc nomen media brevi enunciari debere, quoniam eodem modo parvis efferatur. Consuetudo tamen obtinuit, ut Mariam media longa proferre malimus, horum autem versuum hæc est sententia, dum Virginem maculosæ Conceptionis probro afficis, totus provocor, ut tibi quanta possum virtute resistam. Nam olim & David gigantem, & draconem Georgius interemit, non quod suaptè natura tanta præstarent fortitudine, sed Domini adjuti virtute id effecisse minimè dubitantur. Ego quoque quamvis non sufficiam ad tantæ Virginis defendendas partes, non tamen cœpto desistam. Ipsa enim Virgo sua bella geret, id est, rationes, quibus hosti resistere possim, mihi ministrabit atque ideò eam sequenti carmine invocat, dicens: Confer Diva manus, hoc est, tu ipsa cum hoste pugnato meo, tamen veluti quodam instrumento utere, ideò namque subdit, atque instrue brachia telis, id est, rationibus, quibus convincãtur hostis ministeria. Ardet equus, id est, quantum in me est totus in hostem feror, & cum illo liberis argumentationibus justâ metrilege comprehensis certare gestio. Translatio nota est, & à portis multis usurpata.

Traditur Eoo. ostensurus, unde manarit peccatum, quod originale dicunt: Paradisum in quo primi positi fuerunt parentes paucis describit, eumque in orientali plaga dicit esse, veterum Auctorum secutus opinionem, nam & Lactantius de eodem loquens hæc habet verba: Est locus in primo fœlix oriente remotus, & ut apud Magistrum Sententiarum legitur: ex veteri traductione Paradisus hic ad Orientem plantatus fuisse colli-

colligitur: hunc propterea voluptatis locum appellat. In hoc quoque ſacras ſecutus litteras, nam in 1. Gen. atque adeò in ipſius principio hominem legimus ab ipſo immortali Deo in paradiſo voluptatis fuiſſe poſitum: addidit & illic ver florere perpetuam, hoc enim ea ſibi verba volunt, non ſive vere locus, quaſi dicat ei loco ipſam veris clementiam nunquam deeſſe. Quam quoque ſententiam noſter hoc verſu complexus eſt, quo ſola perpetuo vere beata tepent legibus adjectis, neque enim in hominem rerum omnium Conditor Deus quicquam habere dominii viſus eſſet, ſi non illum lege aliqua coërcendum eſſe ſtatuiſſet. Certa boni cuſtos, ea arbor, cujus fructum primi parentes guſtare prohibiti ſunt, arbor ſcientiæ boni & mali vocata eſt, nactaque eſt id nomen non à natura ſua, ſed ab occaſione, nam ſi à fructu ejus arboris primi parentes abſtinuiſſent, certi erant omni bono ſe pro perpetuo fruituros: contra ſi præceptum tranſgredi auſi eſſent, etiam certi erant immortalis Dei indignationem ſe nullo pacto evitaturos, rectè ergo hanc arborem, hanc certam boni cuſtodem & mali miniſtram appellavit. Horticolę. Benè primo parenti Horticolæ nomen dedit; Adam namque immortalis Dei liberalitate paradiſi Dominus conſtitutus. Deus eſt, ſignificat autē paradiſus hortum variis arboribus conſitum. Qui enim olerum poſſidēt hortos olitores appellantur. Mox puduit. Oſtendit unde ortū ſit originale peccatum, ortum namque eſt ab ipſa Adæ actuali, ut ita loquar, inobedientia, quàm priuſquam peccaret nullam inter ſenſum rationemque repugnantiam ſenſit ubi verò Domini præcepti immemor datam legem trangredi non pœnituit carnis animæque rebellionem ante ſibi incognitam expertus eſt, non igitur actuale Adæ peccatum ad poſteros manavit, ſed à concupiſcentia, quam poſt peccatum ſenſit ita toti poſteritati adhæſit, ut eam nec deſeruerit aliquando nec unquam deſertura eſſe videatur, hæc autem concupiſcentia, ſi Auguſtino creditur, originalis peccati cenſetur nomine, eaque in iis, qui nondū baptizati ſunt, pœna pariter eſt & peccatum, Baptiſmus verò id efficit, ut peccatum quidem eſſe deſinat, eſſe verò pœna non deſinat. Pellit inde nocens. Horū verſuum ordo eſt, ipſe Adam nocens inde, hoc eſt, à paradiſo pellitur & plectitur, ſubaudi ea pœna, ut cogatur poſcere humum, frugem petere ab humo. Aratro labore aratri; primo namque parenti dictum eſt. *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*, cogitur, inquam, petere frugem, quâ ipſe miſer queat eſſe commedet, læto peccatum namque mors ſecuta eſt, & ut Sapient. 12. ſcribitur: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Mole, corpore; noſtram enim Deus aſſumpſit naturam, arte, ſcientiâ. Solus enim Deus omnia novit, Chriſtus igitur dum hominis cogitationes ſe noſcere atque exploratas habere oſtendebat, non humanitatis, ſed divinitatis ſuæ clariſſima relinquebat argumenta. Perfidus. Attingit præcipuam Vincentii argumentationem, quæ hunc in modum ſe habet. Primi parentis peccatum univerſam poſteritatem infecit, adeò ut quicumque ex viri fœminæque naſcuntur concubitu, originali culpæ obnoxii ſint neceſsè eſt. MARIAM verò non ſecus ac cæteros homines & conceptam & natam eſſe conſtat, videtur igitur hanc labem nullo pacto effugiſſe. Reſpondet Guaguinus, ſuâ virtute MARIAM id maculæ devitare minimè potuiſſe. Sed cùm Legiſlator omnis ſtatutam à ſe legem, quotiens juſta offertur occaſio, mutare commodiſimè poſsit, non eſſe eadem Deo Legiſlatori præcipuo deneganda poteſtas. Cum furtum, oſtendit Omnipotentem Deum ſtatutas à ſe leges interdum laxare ſolere, furtum enim ideò ſcelus eſſe quod divinâ lege cautum, ne quis alteri invito quicquam auferre audeat, permiſſum tamen Hebræis eſt, imò verò ab ipſo Deo præceptum, ut Ægyptios ſpoliarent, neque id faciendo quoquo modo peccaverunt, tunc ergo furtum ſcelus non fuit, quoniam eo tempore divinæ legis veneranda poteſtas. Hebræis nihil obſtitit. Ordo eſt, tunc furtum eſt ſcelus, dum præda negatur furi, id eſt, cùm divina lex prohibet, ne quis furetur, qui cùm furtum permittit, tunc certè peccatum deſinit, quod probat, cùm dicit: Inde fit Ægyptus.

Idem ab iſto furto, quod fecerunt Hebræi: Ægyptus ſit triſtis hic patrem aliud fert exemplum non licèt filio ridere Parentem, nec fratri inferre injuriam, cui ſe fratrem eſſe non dubitat, videtur tamen Jacob utrumque feciſſe, parentem namque decepit ſimulans Eſau manibus & fratrem paterna benedictione privavit, hic patrem Jacob: ſic voluit ex adductis exemplis: hoc pacto concludit, quemadmodum divinâ diſpenſatione factum eſt aliquando, ut fructum peccatum non eſſet, utque citra culpam omnem patrem fratremque decipere liceret, ſic glorioſiſſima Chriſti Parens communi cæterorum mortalium lege procreata ſuo diſpenſante Filio abſque ullo peccato concipi potuit.

Ritum naſcendi, id eſt, potuit efficere Deus, ut abſque ulla libidine produceretur, qua omnium fœdatur conceptio mentis habendæ animæ, potuit, inquit, etiam facere Deus, ut formando corpori anima infunderetur puriſſima, nec ullo prorsùs contacta peccato, Majeſtatis erat, oſtendit Chriſtum ab originali macula parentem non ſolùm ſervare potuiſſe,

verùm

verùm admodùm etiam fuisse decens, ut matrem filius tali tantoque prosequeretur honore. Decebat enim nè immortalis Dei futura Genitrix in ipso statim suæ productionis initio æternæ mortis rea fieret, & sui quoque filii verendam incurreret iram. Ordo est, Majestatis erat, pertinebat ad diuinam Majestatem subducere matrem noxa originali & peccato subripere, nè fieret rea leto pro foribus suæ productionis sivè mavis animationis initiis. Exiit edictum.

Constat Romanos à Troianis ortum habuisse. Est etiam manifestum Augustum Cæsarem universum orbem sibi subjecisse, atque ab illo exisse edictum, ut quicumque suo subditus esset imperio institutum persolveret vectigal. Hoc enim vel sacra Evangelistarum historia, cui Christianus nemo refragandum putat, edocet apertissimè, quis igitur negaturus erit, Augustum Cæsarem Troianos, si tum fuissent, ab ea lege eximere potuisse. Quis itidem contendet, si id ab Augusto factitatum foret quemquam utpotè minùs decens increpaturum fuisse? profectò nemo, Auctori Troiæ ab Ænea namque Troiano primam Romani duxerunt originem. Latio Remo, Latio Regi & Augustum intelligit, qui tunc Romanum regebat imperium.

Remus enim & Romulus primi Romanorum Reges fuêre, postquam nihil unquam mirabilius ab immortali Deo factum fuisse videtur, quàm quòd puellam illæsâ virginitate Deum atque hominem parere jusserit, noluitque rem tantam sine præcedentibus fieri portentis. Et hoc est, quod his verbis continetur: Postquam, inquit, Omnipotens Deus, mundo vitiorum pondere labente (nam universus fere orbis in maximis versabatur erroribus) Scelus abire jussit, id est, filium suum in terras misit, qui peccatorem populum vitiorum sorde purgaret, de eo namque scriptum est: *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, natura conversa est, id est, factum est aliquid, quod communem naturæ legem superabat. Sterilis namque Elisabeth peperit, & puer, quem adhuc in utero gestabat, puellarii gremio clausum cognoscens Deum ingenti gaudio exultare visus est Longeva virago Elisabeth, quæ grandæva erat, & ad pariendum minùs idonea. Quamvis enim viragines appellemus mulieres, quæ virile exercent officium, id est, quæ arma tractare norunt, & alia, quæ viris potiùs quàm mulieribus convenire videntur. Potest tamen omnis mulier virago dici, cùm ex sacris constet litteris primam mulierem viraginem fuisse vocatam, quæ de viro sumpta esset. Vir satus. Non discrepat ab Ambrosio, qui dicit in Joanne nondum vitæ fuisse spiritum, cùm Christum salu-

ſalutaret Herum occultum, Dominum, rerũ omnium Conditorem, quem Sanctiſſimus nitidiſſimæ virgines uterus occultabat, ſupero ſtillamine, ſuperno rore. His enim verbis Sancti Spiritûs opere non virili ſemine Virginem concepiſſe oſtendit. Nec dolor, non abſque ratione ſumma adveniente Chriſto converſam fuiſſe naturam dixit. Nam latitans utero parvulus, ut ante meminimus, reconditum alvo virginali Deum pertenſit. Qua de re in utero materno ſanctificatum fuiſſe Joannem Theologi Doctores affirmant: converſa itidem eſt natura cùm Deum atque hominem Virgo peperit, nullumque in partu dolorem experta eſt, nec aniculæ indiguit miniſterio, quòd nulli unquam mulieri contigiſſe certiſſimum eſt. Vides duo argumenta pulcherrima, quibus religioſus animus facilè adduci poteſt, ut credat candidiſſimam Virginem nullo unquam originali peccato fuiſſe pollutam. Nam ſi Joannem in utero ſanctificatum fuiſſe credimus parùm admodum profectò Dei Omnipotentis tribuimus Genitrici, ſi non illam majori aliquo & præclariori munere donatam fuiſſe putamus. Si verò Mariæ majus aliquid concediſſe arbitramur, æquum eſt illam ab originali macula præſervatam fuiſſe exiſtimemus. Rursùm ſi à partu virgineo omnem abfuiſſe dolorem profitemur, quidni eamdem originali quoque caruiſſe peccato libenter credamus? Cùm enim peccaſſet Eva illam ob peccatum cum univerſa poſteritate hâc plecti pœna Deus voluit, ut in dolore filios pareret. Quòd cùm Beatiſſimæ Virgini minimè contigiſſe fide credamus firmiſſima, cur eam ab eadem originalis peccati macula non pœnitus abfuiſſe liberrimè fateamur, cujus cauſa id pœnæ genus ad poſteros manaſſe minimè dubitamus? Quod enim in nobis originale peccatum eſt olim, ut diximus, in primis parentibus actuale fuit, ſi quæ priùs non ſolùm mirabilia immortalis operatus eſt Deus, paulò antequam in virginalem deſcenderet uterum, verùm etiam per annos plurimos antequam tanto munere genus donaret humanum, virga namque Aaron, quæ arida priùs fuerat & florem & fructum protulit ſuaviſſimum. Decus, fructum, qui honos eſt arboris atque ornamentum. Commodiſſima hæc eſt comparatio, Maria namque quemadmodum ea virga, quam geſtabat Aaron, ſi illius reſpicimus naturam arida fuit; quidquid enim habet id omne à filio non ambigit accecepiſſe, ſed ſicut illa virga abſque terreſtris humoris adjutorio, & floruit & fructum produxit, ſic Chriſti quoq; parens potentiſſimo Filii ſui adjuta munimine & placidiſſimè floruit, id eſt, in ipſo jam conceptu ſancta fuit & fructum protulit ſapidiſſimum, ſine quo aut ſapidum aut delectabile

poteſt

poteſt eſſe nihil, floruit, inquam, MARIA puro immaculatæ Conceptionis candore, neque id terreſtis adjutorio hominis, id eſt, parentum beneficio conſecuta eſt. Quid enim ab illis præter ariditatem accipere potuit? Sed ſuperno adjuta numine tantùm meruit obtinere decorem. Neque tamèn dicimus parentum ſemen ad formandum MARIÆ corpus minimè concurriſſe, quippè quam communi mortalium lege fatemur eſſe productam, ſed illam ex ſua natura ariditatis habuiſſe nihil, filii autem ſui munere pulcherrimum inviolatæ Conceptionis nitorem obtinuiſſe confitemur.

Populus, ſubaudi, Hebræus, quæ ſtagna per rubrum mare, non ſecus ordo eſt, unda riget, id eſt, inſtar telluris ſolidam ſe præbet. Non ſecus non aliter quam ſi arctata eſſet mœnibus, id eſt, tantâ ſecuritate Hebræus populus ductore Moyſe rubrum mare pertranſiit, quanta nos mœnia firma fixa & ſolida pertranſimus, quibus aqua nè latiùs affluat cohiberi ſolet, nec lectorem moveat quod particula ſecus, quam, ſemper, atque, vel, ac, conjunctio ſequi ſolet poſita ſit eo pacto, ut eam particulam ſubaudiri oporteat, id enim carminis efficit anguſtia. Dea, Chriſti Parentem Deam appellat, nec injuriâ. Cùm enim dicat Scriptura: *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes*, nemini dubium eſſe debet, quin MARIA Deæ nomen, quam excellentiſſimè ſibi vindicare poſſit, præſertim cùm poſt unum Chriſtum ipſa creaturarum omnium digniſſima eſſe minimè dubitetur, quemadmodum igitur tranſituro Moyſi rubri maris unda liquida eſſe deſiit Telluris ſolliditatem exhibens, ſic glorioſiſſima Virgo, cujus natura niſi immortalis Dei auxilio fuiſſet adjuta, nihil habebat ſolidi nihil firmi, quia tamen per illam Chriſtus tranſiturus erat, illius adjutorio factum eſt, ut tanta Virgo lubricâ parentum libidine contaminari non poſſet, itaque nec iræ nec mortis nata eſt filia, ſed libera & concepta & nata eſt, nullo Conceptionis humore, id eſt, nullo originis inquinata eſt peccato, & quemadmodum rubri maris aqua tranſiturum Moyſen reverita eſt, ſic etiam aqua Lethæa, id eſt, Lethæus fluvius per quem mortem ipſam debemus intelligere tantam Virginem, per quam tranſiturus erat, Chriſtus non potuit non revereri, hæc una eſt. Scimus ſerpenti dixiſſe Deum: *Ecce mulier conteret caput tuum*, atque hoc ipſum de glorioſiſſima Chriſti parente graviſſimi quiq; exponunt auctores. Per caput itaq; ſerpentis mortem haud ineptè poſſumus intelligere, nam quèadmodum Chriſtus viventium, id eſt, virtute præditorum caput eſt, quippe qui vera eſſe vita non ambigitur, ſic peſtifer ille ſerpens mortuo-

rum, id est, eorum, qui per peccatum diabolum imitando à Deo sejuncti sunt caput esse rectè æstimatur. Si igitur glorioſiſſ. Virgo serpentis contrivit caput profectò mortem ita effugit, ut ne ad punctum quidem temporis morti subjecta fuerit. Liquet igitur eos, qui Beatam Virginem absque originali peccato conceptam fuisse fatentur nihil aliud affirmare, nisi quod sacris consentaneum litteris est. Ordo est. Hæc subaudi, Maria una sola est, quâ cervix primi anguis, ante enim à serpentibus veneni nihil prodierat, conditur, conteritur; cujus triste caput, id est, potestatem, quam in humanum genus habebat. Omnes enim filii nascimur iræ, perempta tulit, abstulit, inquam, quantùm ad se, ut ita loquar; eam namque pestifer ille serpens suæ ditioni nullo unquam tempore subjicere potuit. Serpentis etiam caput Virgo glorioſa contrivisse non ambigitur, dum Christum protulit, cujus interitu nostram mortem destructam esse gaudemus, quod autem peremptam dicit Virginem, ostendit illam sine filii sui munere nihil potuisse, & occurrit argumentationi eorum, qui Christum dicunt non fuisse omnium Redemptorem, si glorioſiſſima Virgo in suâ quoque Conceptione peccato caruit, videtur enim redemptionis munere nihil opus habuisse. His respondet, speciosius etiam quàm cæteros redemptam fuisse Virginem, quippè quàm peremptam fuisse liberrimè confitemur. Defectio mors semper erit. Ostendit longè fuisse excellentiùs longèque præstantiùs Matrem præservasse, ne originali macularetur peccato, quàm eamdem vel ad punctum temporis fœdatam à sorde sublevasse. Vim senti, non incongrua ad nomen allusio, quàm moderatur, jubemur in Sanctam Ecclesiam credere, & quoniam eorum sententiam, qui glorioſiſſimam Virginem nullâ unquam originali maculâ fuisse fœdatam asserunt, sacro sanctæ Ecclesiæ minimè displicere videmus, eo fit, ut hoc ipsum audacter defendamus. Quidquid igitur habemus virium ipsa nobis subministrat fides, & eadem moderatur: neque enim ultra progredimur quàm oportet, cùm ea defendimus, quæ sacro sanctæ Ecclesiæ probari ac placere videmus, Ultra magis colitur, aliam affert argumentationem, quâ decens admodum fuisse ostendit, ut nullâ unquam originali labe Virgo sanctiſſima fœdaretur, sicut, inquit, Christi mortem, quâ redempti sumus omnes religioſiſſimè celebramus, sic ejusdem sanctiſſimam Nativitatem, quantò possumus honore, nec injuria putamus afficiendam. Si igitur decuisse arbitramur, ut mortui Jesu corpus mundo poneretur sepulchro, cur non æque fuisse decens existimemus, ut eidem nascituro ea pararetur aula quàm nulla unquam macula

quamlibet

quamlibet etiam parva contaminasset. Decuit profectò, neque hoc unquam religiosissimus negabit animus. Ordo est; Utra magis putanda est Christi vel mors vel vita, id est, Utra solemnitas vel passionis vel nativitatis ad honerandum Christum magis pertinere videtur, atque hoc ita quærit, ut ostendat utramque festivitatem ad agendas Christo gratias à fidelibus nec immeritò quam religiosissimè coli. Hoc enim est quod dicit. Quęque, id est, tam nativitas quàm Christi passio colitur sacris, id est, religiosis sacrificiis, Utraque culta juvat, utraq; namque solemnitas non mediocrem piis cultoribus gratiam confert. Quidni igitur. Ordo est. Quidni igitur dignos honores vitæ, ut sit vitæ casus dādi. Est enim sensus. Cur ponamus non debeamus afficere dignis honoribus viventem Christū, dando videlicèt, illi thalamum, qui nulla unquam fuerit sorde pollutus, quemadmodùm mortui corpus haud indecenter mundo credimus locatum fuisse sepulchro. Vincentium scelus, quàm sceleratum vocare mavult, est enim morsus asperior. Ostenditque eum nulla duci Religione, quòd hospicium Christi, id est, virginalem aulam, in qua eum requievisse non ambigimus, peccati macula polluere non erubescat, enectum, interemptum fœde, crudeliter, nam & fœdos oculos habuisse Catilinam Salustius tradit, hoc est, crudelitatem quamdam præ se ferens. Nobilis urna, nobile sepulchrum.

Eva nocens. Aliam profert rationem, quia id ipsum, quod ante probavit firmiori ostendit niti fundamento. Eva namque quam nocentem fuisse constat de primi viri costa, pura atque immaculata producta est: illa, inquam, quæ posteritati fragili atque caducæ Mater erat futura. Cur igitur candidissimam Virginem, quæ Dei Filium mundo productura erat, qui humanum genus sua sponte lapsum incredibili pietate repararet, eo munere, quo primam generis humani parentem donatam fuisse fatemur omninò caruisse negabimus? Spirituum Genitrix Mariam spirituum Genitricem rectissimè vocat, eos namque diligit atque amat, qui spiritu quàm carne duci malunt, nam quemadmodum Eva carnis & peccati initium & mater posteritati suæ fuit, ita Maria vitæ spiritualis quæ per Christum data est Genitrix dici potest. Venerit in tenebris, interrogatio cum vehementia quadam. Est enim sententia, erimusne adeò absurdi, ut existimemus Christi Genitricem, cùm primum concepta fuit in tenebras incidisse, Evam verò peccatricem mox ubi creata est nihil omninò persensisse tenebrarum? fluere .... peccato quod à primo parente in posteros manavit. Magnus & Omnipotens. Ex his quæ superiùs osten-

ſa ſunt, credendum eſſe concludit, Omnipotentis Dei munere ex eo concubitu progenitam eſſe MARIAM, qui intactus prorsùs fuerit atque immaculatus. Nec binos. Duplicem conceptionem nonnullos Theologos profeſſores ſecutus oſtendit. Seminum alteram, id eſt, cùm virile ſemen juxta mulieris clauſtra ita ſubit, ut poſt exactum legitimum menſium numerum verum hominis corpus evaſurum eſſe videatur. Alteram cum anima formando infunditur corpori à prima conceptione peccatum abeſſe Vincentius dicit: atque ſic neminem in peccato concipi. In ſecunda verò conceptione originalem maculam contrahunt omnes, à qua nemo præter ſolum Chriſtum immunis fuit.

Fateor quidem conceptionem primam nullo pollui peccato, ſiquidem propriè peccatum accipimus. In illa tamen peccati radicem eſſe negaverim, in ſuperioribus namque diximus Divo Auguſtino videri originale peccatum nihil niſi concupiſcentiam eſſe, quæ primi parentis culpâ ad univerſam manavit poſteritatem, quæque ab eorum concubitu, qui generandæ proli vacant, haud quaquam abſit, nam quod eos peccare credamus, qui legitimo juncti Matrimonio procreandæ ſoboli dant operam. Verùm ea libido quàm prolium generatores omnes experiuntur ab hominis primi tranſgreſſione orta eſt, quæ licèt in parentibus caſtis peccati non obtineat nomen, quia tamen ex ea procreatur, caro inficitur, eaque infectio (ſi quibuſdam, qui hanc rem ſubtilius inveſtigarunt credendum exiſtimamus) advenientem animam polluit atque contaminat. Itaque ſi peccatum pro ipſa peccati radice, quam Gregorius Ariminenſis morbidam quamdam qualitatem appellavit, accipere libet, rectè dixerimus, nè à prima quidem conceptione peccatum prorsùs abeſſe, at nos utramque Virginis Conceptionem puram atque immaculatam fuiſſe confiteri minimè dubitamus. Quærit igitur Vincentius in hac Conceptionis partitione, & quid jactitet, prorsùs ignorat. Binos tractus: Duplicem viam, naſcendi, concipiendi. Eſt enim conceptio primum naſcendi exordium. Seminis ſubaudi fuſi Neutrum. Subaudi tractum, id eſt, neutram conceptionem, protegit, hoc ſibi vult hæc tranſlatio, divinum obſtitiſſe numen, quo minùs candida Virgo originali fœce contaminari poſſet. Et benè MARIAM faci, originale verò peccatum Boreæ vento vehementiſſimo frigidiſſimoque comparavit. Anima numquam donec illa quæ à primo eſt orta parente contagione maculata tamdiu divinis videtur indigna mulieribus, & ab omnipotentis Dei gratia procul abigitur atque fugatur, immortaliſque Deus ſuæ Majeſtatis oppoſuit potentiam

nè

nè faculam à prima ſtatim origine lucidam pœnituſque nitentem vehementior peſtiferæ fœcis afflatus extingueret. Externa dum gente petit, aliam profert rationem, quâ hoc ipſum quod ſuperiùs oſtenſum eſt, validius firmet atque corroboret. Eſt autem hujuſmodi, quotiens Rex quipiam externam ducit conjugem, leges in pleriſque laxari videmus, & ipſius conjugis causâ privilegia permulta oriri.

Decuit igitur ut quàm Deus immortalis Parentem elegerat à communi cæterorum mortalium lege exemptâ eſſe pateretur. Promptè expeditè. Multa libera multas liberalitates ſivè privilegia editurus is à tuendis ædibus dictus eſt. Ædituũ ergo eum intelligit, quiRegis cuſtodit ædes eaſque tuetur, quem oſtiarium appellamus. Solent autem hujuſmodi homines ab his, quos admittunt lucri aliquid ſperare, nec eos ſine mercede admittere. Doctus hiare. Doctus amplam petere ſtipem. Serva Dei, quamvis corruptæ naturæ (ut cum noſtris loquar Theologis) id proprium ſit, ut abſque originali peccato concipi poſſit nemo, cùm tamen natura Dei ſit ancilla atque famula, profectò quidquid jubetur libenter efficit quodque vetat aggredi pertimeſcit. Retegente: Aperiente, hujus enim verſiculi ſententia eſt. Tremit ipſa carnis natura, ubi divina ſeſe pateſacit majeſtas. Callidus. Sententia eſt: ipſe quoque malignus ſpiritus, qui nunquam malè audere neque malè facere deſtitit, in MARIAM dum conciperetur nihil ſibi juris vindicare eſt auſus. Tentator offenſæ, mali atque peccati auſor, ſi ita loqui licet, ab ubere, ab ipſo ſuæ creationis initio, tunc enim facinus maximum tentavit, cùm ſe Deo ſimillimum videri concupivit. Temperat abſtinet. Prodere manifeſtare. Occultis latebris. Maternorum viſcerum ſecretis. Caſta libido, libido conjugatorum, neque enim ab iis, qui caſto juncti ſunt Matrimonio, libido prorsùs abeſſe poteſt, ideò tamen caſta vocatur, quoniam illis citra peccatum generare licet. Qui, quoniam. Ideò namque credibilius eſt à glorioſiſſimæ Virginis Conceptione omnem abfuiſſe libidinem, quod illius parentes ſenes Joachim dico fuiſſe perhibetur. Cur vetat alma fides. Cur credere vereamur, qui in mutuo concubitu ſemina jaciunt ulla abſque libidine. Auctore Deo, quò debent proficiſſe poſſe, maximè dum caſti ſunt parentes prolemque producere cupiunt, quæ Deo perpetuò ſit inſervitura: poteſt profectò ſi modo id Deus velit, jactum ſemen apto recipi loco, quemadmodum ſudorem abſque ulla titillatione ſtillare experimur. Si potis. Oſtendit non adeò videri debere mirabile, ſi conjuges omni virtute præditi, quibus libido prorsùs eſt inviſa ita convenerint abſque ulla libi-

dinosa titillatione in clauſtra viri ſemen recipiatur, atque ut hoc ipſum creditu ſit facilius ea in medium affert, quibus oſtendit ſingulos corporis ſenſus ſua nunquam deſerere officia, cùm tamen ipſa ſentiendi vis, minimè deſit, qui longo virtutis uſu pervincitur atq; domatur. Sed priùſquam ad ea deſcendat, quæ circa ſenſus fieri experimur quoddam de incubis in medium adducit. Certum eſt incubos dormientibus viris ſemen, cùm id fortè emittitur, ſurripere poſſe atque id ipſum mirâ celeritate ad muliebria deferri clauſtra, quo fit, ut abſque viri concubitu proles naſcatur. Talia autem quotiens fiunt, nulla ſentit mulier libidinis incendia, quòd ſi hoc pacto à ſpiritu ſemen in ſua loca transferri poteſt, ita ut procul ſit omnis libido, quis non credat fieri poſſe, ut parentes juſti ſobolis procreationi nulla alia ratione operam dantes, niſi ut liberos producant, per quos Dei cultus augeri queat longo virtutis uſu id efficiant ut nullam ſe in libidinoſam petulantiam experiantur. Quæ autem de incubis dicitur, ne quis aniles putat eſſe fabulas, eum locum, qui eſt in Geneſi perlegat, cujus hæc eſt ſententia: *Angelos Dei multos cum mulieribus concubuiſſe & gigantes procreâſſe viros fortitudine mira præſtantes.* Quem locum cùm varii interpretes variis exponant modis, non deſunt, qui dicant per Angelos Dei dœmones incubos intelligi debere, quorum opera gigantes producti ſunt. At mihi procul dubio veriſimile fit hoc pacto olim generatos eſſe quam plurimos, quos deluſa gentilitas veluti numina quædam admirata eſt, cùm illorum patres pœnitus ignorarent. Excutiat ſemen abſque ullo voluptatis ſenſu ad ſua loca tranſmittat, id enim pudicitiæ uſum conjugumque laborem & corporis exercitationem præſtare poſſe arbitratur. Aſſit præſertim. Oſtendit id optimè fieri poſſe conjuges cælibes, quique à mutis amplexibus multum abſtinuere tempus à Summo Deo juſſi generandæ prolis Cauſa conveniunt, quòd Annæ atque Joachim contigiſſe traditur. Qualis, ſubaudi, fuit. Ille vacat. Oſeæ Dominus præcepit, ut aſſumens meretricem fornicationis filios procrearet, quòd quoniam à Domino juſſum erat id faciens omni vacavit ſcelere, quam rem, ſi fur feciſſet arbitratu fuerat procul dubio ſuo peccaturus, neq; enim meretrici quiſquam, niſi perſuadente libidine jungi ſolet. Si igitur Oſeas præcipiente Domino in meritricios amplexus abſque peccato incidere potuit, cur non Annæ atque Joachim divinâ liberalitate conceſſum eſſe credamus, ut in tam ſanctæ generatione ſobolis, nihil omninò libidinoſæ titillationis experirentur, liber abſque ullo peccato ſtat virtus, Vincentio comminatur, quòd abſque ulla reverentia de glorioſiſſimæ Virginis

Concep-

Conceptione garrire audeat, nec immeritò, cùm plerosque idem ausos facinus variis mortis generibus absumptos fuisse constat. Cruciaverit. Futurum subjunctivi pro futuro indicativi. Ecce adeò nunc ad ea, quæ circa sensus fiunt progreditur, & primum saporis sensum attingit, solet enim plerumque fieri, ut vehementi cruciatu febris omnis prorsùs abscedat. Sapor. Non quod sapiendi vis pœnitùs extincta sit, sed febre tantùm impedita, quâ abeunte illâ rursùm integra atque intemerata perseverat, & fidei plerosque, hoc ad tactus sensum pertinet, plerique enim veri Dei amore atque illius intemeratâ fide usque adeò succensi fuêre, ut nec flammas nec ullum omninò tormenti genus pertimescerent, non quod sentiendi virtus omninò abesset, sed quod divini amoris calor sensum vinceret atque domaret.

Levita Laurentius atque Vincentius; uterque enim levita fuit, uterque præterea idem tormenti genus expertus. Gratiæ, cur nequeat conclusio per interrogationes. Si febris, inquit, nè sapiamus, & fidei calor, nè flammas pœnetrare metuamus, efficere possit, usque adeò, inquam, ut in illis nudatis plantis audenter proruamus, quidni credamus Dei gratiâ Annæ atque Joachim pudicitiæ vitæ prorsùs assueti, id esse concessum, ut Divam MARIAM futuram Christi Parentem ulla absque libidine generaretur. Regna, imperia, quæ libido in homines exercet, dissuetis libidinibus longo pudicitiæ usu, quo fit, ut libidinem facilè domemus. Stoycus. Ostendit haud absurdum videri eos, qui virtutibus pœnitus assueverint, omnem libidinis petulantiam ita comprimere, imò verò pervincere posse, ut eam pœnitus non experiantur. Stoyci namque qui plurima tradiderunt nostræ admodum religioni consentanea voluerunt assiduæ virtutis usu omnem animi perturbationem ita domari, ut eorum nulla sapienti quoquomodo nocere possit. Si igitur & iram & gaudium & omnes denique perturbationes multâ virtutis assuefactione sapiens perdomare possit, cùm tamen omnino nec gaudendi nec irascendi desit Facultas, quidni credamus accedente Dei immortalis gratiâ parentes justos id efficere posse, ut ab illis quicquid est libidinosæ petulantiæ prorsùs absit. Exactè scrutatur plurima.

Stoyci namque, ut Cicero Auctor est, singulorum vocabulorum rationes exactissimè perscrutari sunt conati. Sistere. Verbum hoc & stare & figere significat, nonnunquam enim absolutum est, interdum verò accusandi casui jungitur. Nam cùm dicimus, siste parùm, paucis te volo, jam dubium non est sisto & sto in eodem accipi significatione. Cùm verò

dicimus

dicimus ſiſte gradum, perindè ſe habet, ac ſi diceremus ſige, igitur hoc in loco ſiſtere non figere, ſed ſtare ſignificat. Eſt enim ſenſus: Stoicus certat, hoc eſt, ſtoicæ Philoſophiæ profeſſor contendit animos humanos virtutis munere ita ſiſtere, id eſt, ſtare ac ſtabiles eſſe, ut nullo titubent inſultu, id eſt, ut nullâ ſenſuum voluptate vincantur. Et quoniam tanta commoda ab ipſo virtutis uſu & jugi corporis exercitatione profiſiſcantur, ideò utrumque commendat, atque admiratur, cùm dicit tanti valet uſus, ſubaudi, virtutis, & labor doctus vincere. A teneris, ab ipſa adoleſcentia, ita ut, teneris, ſubſtantivè, ut ita loquar accipiendum ſit, Sopitet ars. Certum eſt Chyrurgicos quotiens partem aliquam humani coporis medendi gratia auferre ac reſecare volunt, languenti neſcio quid potionis dare ſolere, quo fit, ut in ſumnum tantum cadat ægrotus, nè ſectionem illam quæ vigilanti futura fuerat moleſtiſſima quoquo modo ſentire poſſit, quòd ſi potionem habet natura, quâ tantiſper dum reſecatur membrum poſſit non ſentiri dolor, cur nos gratiam naturâ minorem eſſe credamus, nec per eam fieri poſſe, ut à parentibus juſtis omnis prorsùs abſit libido? Adde quòd hoc ad viſus ſenſum pertinet, accidit enim ſæpè numero, ut qui cogitatione aliqua vehementiſſimè detinentur, aut in extaſim cadant, aut luminibus apertis omninò nihil videant, neque tamen videndi Facultate privantur, ſed vel rerum maximarum contemplatione vel aliqua corporis ægritudine ad tempus impediuntur, quæ cùm ita ſint, cur gratia quoque id efficere nequeat, ut juſti in libidinem (in quam, ſi volunt irruere, ſanè poſſunt) nulla omninò ratione incidant? Conſiſtit. Legitur Diva Cæcilia ita auribus impetraſſe ſuis, ut muſicorum inſtrumentorum dulcedine nullo modo capi poſſet, videtur præcipuo Dei munere id parentes optimos aſſequi poſſe, ut cum ſumma modeſtia conjungantur. Nec titillat. Tandem faciendi quoque ſenſum attingit, dicitque eos, qui ſumma ſunt virtute præditi nè balſami quidem odore capi poſſe, quòd Auctore Plinio odorum omnium eſt optimus, ſunt qui balſama ſoli conceſſa Judeæ, atq; in duobus præſertim creſcunt hortis alter jugerum eſt decem, alter pauciorum Plinium legat, qui de his plura ſcire velit, loco autem in quo Balſama proveniunt quodnam ſit nomen Plinius non meminit. Sacræ verò Litteræ in Engaddi balſama provenire dicunt. Verſuum igitur ordo hic eſt, nec odor ſpirans Engaddica, id eſt, balſama. Eſt enim hoc loco Engaddica caſus accuſandi, & ſubſtantivè accipitur, titillat variæ aliqua voluptate afficit illas præſertim, quia quibus mundus malè olet, minimè appetendus eſſe videtur. Et Chriſtus benè

olet

olet, hoc est, videtur esse imitandus, ita ut ejus memoria nullo unquam tempore ab animo deleatur. Tangimus. Epilogum facit, atque ex his, quæ dicta sunt, satis patere arbitratur sapientem corporis sensibus omnibus ita imperare posse, ut illis Auctoribus nulla omninò voluptate maculari possit. Illæsi criminibus, nullo maculati peccato. Quid causæ. Conclusio per interrogationem, concludit enim libidinem atque lasciviam perinde ac cætorum sensuum voluptatem sopiri posse lascivum in membris eum, qui lasciviæ deditus sit. Et liquet petulca, perdomet petulantem lasciviam, petulca namque accusandi casus est, estque deductum hoc verbum à petendo, Hœdus enim petulcus dicitur, id est, lascivus petulans.

Sacro igitur. Ostendit credendum esse Beatissimæ Virginis Parentibus id accidisse, ut generandæ proli operam dantes nulla omninò libidinis incendia persentirent. Eorum namque caro, compluta, id est, irrorata, madefacta, perfusa Sacro imbri, Sacra Dei gratia, cum gnatis operam dant. Non cupit & generat, id est, absque ulla concupiscentia prolem producit. Non dederim, fatetur hoc munus esse rarissimum, eo tamen donari posse justissimos conjuges, qui mentem habent omni pœnitùs exutam vitio, & quam Sanctus Dei Spiritus totam possidet atque occupat. Sic enim est illud intelligendum: Spiritus intùs alit. Ingens dum quicquam. Dicit id munus justissimis conjugibus, tùm maximè decere dari, cùm ex illis nascitura est proles, in qua præcipuum & singulare aliquid Spiritus Sanctus operari decreverit. Quale operatus est in Maria, quæ Spiritu Sancto Auctore eum protulit, qui nostra suâ morte crimina detergens æternæ nos tradidit vitæ capaces. Versuum ordo est. Dum ipse, subaudi, Spiritus Sanctus, pergit pandere quicquam mirabile, id est, ostendere, manifestare vult rem aliquam admiratu dignam. Quod quale, Quis enim, & qualis pro eodem frequenter accipi solet. Tersio, ablutio grandis noxæ peccati primi parentis, quamvis enim primi hominis culpa non ita dilota sit, quin in originale peccatum quicumque nasciturus est cogatur incidere, regni tamen cœlestis interveniente Christi morte justis patefacta est janua, quæ nulli prorsùs aperiebatur. Sicut opus. Illatio pulcherrima & Religioso Viro dignissima. Scimus Christum cùm moriturus esset carnem sanguinemque suum sub panis vinique specie Discipulis tradidisse suis. Quo tempore nullum mirabilius nullumque memorabilius factum est unquam. Quemadmodum igitur Christum moriturum opus & admiratu & memoratu dignissimum facti-

taſſe non ambigimus, cur non eumdem priùſquam naſceretur quiddam admiratione dignum. Quàm maximâ operari voluiſſe credamus. Quale fuit futuram ejus Genitricem abſque originali peccato concipi. Inſultas iterùm. Aliam aggreditur Vincentii argumentationem debilem ſanè & parvâ admodum virtute nitentem, quæ quoniam minùs eſt idonea priùſquam eam diſſolvat facetè irridet; ait enim: Ecce iterùm inſurgis Vincenti & inani ſublatus planta, id eſt, in digitos pedum erectus tamquam magnum aliquid allaturus. Sed fruſtrà gladium in guttura noſtra (ſi tamen id pati volumus) potenter defigis. Sicam, gladium. Inde ſicarii dicti ſunt. Jugulum. Jugulum anterior colli pars: Cervix verò poſterior. Eſt enim jugulum ea pars quàm alio nomine gulam appellamus. Exciſa eſt, affert aliam Vincentii argumentationē, quæ in hunc modum ſe habet: Quicumque vitiata carne Adæ ſunt exciſi iidem cum aliqua labe concipiantur oportet. Quæ profectò non alia eſt quàm illa, quæ originalis ab omnibus appellatur. Sed Beatiſſima Virgo Maria ab infectâ ſtirpe non ſecus ac cætera poſteritas exciſa eſſe videtur, eam igitur in originali peccato conceptam nemo rectè negaverit. Argumentationis hujus propoſitio, quam majorem vocant, eſt falſa. Eadem enim eſt Chriſti quàm Mariæ caro, quam de puriſſimis ſanctiſſimæ Virginis ſanguinibus (ut noſtrorum Theologorum verbis utar) formatam fuiſſe fide credimus inconcuſſa. Si igitur Mariam in ſua Conceptione infectam fuiſſe credimus quod de peccatrice carne Adæ exciſa fuerit, Chriſti quoque carnem aliquando in Maria immundam fuiſſe confiteamur oportet. Quòd tametſi nonnulli & noſtræ Religionis Principes affirmare non dubitant, duriuſculū tamen videtur & honori noſtri Salvatoris non ſatis conveniens.

Ego verò hâc ipsâ ratione Eccleſiam mirifice perſuaſam crediderim, ut eorum opinioni aſſentiendum putaret, qui Beatiſſimam Virginem Mariam puriſſimam ſemper fuiſſe fatentur. Ringis. Ringere propriè canum eſt, neque hoc ineptè dictum in hoſtem impiiſſimum, qui Chriſti Matrem canino dente dilacerat. Adina. Ab Adam adductum vocabulum carmini prorsùs accommodatum. Ergo Adina mole, id eſt, carne Adæ. Teſtatur autem Lucas Chriſti carnem ab ipſius Adæ carne fuiſſe exciſam, cùm illum de puriſſima Virgine natum fuiſſe fatetur, de cujus carne ipſius quoque caro formata eſt. Quin etiam Chriſti Genealogiam ita deſcribit, ut ab Adam perveniens eumdem Chriſti quoque principium fuiſſe oſtendat. Non cecidiſſe, attingit Vincentii reſponſionem, quamvis enim, inquit Vincentius, Chriſti carnem aliquando in Maria immundam

fuiſſe

fuiſſe fateamur, non ideò tamen concedimus Chriſtum originali contagione infici potuiſſe. Quippè quem citra virilis ſeminis commixtionem conceptum fuiſſe fide firmiſſima confitemur. Hoc ipſum cum Vincentio affirmat Gaguinus, cùm dicit ſummæ fuiſſe virtutis ut non caderet Deus. Sed cùm inquit Chriſti natura ejuſmodi fuerit, ut hâc labe nullo pacto potuerit infici, & ipſe per ſe, utpotè cui nullo opùs erat auxilio ſteterit, concedamus etiam (quandoquidem pietas ita perſuadet) MARIAM divino adjutam munere nunquam cecidiſſe. Sed prior eſt Gnato.

His paucis verbis aliam Vincentii argumentationem oſtendit. Eſt autem ejuſmodi. MARIAM Filio ſuo fuiſſe carne priorem certiſſimum eſt. Dictum igitur videtur abſurdum, ut peccati originalis immunis eſſet filii ſui dono fuiſſe conſecutam. O ridiculam prorsùs argumentationem, ſcimus enim ante Chriſti adventum nunquam æternæ vitæ gaudia meruiſſe quemquam, qui non firmiter credidiſſet futurum aliquem Redemptorem, cujus acerbiſſimâ nece optatum perpetuæ beatitudinis præmium obtinere poſſet. Mater ergo filii ſui præceſſit humanitatem, Divinitatem certè non præceſſit, ſed Mater, inquit dici, non potuit priuſquàm Deum atque hominem virginali conciperet utero. Fateor. Quo pacto igitur, inquit, filii ſui munere ab originali macula immunis ſervari potuit? Futuri filii ſui munere latrator ineptiſſime, velis nolis, ſervata eſt. Ordo eſt. Etiam omne genus parentum, quibus certa Chriſti paſſio fuit cura, id eſt, curatio ſivè medela fuit priùs Chriſto, hoc eſt, omnes illi, qui abſque ulla dubitatione venturũ credidêre Chriſtum illius mortem præceſſere; mortem exhibitam, inquam, non præmiſſam, in cujus fide & à vitiis purgari & vitâ meruerunt donari æternâ. Angeniti, aliam Vincentii argumentationem brevi pulcherrimaque reſponſione diſſolvit. Sic enim argumentatur Vincentius, ſi ante benedictam Chriſti mortem Divam MARIAM ex hac luce migrare contigiſſet, æthereas profectò ſedes minimè fuerat petitura; Redemptore igitur indiguit, qui cœleſtis illi regni januam aperiret. Videtur ergo originali minimè caruiſſe peccato. Nam primi parentis culpa, cujus univerſa poſteritas particeps fuit, claudendi cœli occaſionem præbuiſſe videtur. Quæ autem in primo homine actualis culpa fuit, ea in poſteris originalis fuiſſe minimè dubitatur. Temerarii profectò ſunt, imò verò ſtolidi prorsùs, qui ſic argumentantur. Neque enim immortalis Deus, ea quæ per homines Auctore Spiritu S. futura prædicit, ullo pacto immutare conſuevit, prædixerat autem per Simeonem futurum, ut Beatiſſimæ Virginis animam doloris gladius pertranſiret.

voluit itaque Christus eam quam pro nobis passurus erat mortem à matre spectari sua. Quid igitur juvat illam Dei potentiam tantopere perscrutarii? Quid in rebus illis, quæ nobis sunt prorsùs occultæ, suspectissima illa dialectica prodest?

Sed hoc hactenùs interpretandum nobis est non invehendum. Collachrymare. Utraque voce tam activa quàm passiva verbum hoc efferri solet. Nam & collachrymare, & collachrymari immutata significatione dicimus, jungiturque hoc in loco casui accusandi, & significat deflere. Quæ si rapta: fatetur ingenuè se ignorare quid de Christi Genitrice futurum fuerat, si ante filii sui mortem humana deseruisset. Satis enim fatetur dum per conjecturam loquitur. Conjectare igitur. Si dicit illam aut in paradisum voluptatis cum Enoch & Helia fuisse transferendam, aliquo alio loco quolibet nobili atque egregio non sine Angelorum comitatu reponendam: dum cœlos ascendens Christus illam secum evexisset. Verùm uteumque se res habet (inquit) maneant hæc arcana uni Deo cognita atque comperta, nolo enim prudens in ignem manum mittere. Et profectò est nostro Religioso dignissima. Nihil enim turpius nihil potest esse impudentiùs, quàm de iis, quæ nobis sunt pœnitus ignota temerè quicquam velle definire. Quis, quibus Ferrarius, Vincentium intelligit, quem Ferrariæ oriundum dicunt, Ferrarius enim & Ferrariensis dicitur; pila, telorum genus, unde & compilo verbum deductum est, effertur enim producta media, quo facilè liquet non esse deductum à nomine pilus, quòd prima brevi enunciari nemo dubitat. Dire ait: hæc Vincentii argumentatio tenuis est admodum, quamquam nemo, nisi prorsùs indoctus, virium aliquid habere existimet. Est enim hujusmodi. Mors ipsa & quæcumque mortem præveniunt qualis sunt fames, sitis, algor, æstus & innumera id genus eâ ratione humano generi accidisse videntur, quia primus homo statutam sibi ab immortali Deo legem transgredi non pertimuit. Sed Virgo Beatissima memorata incommoda, quæ nos quotidie experimur, experta esse non ambigitur. Liquet ergo illam à primi parentis peccato non omninò fuisse liberam, quamvis enim Beatiss. Virginem eo munere donatam fuisse credamus, ut nè minima quidem libidinosa contagione Deum unquam offenderit, sed nec offendere potuerit, non tamen hoc satis est argumenti ad ostendendum originalis peccati malum ab optima Christi parente semper abfuisse. Solius fomitis concupiscentiæ, quæ post primi parentis peccatum universum genus humanum infecit. Vena repressa. Non potuit accommodatius appositiusque dicere, donec enim

primus

primus parens in originali justitiâ perstitit, concupiscentiæ vena clausa fuit, quæ post illius peccatum tam latè patuit, ut universam inficeret posteritatem. Et quemadmodum ad reprimendam venam, quæ nimium patet medico opus est, sic ad extinguendam in MARIA concupiscentiam supremo ac cœlesti medico opus fuit. Criminis. Horum duorum versuum ordo est. Illa subaudi incommoda superiùs memorata. Notant ostendunt. Tractatus criminis subaudi originalis, quoniam hujusmodi incommoda à primi hominis peccato contraximus. Quâ parte sive per quos tractus Noxa pœna, quamvis pro levi peccato accipi soleat, ducit suos nepotes, hoc est, totam posteritatem, malo aurigante primi hominis peccato id efficiente, nam Adam malus auriga fuit, quia posteritatem in eximiam incommodorum multitudinem vexit. His etiam respondet ei argumentationi, quam modò attulimus, & quidem brevissimè: sic enim, inquit, in Christum mihi argumentari licebit, qui famem & sitim & quidquid talium est incommodorum, quin & ipsam mortem, denique perpessus est. Dicemusne igitur & illum originali fœce commaculatum fuisse? jam nervum in arcum ad sagittandum aptatum, id est, in ista tua argumentatione pertinax esto, feries eodē vibramine eodem teli ictu percuties genitum gnatum & matrem, quos premit una lues, qui eadem sunt incommoda perpessi. Altera sed gnati. Horum versuum sententia est. Fateor tamen diversam gnati ac parentis esse virtutem. Gnatus enim per se constitit utpotè Deus verus, qui à nullo pendet; ipse namque solus verè est, & quæcumque sunt, eo Auctore sunt, nec à se quicquam habent. Formet Deos, id est, in se solo, ut nostri Theologi loqui consueverunt; Sese namque. Auferendi casus est, formet Deos, id est, creet Angelos & homines, qui per participationem Dii fieri possunt, & illos, suæ potestati subjectos tenet. Cui nihil. Hi duo versus per se sententiam non efficiunt, sed ad perficiendum tertium quoque accedere necesse est, quòd à Poëtis nonnunquam fieri consuevit, tametsi id rarò fieri solere non negamus; fecit hoc Martialis in eo Epigrammate, cujus hoc principium.

Nasutus sis usque licèt, sis denique nasus,
Quantum vellet ferre rogatus Athlas,
Et possis ipsum tu deridere latinum.
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego, quæ dixi.

Vides sententiam hanc nisi cum initio quinti versûs non compleri, cui subaudi Deo.

Nihil & quidquid nihilo consistere mandat, id est, quidquid ex nihilo producitur atque creatur, volenti Deo paret atque obtemperat, ideoq; ipsum nihil Deo parere dicitur, quia ex ipso immensa illius potestas cuncta produxit & quotiens lubet procreare potest. Nam sunt, sententia est: sic omnia Deo obtemperant, quemadmodum fabro ferrum parere videmus, imò verò multò certiùs, firmiùs & meliùs, nam serra nonnunquam minùs est acuta, hebescit enim longo atteritu, & nimiò tandem usu corrumpitur; præcipiente autem Deo nihil undique impedimenti afferri potest. Protenùs: sententia est, ubi igitur legatus Dei Filius à Patre missus de luce ad umbras venit, statim nostram mortalitatem induens ab ipsa carne corporis Ægra tulit, id est, cum hac nostra natura universa præter peccatum & ignorantiam incommoda suscepit atque passus est. Majestas: sententia est. Divina Majestas è cœno lutove togellam sarcire & contexere potuit, id est, hominem sibi assumere valuit, quem nulla notaret mendula, id est, qui nulla prorsùs quantumlibet parva inficeretur maculâ. Erat enim natura humana, velut quædam divinæ Majestatis toga, sub qua mirabiliter latere tegi voluit. Quod tenui. Ordo est, quòd puella Beatissima Virgo texenda tenui lino, quæ cæterorum hominum more procreanda fuerat. Nequit, subaudi efficere, nisi Deus eam juvet, cui ipsa MARIA Mater sit habenda, atque quæ insonti ordo est, atque ipsa subaudi MARIA. Grata peremptori grata Christo, qui illam peremit, hoc est, ab originali peccato præservando ante alios redemit. Refert, dicit, fatetur. Tulisse magna sese accepisse res magnas ab ipso Deo, quia illius filius esse dignatus est, quia percepit vitam insontem origine, id est, quia anima illi nullo originali peccato maculata peccato infusa est, cùm enim dicit MARIA, *Quia fecit mihi magna qui potens est*, de eo quoque munere, quòd tunc accepit, cùm illius conceptum purissimum nulla omninò infecit labes locuta esse haud absurdè credi potest. Magna. Horum sex versuum, qui sequuntur, sententia est, quamvis sibi magna dixit contigisse MARIA, hoc tamen ita accipiendum est, quasi maxima sese à Deo accepisse professa fuerit. Fidei namque pietati consentaneum esse videtur, ut sacratissimam Christi parentem majoribus quàm quemque mortalium quemquam muneribus donatam fuisse credamus.

Legimus autem & veteris tempore legis Jeremiam & initio novæ Baptistam Joannem in utero materno fuisse sanctificatos. Quod cum illis contigisse sacræ tradunt litteræ justum est ut de gloriosissima Dei Geni-

Genitrice majus aliquid sentiamus. Et si Prophetis illis, quia profectò viri fuêre dignissimi, magna à Deo immortali data esse non abnuimus cur Mariæ quam sibi ante sæcula Matrem Deus elegit, non maxima quæque munera largita esse fateamur? Ordo est. Maria minùs, id est, parùm dixi, est enim comparativus pro positivo positus. Ea subaudi dicendo magna, quæ possunt dici maxima, id est, quæ digna sunt, ut maxima dicantur. Vix fretos animos, in quibus vix spiritus inerat vitæ habere jubar mentis, id est, in uteris matrum ab originali peccato fuisse mundatos.

Talis enim sanctificatio sive gratia fieri non est credenda, quæ mentis splendor haud absurdè potest appellari. Habere autem hoc in loco non præsentis, sed temporis est præteriti imperfecti, nam utrumque hujusmodi sibi voculæ vindicant, & est hoc pacto exponendum: divina volumina duos tradunt Vates, qui vix animo freti mentis habebant jubar. Grandia si magnis, subaudi donata fuêre, id est, si grandia munera data sunt Jeremiæ & Baptistæ Joanni, qui magni fuêre viri. Majori Deæ, id est, Mariæ, quæ major utrisque fuit, quæ præit astra in præsentia divina, ut illi respondeat, quòd de tanta Virgine canit Ecclesia: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Xeuxis pictor egregius, de quo apud Plinium multa leguntur. Abrahami, hæc latina est inflectio, quæ Justinum Historicum lepidissimum usum fuisse constat. Monstra, rectè peccatum omne monstrum appellatur. Quoniam hominem immortali Deo invisum facit atque exosum. Fomitis, dixerit forsitan aliquis huic carmini parùm inesse decoris. Inest tamen admiranda brevitas & diluciditas summa. Quæ duo quotiens consequi possumus rectè nimirum esse arbitrari debent. Fomitis peccatum dicit, quod communi nomine originale vocatur, hinc enim concupiscentiæ fomes ortus est, veniæ autem peccatum id appellat quod veniale dicimus, non quod venia ipsa peccatum sit, sed quod hujusmodi delictum majore venia quàm cætera peccata dignum esse videatur. Sceleris autem peccatum appellat, quod nos mortale dicimus: Neque id sine præcipua ratione. Non enim scelestum dicimus eum, qui fortè per jocum ridiculum quodpiam verbum protulerit aut simile fecerit aliquid, quodque hominibus leve admodum videri solet, sed scelestum vocamus eum, qui ea committit, quæ cuncti utpotè turpia atque inhonesta detestari consuevere. Et quoniam mortale peccatum tantum est, ut hominem Dei gratiâ spoliet, nisi per pœnitentiam deleatur, ad inferna demergat rectissimè hujusmodi crimen, scelus appellari potest. His cognitis sententiis

pœni-

pœnitus eſt aperta. Ex his enim, quæ ſuperiùs dicta ſunt, concludit nulla prorsùs cujuſcumque peccati macula inquinatam fuiſſe MARIAM. Hujus ſubaudi ſomitis. Furcifer: olim ſervi, qui malè egerant furcam geſtare cogebantur, quin & virgis flagellari ſolebant; hinc ſceleſtos homines furciferos appellare ſolemus. Rectiſſimè igitur nomen hoc Vincentio convenit, qui cum ſe MARIÆ ſervum profiteatur in nitidiſſimum Dominæ ſuæ conceptum impudentiſſimè latrare non veretur. Hoc videns. Aptiſſima eſt hæc reprehenſio, multum enim intelligenti relinquitur. Nam hæc eſt ſententia: nos Beatiſſimam Virginem ab omni peccato immunem fuiſſe confitemur, ſed tu, qui illam originali culpa tam impudenter polluis metuendum eſt, nè tua uſque eo provehatur impudentia, ut illam etiam mortalis peccati inſimulare verearis. Tu igitur, qui tam impuro es animo, an Virgo nitidiſſima mortale aliquod habuerit peccatum, vide. Nos enim qui rectè ſentimus ab illa re pœnitus abhorremus. Dum loquimur. Hæc Auguſtini ſententia eſt, dicit enim quotiens de peccatis agitur ſe nullam prorsùs de MARIA quæſtionem habere velle. Sed originalem maculam peccati cenſeri nomine nemo dubitaverit. Igitur cum de MARIA loquimur, nè de hac quidem culpa mentionem ullam fieri oportet. Dicimus. Hæc eſt Anſelmi ſententia. Decuit, inquit, ut immortalis Dei Genitrix tantâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi. Sed niſi glorioſiſſ. Virgo peccati originalis fuiſſet immunis, poſſet proculdubio ſub Deo intelligi major puritas. Videtur igitur omninò decuiſſe, ut glorioſæ Virginis ſancta prorsùs eſſet atque intemerata conceptio. Ordo eſt. Nos dicimus MARIAM tantam fuiſſe, id eſt, tantâ puritate nituiſſe quantam mens ductâ fide, id eſt, religiosâ credulitate perſuaſa poterit prehendere, id eſt, comprehendere. Sub numine cœli, hoc eſt ſub ipſo Deo. Hoc ideò dicit, quia Vincentius Sanctorum Patrum ſententias, qui à Beatæ Virginis Conceptione originalem non defuiſſe maculam confitentur, ſolertiſſimè conquirit, ac veluti in arce aliqua fortiſſima collocatus, eos, qui contra ſentiunt, tantorum virorum authoritate deterret. Sed doli profectò ſunt, quos ſtruit. Nam quod ipſe omni ſepoſitâ dubitatione non veritus eſt aſſerere, id ipſum viri ſancti, quorum ſententias ille profert, intrepidè non ſunt auſi affirmare, quique in contrariam nonnunquam incidêre ſententiam, ut ante meminimus, & tam hanc quàm illam, ut aliter atque aliter ſentiebant, viſi ſunt aſſeverare. Cùm tamen ex hoc non fit alteram tantùm veritati conſentaneam videri poſſe.

Sed

Sed Vincentius hujus dubitationis mentionem fecit nullam, quin imò quæ ad rem ſuam facere exiſtimavit, congeſſit ſtudioſius, ut tam grandi oratiuncularum collecto acervo, quæ diverſis perfectè in eamdem coëunt ſententiam, quaſi detonare ac fulminare videretur. Vox vox: aptiſſima congeminatio, ut Vincentianum tumorem lucidius oſtendat, qui in illo Sententiarum acervo, quem de Sanctorum Patrum codicibus deprompſit maximam collocatam eſſe victoriam arbitratur. Longo agmine. in tranſlatione perſiſtit, quippè qui de arce locutus fuerat, de prælio dicere perſeverat. Ipſe libens, cùm omnium veneratione priſcos illos viros, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Auguſt. quos noſtræ fidei columnas, & quidem ſolidiſſimas fuiſſe non ambigimus, noſter Gaguinus, ut Religioſum virum decet, affatur. Illos enim ſe revereri velle dicit. Sed ab illis eam ſibi veniam dari petit, ut in hac parte (quandoquidem candidiſſimæ Virginis amor id perſuadet) ab illis liceat diſſentire. Virginis arma: non recedit à tranſlatione. Durus ut hoſtis: ſententia eſt, ſi veſtram ô Sancti Patres auctoritatem reſpicimus, quæ nimirum tanta eſt, ut omnia fermè, quæ à vobis ſcripta eſſe conſtat Eccleſia Sancta comprobet atque confirmet. Videmur profectò nè in hoc quidem à vobis diſſentire debere, itaque ſi vos arcum intenditis, id eſt, unanimes in ſententia perſiſtitis Beatam Virginem in originali peccato conceptam aſſerendo: veſter ſcorpio, id eſt, telum à vobis emiſſum (eſt enim ſcorpio teli genus) hoc ipſa veſtra auctoritas agit lethiferum vulnus divæ ſubaudi MARIÆ, id eſt, efficiet, ut MARIÆ Conceptionem originali peccato aliquando fuiſſe fœdatam negare non audeamus.

Sed profectò nemo eorum conſtantius arcum intendit, neque enim eſt eorũ quiſquam qui non in aliquo ſuorum ſcriptorum loco glorioſiſſ. Virginem puriſſimam fuiſſe ſemper, nec aliquid unquam nè in ſua Conceptione quidem contraxiſſe maculæ aſſeruiſſe videatur. Quod ſi unanimis omnium fuiſſet ſententia, nec illorum quiſquam quoquo modo dubitaſſet, non hodie fortaſſis virgineæ Conceptionis dies tanto celebraretur honore. Sed illorum dubitatio atque ambiguitas alterius confirmandæ ſententiæ, qui nimirum pia magis ac religioſa viſa eſt maximam Baſileënſi Concilio præbuit occaſionem. Quod fœdum: Sententia eſt, quidquid à pietate, quâ Deum illiuſque parentem ſacratiſſimam proſequi debemus ullo modo diſſentire videtur. Eſt autem quidquid tale eſt, fœdum ac turpe, nec dignum, ut religioſa auris id admittere debeat: quidquid, inquam, eſt hujuſmodi hoc ipſum, pace veſtra dixerim, veſtra non re-

cipit fides, poterat dixiſſe noſtra, ſed ideò veſtra dicere maluit, ut oſtenderet priſcos illos viros clariſſimam fidei virtutem coluiſſe ſinceriùs quàm hâc noſtrâ tempeſtate coli videatur. Publica, quam & facinoribus noſtris egregiis & clariſſimis ſcriptis ita feciſtis manifeſtam, ut neminem latere poſſit. Pura. Oſtendit fidei pietati non ſatis videri conſentaneum Divam Chriſti Parentem primi peccati contagio pollutam credere, olim namque Deum præcepiſſe non ambigimus, ut Aaron Moyſi fratri veſtes fierent, quæ non ſolùm puræ, verùm etiam ſanctæ eſſent. Erant autem veſtium nomina Rationale, Superhumerale & Cidaris, quod capitis erat integumentum. His veſtibus induebatur Sacerdos quotiens Deo ſacrificare volebat. Si igitur veſtibus tam puris quàm ſanctis ſacrificaturus uti præcipiebatur Sacerdos, quidni credamus Chriſtum Sacerdotem ſummum qui ut gratam ſeſe Deo Patri victimam offerret in hanc lachrymarum vallem admirabili erga nos uſus pietate deſcendit, pura ſanctaque Mariæ Virginis alvo circumdari voluiſſe: ſic, inquam, pura atque ſancta, ut illam nulla unquã polluerit labes, nec eſſe priùs quàm ſancta eſſe cœperit illam, & veſtes illæ, de quibus ſuperiùs diximus tum quoq; cũ fiebant, puræ erant atque impolutæ; non minùs igitur decùit Chriſti Matrem, tum quoque cum formabatur omni prorsùs carere maculâ. Quem ſcimus alia confirmatio. Olim namque prohibebatur Sacerdos immundum quidquid contingere, ac proinde à cadavere mortuo manum abſtinere. Credile eſt igitur Chriſtum Pontificem maximum non eum ſibi delegiſſe locum, in quo meuſes latitaret novem, qui ulla unquam fuiſſet fœce contactus, aut illuvie quantumlibet exigua quoquo modo inquinatus. Nec ſincerè vetabatur etam Sacerdos, nè quâ negligentia ignem extingui, ac nigreſcere victimam pateretur. Quod cùm ita ſit haud ineptè credere videmur immortalem Deum à candidiſſima Virgine ignem ſuæ gratiæ ab illa nullo unquam tempore ſubmoviſſe, nam ſi quo tempore concepta eſt ſupernæ illi gratiæ flamma defuiſſet, nigricaſſet proculdubio futuri Jesu caro, quam pro nobis in ſacrificium oblaturus erat. Quod cogitatu videtur impium, eamdem namque Matris & Filii credimus eſſe carnem. Pontificem. Nota eſt ſententia verſuum iſtorum ex his, quæ ſuperiùs diximus. Verbiparæ Virginis, quæ verbum, id eſt, æternum Dei immortalis filium peperit. Puro ſubſtantivè accipiendum eſt. Dicit enim Mariæ & pura fuiſſe initia, & eamdem immaculatam prorsùs æthereas conſcendiſſe ſedes. A puro igitur, id eſt ab ipſa puritate, quæ Mariæ ab ipſis ſuæ formationis initiis affuit, ad aſtra gradus factus eſt quàm immaculato

vitæ

vitæ tempore perstitit, & talis tandem in astra pervenit, atque in hoc sensu sequentes versus hoc pacto lege.

Anteà mortiferam, nè quando attingeret alvum,
Qui fieret mortis morte Redemptor homo.

Sin autem legis,

Antea mortiferam, qui nec contingeret alvum,
Sed fieret mortis morte Redemptor homo.

Hæc erit sententia. Credo ego Pontificem novum Christum omnium puritate atque mundicia virginalem uterum decoralse. Hoc enim sibi vult, cùm dicit: Velis struxisse corustis. Unde de quo utero factus sit gradus ad astra. A puro subaudi Christo, qui non tam purus quàm ipsa puritas rectissimè dicitur; Christus enim in hanc nostram lucem venturus, è virginali prodiit utero. Et per labores innumeros ad astra gradum fecit qui subaudi Christus non contingeret alvum anteà mortiferam, id est, in ejus uterum non descenderet, quæ mortis atque iræ filia aliquando fuisset. Quid panem: alia confirmatio jubemur sacratissimum Christi corpus, quanta licèt munditiâ atque puritate accipere, non animi modò verùm etiam corporis. Si quis enim quâlibet detentus ægritudine à vomendo vix abstinere possit, ad panem illum Angelicum accedere prohibetur. Si igitur absurdum putamus sanctissimum Dei corpus os infectum ingredi, quidni decentissimum fuisse arbitremur, ut virginalis aula in qua erat descensurus Dominus pura tota inveneretur, quam, videlicèt, nulla unquam labes inquinasset? At dicit Adversarius, mundus tunc Virginis uterus erat, cum eo claudi voluit Christus, hoc profectò nemo nescit, sed negari non potest, quo tempore glorioſissimæ Virgini rationalis infusa est anima in illa eam fuisse materiam, unde sacratissimam Christi carnem æternus Dei Spiritus formaturus erat. Quod si eos sanguines, ut nostrorum more loquar, tunc immundos fuisse dicimus ipsam quoque Christi carnem aliquando immundam fuisse fatemur. Quod mihi profectò non relatu modo, sed cogitatu quoque videtur durissimum. Una ratio pulcherrima, & sacræ Religioni plurimum accommoda; decuit enim, ut quæ moriente Christo cunctis in fide titubantibus sola constans, imò verò stabilissima perstitit, sola quoque muneris haberet aliquid, quòd nulli unquam mortalium concessum fuisse videretur. Non igitur miremur soli contigisse Mariæ ut adjutore Deo originale peccatum effugerit, quæ eodem auxiliante in fide firmissima perseveravit. Una foret. Admirari videtur Sanctos Patres in eam incidisse sententiam, ut Divam

Christi Parentem originali contaminatam peccato afferere vellent. Ideò namque in hunc modum illos alloquitur. Decet, ô Patres optimi, ut quæ eum in terris protulit, cujus pretiosissimâ morte cœli fores, quæ eunctis mortalibus clausæ fuerant vobis sunt reseratæ, decet, inquam, ut illam summa prosequamini veneratione, nec aliter de illa, quam piè sentiatis. Nè si. Sententiam hanc clarissimè apperuimus, dicit enim pietati minùs videri consentaneum, ut quis de Virginis sanguine, qui aliquando immundus fuerit, sanctissimam Christi carnem formatam fuisse fateatur. Quæ fuit. Sententiam hanc Horatius his verbis contexuit. Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu; sed dixerit aliquis similitudinem hanc aut nihil aut parùm ad rem facere. Quamvis enim testa liquore aliquo imbuta odorem retineat, nec facilè possit amoveri, longè tamen aliter de originali peccato sentiendum esse non ambigimus. Mox enim ubi purgatum est, ita ab anima decedit, utpotè si nihil relinquat quòd peccati rationem habere videatur, fatemur id quidem, sed fieri non potest, quin si Mariæ caro aliquando immunda fuerit Christi quoque carnem in illa aliquando immundam fuisse constet. Est autem ordo, iste malè suavis atque ingratus, & qui purissimo Jesu minimè convenire videatur. Virgineos: ordo est, nullus amator fermenti, nulla peccati originalis amaritudo. Est enim amarum mortis atque iræ nasci filium; Asperet, inficiat, commaculet virgineos exortus purissima Mariæ Virginis initia; una sola Maria splendeat nimis, præ reliquis eo evehitur privilegio, ut nulla unquam fuerit originali fœce contacta. Rectè autem originale peccatum fermenti nomine appellavit quo totam liquet infectam fuisse posteritatem. Nec menti geminæ Conceptionis distributionem, quam Vincentius inter disputandum afferendam existimavit superiùs ostendimus. Admonet igitur noster Gaguinus eos, qui de B. Virg. Conceptione piè ac religiosè sentire volunt, nè hujusmodi petitionem probent, sed absque ulla simulatione credendum arbitrentur candidissimæ Virginis corpori infusam fuisse animam nullâ unquam peccati labe maculatam. Impare libra, sed non hoc ab re dictum est, vult enim Vincentius religiosus admodùm videri, inanis hujusmodi distributio garrulum illum nequidem erga purissimam Virginem sinceri amoris habentem ostendit, pensitat, ponderat. Artis egens. In his enim anilibus argumentationibus nihil prorsùs apparet artis. Lux comes Dei immortalis gratiæ quæ Beatissimæ semper Virgini astitit, cujusque nullo unquam tempore expers fuit, Totos radiavit in artus. Hoc ideò dicit, ut ostendat in ipsa

quo-

quoque seminum conceptione, quæ membrorum formandorum principium præbuit nihil fuisse contagii, quòd ingressuram in corpus animam commaculare posset. Et Brumam. Profiteri non desinit Christi Matrem non per se, sed divino adjutam numine veteris contagii non sensisse labem. Ideòque dicit divinâ gratiâ impedimentum brumam & nebulas feciſſe depulsas, id est, originale peccatum, quæ proculdubio quantùm sua ferebat natura commaculanda erat. Nec secus concluſio. Placeat igitur, inquit, ô Patres (eos enim tota hâc est allocutus oratione) placeat, inquam vobis hæc nostra sententia, utpotè religioni consentanea magis sic probata. Rationem cur placere debeat, ostendit. Nam si divinarum Prophetarum oracula studiosius perscrutari velimus, inveniemus proculdubio hanc nostram assertionem sacris Litteris magis consonam, quàm illorum, qui contrariæ sunt opinionis assertores: at ne quis id temerè dictum existimet Basileënsis Concilii Decretum perlegat, quod ab nostra assertione omninò nihil abhorret. Nuntia. Ostendit nos non rationibus tantùm è puriſſimo sacrarũ Litterarum fonte prodeuntibus sed divinis quoq; revelationibus in hujusmodi credulitatem adductos esse. Cui natura. Credibile quàm est Deus & eximia vultûs forma & membrorũ compositione decentiſſimâ cæteris mortalibus præstare voluit eamdem quoq; divinorum copia numerum universos mortales (Christum semper excipio) excellere voluisse. Perspice. In superioribus prolixiori sermone ostensum Mariam absq; veteris contagii labe fuisse conceptam, non esse hujusmodi, quin id Deus, quem cuncta posse non negamus, facilè efficere potuisse videatur. Neque enim, si id factum erit ob eam rem duo simul enunciata, quæ contradictoria dialectici vocant, vera esse oportebit. Ostensum est præterea id ipsum admodùm fuisse decens. Etsi dicat quispiam nos non posse scire, quòd Deum maximè deceat, quem multa velle, certum est, quæ nobis sunt ignota. Cùm igitur plurima, quæ se velle Deus intelligit, ignoremus; deceatq; Deum quidquid ipse vult, nihil mirum, si multa quoq; quæ Dei bonitatem decent omninò nesciamus, ac proindè nos videri temerarios, qui Deum id decuisse dicimus, quòd utrùm voluerit, necnè, incertum habemus; istis nos hoc pacto respondemus scire nos omninò nec dubitare quidquam ea velle Deum, quæ eundem præcipisse non ambigimus. Præcepit autem honorandos esse parentes, Id igitur omninò à nobis fieri vult, cumq; legislatorum id quas maximè deceat, ut servari jusserit leges pietati ac justitiæ prorsùs consentaneas easdem ipse nullo pacto transgredi velit, cur affirmare dubitemus immortalem Deum, qui vera virtus est, sine quo

juſtum ac pium poteſt eſſe nihil quique de parentibus honorandis legem piiſſimam juſtiſſimamque inſtituit, cur, inquam, aſſerere dubitemus, decuiſſe Deum, nè ſuæ legi quoquo modo contrarius eſſe vellet? Ex his ergo hanc profert argumentationem, videtur ad divinam pertinuiſſe bonitatem, eam denique decuiſſe, ut Matrem his donaret muneribus, eoque afficeret honore, quo ſub Deo major nullus cogitari poſſet, ſed quæcumque Deum decent, eadem illum velle certum eſt, cùm duo hæc ab invicem ſejungi non poſſint, voluit ergo, quidquid garriant adverſarii, Matrem ab originali præſervare peccato. Porrò ſi. Id divinam decuiſſe liberalitatem eidemque placuiſſe non negamus; nihil eſt, quod cauſemur hoc munus ſuæ Matri Deum præſtare minimè potuiſſe. Quidquid enim ratio decere oſtendit id ipſum Deus velle neceſsè eſt, qui nimirum pietatis ac juſtitiæ nunquam immemor eſſe poteſt. Sed erunt, qui dicent Deum nulli prorsùs obligatum videri, nec quid illum deceat noſtris terminis limitari poſſe, verùm argumententur illi quantùm volent, nobis ſatis eſt, quas proferimus rationes à Religione fide ac pietate proficiſci. Prætereà iſtâ ſuâ argumentatione nihil ſe tuentur; neque enim illis lucidius quàm nobis Dei immortalis voluntas perſpecta eſt, quod cùm ita ſit temerarii nimium credendi ſunt, qui id aſſerere non verentur, in quo Sancti Patres, quorum ipſi ſententias proferant, ſeſe dubitare manifeſtiſſimè docuerunt.

Belliger ut Joſue. Tradunt Theologi quidam originale peccatum ita naturæ, quam corruptam vocant, adhærere, quemadmodum homini juventus aut ſenectus adhæret, atque hoc facto fundamento ita argumentantur, quaſi ex viro & fœmina naſci poſſit nemo, quē non labes iſta coinquinet. Adhæreat ſanè naturæ quantum illi. Dum tamen intelligant maculam hanc non magis humanæ cohærere naturæ, quam Soli hoc convenit, ut certo horarum exacto numero ſeſe terris abducat noctique cedat. At qui Joſue cum Gabaonitas tutaretur, quos Rex Hieroſolimitanus ſibi ſubjugare ſtudebat; jamq; cùm nox adventaret exicium metuens Joſue Soli admirabili profectò fiducia imperavit, nè à loco diſcederet, neque tamen hoſtibus ſeſe videndum præberet. Eſt igitur Hebræis producta dies, Hoſtes verò nocte deprehensâ facilè Joſue ſeperavit. Hæc ſunt ſacræ Hiſtoriæ verba. *Non fuit ante nec poſt tam longa dies obediente Domino voci hominis.* Stetit igitur ſol præcipiente Joſue Domino, quod volente ſolito prolixius neque nocti ceſſit. Quod ipſius repugnare naturæ, quis non videt? Sic etiam ubi Deus perennem populum

pulum redimere ac liberare decrevit, rerum naturas immutavit, & legibus imperavit potentissimè. Namque homini conjunctus est Deus hominemque ac Deum Virgo concepit, eumdemque ullo absque dolore peperit, aliaque innumera facta sunt à communi naturæ lege pœnitus abhorrentia, & quoniam notissima sunt memorare nihil est opus. Ipse igitur qui certas naturæ posuit leges ipsis legibus quotiens vult, imperat, & ut illi libitum est novat atque immutat, nec operis sui cuiquam rationem reddit. Etenim satis ipsi Auctori opus constare. Statione. Translatio sumpta à navibus, quæ ubi stationem aliquam tutam nactæ fuerint, quiescunt, attamen tanta est, inquit, humana temeritas, ut ea, quæ nisi revelante Deo sciri non possunt ingenio proprio investigare nitantur; & ea quæ prorsùs ignorat discutere audeat. Quippè à nonnullis disputatum est, essetnè Deus aliquis à cujus arbitrio syderum penderet potestas, quique rerum omnium haberet curam. Nisus est hoc investigare Tullius in libro de Natura Deorum & Claudianus eâ ipsâ dubitatione mentem sibi sæpius fuisse agitatam dicit. Nembroth admirabili altitudine turrim à Nembroth in urbe Babylonia ædificatam fuisse propter quod linguarum confusiones ad operis consummationem non esse perventum nemo est, qui ignorat: Hoc ipsum contemplatoribus illis, qui divinarum operum rationem pœnitus investigare volunt, accedere dicit, nam cùm omnia meditati fuerint ipsâ rerum magnitudine attoniti decidunt, & suæ tantùm ambiguitatis argumenta relinquunt. Nec recipit, non intelligit, inquit, demens iste moderator nocturnæ oculum solem aspicere non posse, & Lucifer toto polo astra fulminare, id est, non sentit nostri intellectûs oculum divino intuendo fulgori non magis esse parem quàm obscura noctuæ lumina solis contemplando nitori. Lucifer enim, id est, divinus splendor toto polo astra fulminat, id est, Beatorum omnium intellectus longè transcendit.

Scrupus: ejus diminutivum est scrupulus, & est lapillus parvus idemque asper, unum & scrupea saxa dicimus atque acuta, cæca, occulta, arcana, secreta; Quâ Magnes, Magnes non solùm ferrum ad se trahit, verùm etiam ferro, quod attraxerit, id relinquit virtutis, ut aliud ferrum si apponatur attrahere facilè possit, magnam enim annullorum congeriem, si protuleris unumque ex his magneti apponas, æs alium post se trahet & alius rursùs alium, donec ex omnibus indissolubilis quædam catena fiat. Et quidem à magnete præcipua hæc virtus exit, cujus ratio nulli unquam mortalium comperta fuit. Quâ, subaudi vi. Echinus, piscem

hunc

hunc Echeneyda Plinius appellari dicit, ejus enim hæc ſunt verba: Eſt parvulus admodum priſcis Echenis appellatus hoc carrinis adhærente naues tardius ire credunt. Cætera apud Plinium lege, hujus enim piſcis ſivè Enichy ſivè Enicheydos, hæc eſt natura, ut quotiens navibus adhæret eas retineat nec quoquo modo progredi patiatur, etiamſi quinque pedum craſſitudine navis ſit. Brevis eſt tamen, utpotè pedalis hæc enim piſcis eſt menſura, ut Brevius niger auctor eſt. Eſt & alia in hoc animali virtus, nam piſciculus iſte ſi in ſale aſſervatus fuerit, aurum, quod in altiſſimos puteos deciderit puteo admotus ad ſe trahit, & hujus quoque rei ignota eſt ratio. Diſtinet, retinet, ut Pelagi Summo. Torpedo piſcis non ſanè magnus à torpendo nomen accepit, quippè ea eſt natura, ut piſcis, quos appetit, torpere faciat, & cùm progredi non poſſunt illis veſcitur.

Idem piſcis quamvis arena obductus & cœlatus fuerit natantes retinet & torpere facit, ita ut quamvis maximè conentur progredi, tamen nullo modo poſſunt, & hujus quoque ratio nulli prorsùs eſt comperta. Crantoris Solenſis patria fuit, Athenis Xenocratem audivit, commentarios ad triginta verſuum millia reliquiſſe dicitur. Cętera apud Diogenẽ lege. Empedocles hunc Agrigentinum fuiſſe dicunt, Pithagoram audivit, ut autem nonnullis placet Burmenidem. Carmine valuit adeò ut illum Homericum Poëtam Ariſtoteles appellat. Orator prætereà fuit optimus & medicinæ non ignarus, quod reliquum eſt apud Diogenem lege. Aragne, ea cum Pallade de lanificio certaſſe atque in Areneam converſam eſſe dicitur, id apud Ovidium lege. Nam igitur pro aranea poſuit, nec abſurdè, quippè pro hirundine quoque ſæpè Numera accipi ſolet, quo numine eſt enim aranearum tam erudita operatio, ut neſcio quid divinum præ ſe ferre videatur. Plura ſunt aranearum genera, majores in cavernis habitant. Minimi non texunt. Tertium verò genus telas texit admirabili quidem ingenio, neque enim videtur ab hominibus ſimile aliquid fieri poſſe ad capiendas muſcas, quæ circa telas, quas texunt, volitant, pendent, nectunt reticulum, quòd cùm inciderint muſcæ nulla illis relinquitur egrediendi facultas, quonam modo id fiat nec Crantor nec Empedocles nec omnis Philoſophorum turba unquam potuit explorare, ut mella de apum natura apud Virgilium, Plinium & Columnellam plurima videre licet; ſed hoc unum dixiſſe ſat fuit, veteres apum naturam uſque adeò miratos eſſe, ut illis divinæ mentis partem ineſſe crediderint. Cùm tamen nihil ſit facilius quàm aranearũ texturam & apes mella conficientes

conficientes intueri. neutrum tamen cuiquã quantumlibet etiam sapienti perspectum esse: verum id occulta quadam vi naturæ fieri curiosi indagatores fatentur, quod cùm dicunt profitentur profectò quonam modo hæc gerantur arcana se pœnitus ignorare. O cæcas! exclamat in eos, qui de cœlestibus arcanis quidquid illis in mentem venerit, ut sunt audaces pœnitusque temerarii asserere non verentur. Est enim summæ dementiæ eorum, quæ oculis cernantur ignorare rationem & earum rerum, quæ sola Dei revelatione cognosci possunt scientiam sibi vendicare. Quis nostrum. Experimur sæpè numero voluntates mutari nostras atque id quod maximè decrevimus, nescio quo pacto decidere, & aliud à nobis præter spem ac repente fieri, cujus nè minima quidem cogitatio mentem nostrã subierat. Nonnunquam ad colendum Deum admirabili rapimur fervore. Nonnunquam desides toti torpemus interdum divinarum rerum contemplatione erigimur, moxque mentis acies usque adeò hebetat, ut nè ea quidem, quæ coram oculis versantur nostris, cogitatione consequi valeamus. Cumque ea fieri minimè dubitemus, quo tamen fiant modo planè nescimus, nec est quisquam tanta peritia, qui tempus prævidere possit, quo in contemplandis rebus futurus sit ferventior tepidiorve. Nec est quisquam, qui sciat an aliud quàm ipse statuerit facturus sit, nisi post perfectum opus.

Dementis est igitur de cœlestibus arcanis sibi prorsùs incognitis asserere quidquam, cum ea, quæ in se ipso fieri sentit, numquam ita queat experiri, ut eorum ullam valeat reddere rationem. Mens cœlestis. Deum nunc primam nunc cœlestem mentem aptissimis appellat nominibus, insidiis, argumentationibus, quamvis enim adversarii multis ostendere nitantur argumentationibus MARIAM veteris contagii labe fuisse maculatã: non tamen Deum cogere possunt, ut hoc permiserit, quippè qui liberrimus est, & nullis Sillogismorum captiunculis cogi potest. Non tam nigra, sententia est, Tegi nunquam solem nube tam atra experimur, ut ejus nitor atque fulgor oculis plenè nostris subductus esse videatur. Nubium tamen nunquam tanta vis est, ut omne prorsùs solis lumen abducant.

Verùm supernarum contemplatio rerum usque adeò nostri intellectus transcendit acumen, ut nisi præcipuo Dei juvemur munere tanto negotio pares esse non possimus, nam si ea, quæ humunã traduntur arte sæpenumero tanta sunt, ut ad ea pœnetranda vires nostræ minimè sufficere posse videantur: quo pacto queso Deum immortalem, qui non artis mo-

do, verùm enim naturæ eſt Auctor, noſtro ingenio nos contemplari poſſe putabimus, aut eorum operum, quæ ab illo proficiſcuntur reddere rationem. Recutit, rejicit, deorsùm mittit, hebetat, obſtupefacit. Eſt data lex: hoc Vincentii Cavillatoris inanis argumentatio in ſuperioribus ſatis ſuperque infirmata eſt.

Sed illam: non aliâ ratione curſum attingit, niſi ut quorumdam ineptulorum mores oſtendat, à quibus garrulus iſte Vincentius ſuo teſte volumine minimè deceſſiſſe videtur, quippè in quam ſemel inciderit argumentationem eamdem millies milieſque repetere gaudet, atque id tandem efficit, ut cum magno verborum circuitu fuerit uno ſe tantùm jaculo protexiſſe videatur.

Eſt autem Vincentiana argumentatio, in quam pœnè ſemper incidit, legem hanc à Deo videri profectam, ut quicumque poſt Adam ex viri fœminæque concubitu naſceretur primi contagii maculam evadere nullo modo poſſet, cui tandem argumentationi noſter Gaguinus reſpondet nullam tantam eſſe legem, quæ non mutari poſſit, aut aliquo pacto ſuſpendi quotiens pietas ita fieri debere perſuadet. Decuit autem filium omni erga Genitricem uti pietate. Non eſt igitur, quòd miremur à communi lege exemptam eſſe matrem quam tanto donari debere honore pietas ſanctiſſima perſuadebat. Nec noſtrum. Temerarios eſſe oſtendit, qui nihil affirmare metuunt, quod nec divinis eruditi revelationibus, nec ſacrarum litterarum teſtimonio certiores facti didicerunt. Noſtrum enim eſt, quæ Deum egiſſe ſcimus, eadem venerari atque mirari, quæque facere jubemur libenter ſequi, quamvis etiam ignoremus quânam ratione id facere jubeamur. Jubemur autem in Sanctam Eccleſiam credere, quæ cùm abſque ulla controverſia virgineæ Conceptionis feſtivitatem venerandam eſſe arbitretur illi libenter obtemperare debemus, neque rationem, cur ita ſe habeat, quod credere jubemur nos inveſtigare velle decet, cum certò ſciamus quidquid fide amplectimur, id eſſe hujuſmodi, ut evidenti demonſtratione oſtendi non poſſit. Sunt in ſubſidiis. Sacroſancta Baſileënſis Synodus univerſalem Eccleſiam repreſentans id inſtituit atque decrevit, ut eorum doctrina, qui Beatiſſimæ Virginis Conceptionem puram atque immaculatam venerarentur fidelibus omnibus, veluti pia religioſa ſacriſque litteris omninò conſentanea, amplectenda foret, hujus autem Decreti perfidiſſimus iſte Vincentius nullam omninò facit mentionem.

Ideoque noſter Gaguinus Baſileënſis Concilii Patres in ſubſidiis eſſe dicit,

dicit, adeò ut nullâ fugâ, elabi poſſit. Rectiſſimèque eam cohortem ferire doctam eſſe fatetur, Crudeliſſimo namque excommunicationis gladio percutiuntur quicumque tanti decreta Concilii (quæ non ſecus accipienda ſunt quàm ſi ab univerſa Eccleſia profecta forent) contemnere non erubeſcunt.

Sed priùs. Cùm à Scipione devicta narratur Carthago aut ab Hannibale vexata plurimum fuiſſe dicitur Italia, id tantâ amplectimur fide, ut eum qui fortè negaverit inſanum eſſe conclamemus. Cùm igitur veterum Hiſtoricorum ſcriptis, qui à noſtra Religione prorsùs abfuere tantùm habeamus fidei, peſſimum eſt profectò divinis revelationibus, quibus falli nemo poteſt fidem nos habere nolle: Revelata namque ab immortali Deo veritate nihil certius, clarius atque illuſtrius deſiderari poſſe videtur.

Dicit igitur Auctor hujus opuſculi ſe Vincentianis oculis tantum ſplendidæ nitidæque veritatis objecturum, ut ex lippo cæcus omninò fiat. Lippus. Lippitudo oculorum morbus eſt. Quippè lippere dicuntur oculi, cùm humorem craſſum ſtillant, qui viſui plurimum obeſt; rectè igitur Vincentium lippum appellavit. Nam niſi mentis oculos morbidos haberet, nunquam auſus eſſet in tantam erumpere temeritatem.

Extremâ gente Britannos. Intelligit, qui in extremo habitant orbe Sævo turbine verſus ad oſtendendam maris tempeſtatem accomodatiſſimus, ſono namque ventorum atque aquarum fremitum imitatur, Acta, ſubaudi Maria, Tali ſubaudi verbis à pio corde profectis. Conceptio: non ſanctificatio, ut intelligat Vincentius & quicumque illius adhærent opinioni, qui in tam venerandæ ſolemnitatis cultores fruſtrà latrant Conceptionem eo die non ſanctificationem coli. Quid tandem. plurima poterant adduci miracula, quibus tandem perſuaſi ſunt fideles, ut veneranda ſacratiſſimæ Conceptionis feſta colerent atq; celebrarent.

Sed hæc duo in præſentia ſufficere poſſunt, quæ tam ſunt probata tamque manifeſta, ut ea, niſi qui perfidus eſt totus, neganda nemo putet. Sed interim Adverſarii aſtutas argumentatiunculas ratione pulcherima frangit atque enervat, uteumque ſe res habet, nihil eſt, quòd in nos invehatur fratereulus ille, quippè qui peccare non poſſumus ſolemnitatem toti tam probatam Eccleſiæ celebrantes.

Quid fidei. Nihil procul dubio faciunus, quòd fidei contrarium minuſvè conſentaneum cenſeri poſſit, cùm lucem ſequamur pietatis, id eſt,

cùm colendi Dei atque honorandæ Virginis gratiâ (quæ vera nimirum eſt pietas) Conceptionis illius feſta libenter veneramur. Creditur. Cùm humanum genus à morte Deus liberare decrevit, nova profectò fecit omnia. Nam quo tempore natus eſt Chriſtus pax univerſo fuit orbi, eademque prolixior, quàm olim aliquando conſpecta fuerat.

Novum igitur hoc fuit. Novum quoque de Virgine Deum naſci, Novum peccatori populo clauſas cœleſti regni concludere fores. Novum corpus ſanguinique proprium ſub panis vinique figura recondere fidelibuſque ſumendum relinquere. Sed quid multa commemorem, cùm nova Chriſtus fecerit omnia?

Credimus igitur haud abſurdè eum, qui cuncta novaturus venit in mundum, novam quoque creaſſe Genitricem, cujus videlicet Conceptio præter communem mortalium legem omni maculâ fœceque careret, & tantùm eſt non abſque Summa Dei immortalis laude glorioſiſſimæ Virginis celebratur Conceptio. Illi namque Religioſiſſimi quique ingentes agunt gratias, quòd Matrem tantò donare munere ſit dignatus. Quodque candidiſſimum ſibi Thalamum, in quam aliquando ſeſe recepturus eſſet, parare voluerit. Virginis itaque dum celebramus feſta, Nati quoque ſacras veneramur aras, atque hoc ipſum ſanctum eſſe, nemo rectè negaverit.

Pium eſt, prætereà ſigna credere Auctore Deo facta, quibus tandem fidelibus perſuaſum, tam ſanctæ Conceptionis feſta venerari debere. Ipſaque jam lacte: cum ea, quæ ab Apoſtolis olim dicebantur perfidi atque obſtinati Judæi, utpotè nefaria pœnituſque ſacrilega deteſtarentur, Gamaliel vir multâ ſanctitate conſpicuus eos hujuſmodi eſt affatus oratione.

Si harum rerum Spiritus Sanctus Auctor eſt, nulla profectò poterunt ratione diſſolvi. Sin autem hæc hominum tantùm ſunt opera, ea brevi peritura eſſe certiſſimum habete. Eâdem quoq; ratione argumentari poſſumus, hujus tam ſanctæ ſolemnitatis Spiritum Sanctum Auctorem videri: quippè ab eo tempore, quo inſtitui cœpit, creſcere non deſtitit, & nunc demum optimorum quorumque conſenſus in ea convenit obſervatione. Quòd profectò minimè fieret, ſi hujus rei Spiritus Sanctus Auctor non eſſet.

Nec ſineret, optima eſt hæc ratio: namque enim credendum eſt hactenus permiſſurum fuiſſe Deum, ut innumera populi multitudo conceptum

ceptum impurum maculatumque, utpotè candidum totum atque omni fœce vacantem ineptiſſimè celebrare.

Quod ſi fortè decipimur, ab ipſo nimirum Deo decipi videmur, quem tantæ celebritatis Auctorem fuiſſe credimus. Quo fit, ut nihil adverſariis relinquatur, quod in impios feſtivitatis hujus cultores jaculari poſſe videantur. Nunc venies. Ex his quæ ſuperius dicta ſunt ſatis apparet huic fidelium cultui temerè reſiſtere poſſe neminem, nec ea citra dubitationem omnem affirmare, quæ Sanctis Patribus dubia fuiſſe perſpicimus, niſi idem hæreticus, & vocari & credi velit. Vincentium igitur hæreticum non ineptè vocat, dignum profectò ob id ipſum, quem cum ſuis libris fulmen interimat. Nulla Chori veteris Poëtarum mos eſt Muſas & Deos ab initio invocare, & permiſcere operi ſuſcepto fabulas & figmenta. Hic ſe Gaguinus, qui hujuſmodi deliramenta non eſt ſecutus excuſat, quæ puritati Chriſtianæ Religionis tam inepta ſunt, quàm ipſius candido Virginis Conceptui originalis labes adverſatur. Prima per ignotum, dicit ſe alium neſcire, qui de Virginis Conceptione quæſtionem verſibus attigerit, proinde excuſatione dignum eſſe, ſi minùs polite quicquam ſcripſerit. Vix prima. Nam qui ager ad culturam primum novatur, non una ſatis agricolatione expurgatur. Unde quod tuber & minùs explanatum eſt. Sequens Traha; id eſt, futurus ſcriptor, qui eamdem tractabit quæſtionem, terſius omnia dolabit. Eſt enim traha Auctore Servio genus vehiculi. Cœpta tibi, Lauro coronari Poëtas certum eſt, qui honos à multis olim eſt expetitus, quem non expectare ſe Gaguinus aſſeverat. Sed ſatis eſſe ſi opuſculum à ſe ad honorem Virginis Mariæ inchoatum gratum ipſi Dei Genitrici eſſe intelligat.

FINIS

De mundiſſimo Virginis MARIÆ Conceptu per Robertum Gaguinum adverſùs Vincentium de Caſtro-Novo, cum Commentario Caroli Ferdinandi viri eloquentis.

Pariſiis 1409.

SENTENTIA ILLUSTRISSIMI Domini Cardinalis Bellarmini, in Sacra Congregatione aliorum Illuſtriſsimor. Cardinalium S. Inquiſitionis coram Paulo V. Pont. Max. pronunciata

DE CONCEPTIONE IMMACULATA

B. Virginis MARIÆ ultimo die Auguſti Anni 1617. poſt quam Congregationem editum eſt Decretum ejuſdem Congreationis approbatum ab eodem Papa 12. Septembris ejuſdem Anni.

Ex Autographo ejuſdem Cardinalis.

ROBERTUS BELLARMINUS

De Conceptione Beatæ Virginis duo dicam:
1. An ſit definibilis quæſtio de Conceptione.
2. An expediat nunc illam definire.

PRima propoſitio. Non poteſt definiri ſententiam communiorem (Nempè quòd Beata Virgo fuerit ſine originali concepta) eſſe hæreticam. Probatur, quia Eccleſia ſive Sedes Apoſtolica definivit contrarium. Sixtus enim IV. in Extravagante, Grave nimis. expreſsè definivit eos, qui dicunt, hæreticum eſſe dicere, B. Virginem ſine peccato originali eſſe con-

conceptam, falsum dicere, & excommunicavit illos excommunicatione reservata Summo Pontifici.

Potest confirmari hæc definitio ex eo, quòd multò ante Sixti tempora quidam Joannes de Monteſono prædicaverat eſſe hæreticam ſententiam, dicere Beatam Virginem conceptam fuiſſe ſine peccato originali, & hæc ejus ſententia fuit reprobata ab Academia Pariſienſi, ut patet ex ſcripto adjuncto ad Magiſtrum, & eamdem reprobavit Papa Clemens VII. qui in ſchiſmate ſedebat Avenione, ut teſtatur Robertus Gaguinus lib. 9. hiſt. Francorum, quamvis ipſe erret in nomine, vocando Innocentium, qui verè dicebatur Clemens.

Iſta definitio Clementis & ſcholæ Pariſienſis habet aliquam vim, ſed non plenam, ideò nos nitimur Decretali Sixti IV. indubitanter Pontificis, & quæ eſt in corpore Juris. Hinc ſequitur, errare illos, qui dicunt ſententiam communem eſſe contra Scripturam, & Patres; quod enim Sedes Apoſtolica definivit, non poteſt eſſe contra Scripturam, & Patres; ſed oportet eos, qui hæc dicunt non intelligere Scripturam, nec Patres. Et nos habemus etiam multos Patres.

Secunda poprositio: Non poteſt definiri ſententiam contrariam (nempè quòd Beata Virgo fuerit in originali concepta) eſſe hæreticam hanc teneo probabilem, non præjudicans aliorum judicio. Probatur, quia fides Catholica, cui contraria eſt hæreſis, dependet à revelatione facta Eccleſiæ per Prophetas & Apoſtolos, ſive per Scripturam, ſive per traditionem, ſive per declarationem Scripturæ ab Eccleſia in Conciliis aut communi ſenſu omnium Patrum; ſed in Scripturis nihil habemus, nec in traditione de Conceptione Virginis Immaculatæ in contrarium aliquid habemus, ſaltem in genere in Scripturis, & tamen hoc non ſufficit, ut diximus.

Tertia Propoſitio. Non poteſt definiri quòd ſententia communior non ſit tenenda, ut pia, ſed ab omnibus rejicienda, ut temeraria & ſcandaloſa. Probatur, quia hoc eſſet dicere, quòd Sedes Apoſtolica erraverit in approbando officio Conceptionis, & tota Eccleſia erraverit in eo recipiendo, quòd certè falſiſſimum & erroneum eſt. Nec poteſt reſponderi, quòd in officio Conceptionis non approbatur conceptio corporalis immaculata, ſed ſanctificatio in utero poſt animationem: Nam Sixtus IV. qui approbavit officium, declaravit animum ſuum tum in Extravag Grave nimis. quæ non eſt in Corpore juris; tum in approbando officio Leonardi de Nogarolis, in cujus collecta dicitur, Virginem per merita Chriſti

Christi prævisa præservatam ab omni macula. Prætereà in Responsorio nono dicitur, Sancta Conceptio, at non est Conceptio, nisi in illo primo instanti, in quo infusa est anima corpori, in quo cœpit esse in rerum natura persona integra Virginis; alioquin si accipiatur Conceptio pro sanctificatione post animationem etiam Jeremias & Joannes Baptista dicentur concepti sine peccato originali. Denique communis sensus fidelium est celebrari Conceptionem solius Virginis, quia ipsa sola verè concepta est sine peccato originali.

At, inquiunt, Pius V. mutavit officium proprium Conceptionis, & jussit fieri sicut de Nativitate. Respondeo; Pius V. non sustulit officium proprium Conceptionis (adhuc enim à Fratribus Minoribus recitatur) sed ad tollendam multiplicitatem officiorum in Ecclesia Romana jussit fieri sicut de Nativitate mutato nomine, ac proinde approbavit & voluit esse æquale officio Nativitatis. Adde quod si hoc argumentum valeret, sequeretur, sublatum esse officium Visitationis & Præsentationis.

Quarta Propositio. Potest definiri Conceptionem Virginis sine peccato originali esse accipiendam ab omnibus fidelibus, ut piam & sanctam, ita ut nulli deinceps liceat contrarium sentire vel dicere sine temeritate, & scandalo, & suspicione hæresis. Probatur ratione ducta à Scriptura & Patribus generatim. Nam Scripturæ loca pro se sumpta non extant clara, & Patres inveniuntur varii, cum & nos & Adversarii multa loca adducant. Sic igitur formo rationem. Scriptura clarè testatur Beatam Virginem esse veram Dei Matrem Lucæ 2. *Ecce concipies & paries, &c.* Patres multi dicunt & multi contradicunt Beatæ Virgini, quia Mater Dei est, convenire dignitatem & eminentiam sanctitatis & gratiæ super omnem puram creaturam. Chrysostomus in Lythurgia, & Theodoretus in Cantica dicunt Beatam Virginem esse puriorem & honoratiorem, quàm Cherubini & Seraphini. S. Greg. in 1. cap. lib. Reg. dicit B. Virginem esse Montem in vertice montium, quia merita sua erexit super omnes Sanctos & super omnes Angelos, &c. S. Anselmus in lib. de Conceptu Virginali cap. 18. Decuit, inquit, Virginem eâ puritate nitere, quâ major sub Deo nequit intelligi. S. Augustinus de Natura & Gratia cap. 36. dicit: Cùm de peccatis agitur, se nolle de Beata Virgine ullam habere quæstionem. Denique nullus negat B. Virgini nullum privilegium negandum modo sit possibile puræ creaturæ, & non sit contra privilegia Christi. Certum est autem possibile esse puræ creaturæ habere gratiam in ipso primo instanti creationis, id enim contigit Angelis, in quibus

bus Deus fuit simul condens naturam & largiens gratiam, ut dicit S. Augustinus lib. 12. de Civitate cap. 1. & idem dicunt communiter Scholastici de Adam & Eva. Prætereà possibile est puræ creaturæ carere omni peccato. Tales sunt omnes Angeli boni, ergo debet hoc tribui Virgini Deiparæ, quæ est purior omnibus Angelis saltem quoad remotionem à culpa. Vera enim puritas dicit duo remotionem à peccato & approximationem ad Deum, qui est infinita puritas.

At, inquiunt, hoc est contra Scripturam Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt.*

Respondeo, fatemur Virginem peccasse in Adam, quando erat in lumbis Adæ. & ut loquitur Augustinus lib. 1. de Baptismo parvulorum cap. 10. quando omnes in illo unus homo fuerunt, non quando extitit in persona sua. Et quia peccavit in Adam, in se quoque peccatum habuisset, nisi per gratiam præventa fuisset.

At, inquiunt, non erit Christus Redemptor omnium, si Beata Virgo non habuit peccatum originale, quod est contra Paulum 2. Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est.*

Respondeo Beatam Virginem esse mortuam morte peccati de jure, non de facto, quo debuit mori, sed præservata est ex merito Christi, ac proinde liberata est nobiliori modo: quomodo ille qui damnatus est ad mortem & antequam perveniat, ad patibulum, liberatur; tales locutiones sunt in Scriptura Gen. 2. *Quâcumque horâ comederis, morte morieris*; id est, de jure, non de facto; ex Psalmo 54. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, ideò eruisti, quia fecisti, ut non caderem in infernum inferiorem, & ad Rom. 8. *Corpus quidem propter peccatum mortuum est*, id est, morti obnoxium. Potest addi alia ratio à simili; nam instituendo Nativitatem, exempla talis definitionis, Præservationem & Assumptionem celebrari sine licentia sentiendi contrarium, definita sunt ista mysteria, & temerarius esset, qui negaret, ergo potest definiri etiam Conceptio; tollendo licentiam concessam, nulla enim est ratio cur potuerint illa definiri & hoc non possit, nam de illis nullum habemus testimonium Scripturæ sacræ, nec perpetuam traditionem nec testimonia Patrum, nisi aliqua pauca & temporum posteriorum.

De Secundo.

Dico expedire definiri, & id nunc fieri, sed quia objici solet, quòd in actis Concilii legitur PP. Tridentinos tractasse de hac re, & tamen

men noluisse definire, & in Concilio Florentino videtur petita definitio à Joanne de Turrecremata postea Cardinali, & in Concilio Lateranensi sub Leone X. à Cardinali Cajetano; & tamen non fuit facta, ego puto tractatum esse tunc de definitione fidei, de qua ego non tracto, sed si fortè non placet nunc illa formalis, saltem deberet fieri præceptum omnibus Ecclesiis, Sæcularibus ac Regularibus, ut recitarent officium de Conceptione quomodo recitat Ecclesia; sic enim sine definitione haberetur intentum. Quod autem vel definitio vel hoc præceptum sit hoc tempore expediens vel necessarium probatur. Primò, quia remedium aliquod ad tollenda scandala est necessarium, & nullum efficacius hoc. Quòd sit necessarium patet, quia Ecclesia est unum corpus, habet unum caput, unum spiritum, & tamen in ipsis pulpitis in hac materia, unus dicit sic, alius non, quasi Ecclesia sit monstrum, & cum duabus linguis, &c.

Et quod nullum sit remedium efficacius patet, nam in Gallia & Germania, quia ibi accepta est definitio Concilii Basileënsis nulla fuit ab eo tempore contentio, ut etiam videmus accidisse in multis controversiis, quæ sunt definitæ in Concilio Tridentino de habitibus virtutum & gratia, de certitudine gratiæ, de Matrimonio clandestino & aliis, quæ statim quieverunt. At in Italia & Hispania sunt continuæ rixæ de Conceptione, quia res non est definita.

Secundò, quia nullum est remedium faciliùs, nam in antiquis temporibus litigabat Provincia cum Provinciis. Primùm cœpit Anglia celebrare hoc festum, sed opposuit se Sassia, ut patet ex Epistolis Petri de Cellis, & Nicolai Monachi S. Albani. Deindè Gallia Lugduni accepit hoc festum, & opposuit se S. Bern. ex Burgundia.

Objicies, quòd Romana Ecclesia non celebrat, quòd etiam fuit argumentum S. Thomæ, quòd, videlicet, Ecclesia festum hoc tolerabat solùm, sed non celebrabat: at nunc Romana Ecclesia celebrat, & omnes Ecclesiæ mundi illam sequuntur, nec solùm Ecclesia latina, sed etiam Græca celebrat, ut patet ex Monaconone Photii, & ex Monologio Græcorum, nec solùm celebrat tota Ecclesia hoc festum, sed etiam desiderant definiri illi, apud quos non est controversia definita, ut Hispani & Itali. Adde, quòd nisi Sixtus IV. dedisset licentiam aliter opinandi, jam esset quæstio definita: nam ut dicit Sanctus Augustinus in Epist. 118. Si quid horum per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est. Itaque facillima nunc est definitio,

quia

quia solùm requiritur & desideratur, ut tollatur illa licentia: si enim illa abesset, non esset opùs definitione, quia per se res esset definita.

Tertiò, quia hoc tempore videtur necessaria definitio, vel præceptum, quod dixi, quia nunquam licentia loquendi progressa est ultrà terminos modestiæ, ut modò si vera sint, quæ informationibus missa sunt ex Hispania, quia in secunda informatione habemus dixisse aliquos debere inquisitores examinare opinionem, quæ dicitur pia; per eamdem viam intraverunt Lutherus & Calvinus.

In quinta habetur aliquos dixisse, quòd si Papa definiret opinionem piam, adhuc illa esset falsa & mendacium. In decima octava habetur aliquos dixisse Papam non potuisse concedere, ut celebraretur Festum Conceptionis nec dare indulgentias pro tali Festo, & quod est facere idololatrare, & quod dicere Virginem fuisse conceptam sine peccato est hæresis.

In vigesima secunda habetur aliquos dixisse se velle salvari fide Ecclesiæ veteris, quia quod nunc docetur de Conceptione Virginis est hæresis; ecce quam latè portam aperuit illa licentia, quæ si non fuisset data nihil horum audiremus. Proindè claudenda est hæc porta tollendo licentiam.

Quartò, quia hoc tempore Deus invitat miraculis de infante canente laudes Conceptionis, de Navibus salvis exceptâ illâ, quæ non habuit signum Conceptionis, de Episcopo morte repentinâ defuncto in Indiis.

Quintò, quia Rex Catholicus, & tota Hispania summè hoc desiderat, nec ulli fiet res ingrata exceptis paucis Religiosis, qui auditâ definitione omninò quiescent.

Sextò & ultimò, quia nullum aliud apparet remedium sufficiens, nisi fortè imponatur æternum silentium uni parti, vel utrique: at hoc est valdè inconveniens & non durabile, nam si imponatur silentium uni parti fiet illi injuria, si res non definiatur & semper poterit conqueri & renovare litem apud alium Pontificem, & semper observaret verba alterius partis, & cavillaretur. Si imponatur silentium utrique parti videbitur tacitè utraque pars condemnata, & scandalum erit magnum, quod non liceat prædicare id quod publicè celebratur. Restat ergo, ut una pars definiatur vel jubeatur, ut magis pia & congruens officio Ecclesiastico ab omnibus celebretur, & altera pars supprimatur, tunc enim pars non reclamabit, sed libenter obediet.

Sed reſpondendum eſt argumento Cajetani, quo nunc multi utuntur.

SS. PP. omnes communi conſenſu tenent Beatam Virginem conceptam eſſe in peccato originali, at non eſt tutum relinquere ſententiam omnium Sanctorum Patrum, qui fueruut Magiſtri fidei noſtræ, ergo ſententia de Immaculata Conceptione non eſt tuta, nec tenenda. Majorem, & minorem probat auctoritate Sancti Bonaventuræ, qui in 3. Sentent. diſtinct. 3. inter alia ſic loquitur; communiter SS. PP. ſolùm excipiunt Chriſtum ab illa generalitate, quâ dicitur: *Omnes peccaverunt in Adam*; nullum demùm invenitur dixiſſe Virginem MARIAM fuiſſe ab originali immunem. Ad hoc ego reſpondeo primò, non poſſe fieri, ut omnes Sancti fuerint nobis contrarii, nam nunc noſtra Eccleſia erraret, & Sixtus IV. erraſſet, at Eccleſia nunquam errat, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, & contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt, nec Pontifex errat dum Eccleſiam docet, cùm Chriſtus pro illo oraverit, ut non deficiat fides ejus.

Secundò dico, Sanctum Bonaventuram nullum Patrem ſanctum citaſſe, niſi Sanctum Bernardum, & Sanctum Anſelmum, nec poterat citare, quia pauciſſimos noverant illo tempora ſcholaſtici, qui Magiſtrum ſequebantur, qui vix alios citat quam Auguſtinum, Ambroſium & Hilarium. Itaque verba illa Sancti Bonaventuræ communiter Sancti excipiunt ſolum Chriſtum, intelliguntur de paucis illis, quos noverant tunc Scholaſticis.

Tertiò dico, quòd verba eadem Bonaventuræ ſatis indicant eum loqui de Sanctis, qui non expreſsè loquuntur de Beata Virgine, ſed ſolùm in genere dicunt ſolum excipi Chriſtum à peccato originis, quod eſt verum de illis, qui ex vi conceptionis concipiuntur ſine originali peccato: ſed inde non ſequitur, excipi non debere Virginem, quæ non ex vi conceptionis, ſed ex gratia Chriſti præſervata fuit; itaquè abſolutè negamus omnes Sanctos Antiquos eſſe contra noſtram ſententiam, imò vix unus, aut alter invenietur, & nos contra habemus multos in contrarium. Ego vidi quos citat Joannes de Turrecremata, & quos Joannes Capreolus, & quos Cardinalis Cajetanus, & vix ullum locum inveni, qui convincat. Cardinalis Cajetanus, qui eſt ultimus adducit decem Patres & quinque ſcholaſticos, & de Patribus dicit ſe diſtinctè poſuiſſe nomina, & loca, & ipſa verba: excutiam breviter loca decem Patrum.

Primò affert Sanctum Auguſtinum in Pſal. 34. Adam eſt mortuus per pecca-

peccatum, MARIA ex Adam mortua eſt propter peccatum, caro Domini ex MARIA mortua eſt propter delenda peccata. Hîc deeſt unum verbum; dicit enim Sanctus Auguſtinus MARIA eſt mortua propter peccatum Adæ, quia, videlicet, non propter ſuum peccatum ſibi inhærens, ſed propter peccatum Adæ, ex quo omnes morti addicti ſumus etiam poſt peccatum deletum.

Alium locum adducit ex lib. 2. de Baptiſmo parvulorum capit. 24. Solus, inquit, ille homo factus manens Deus peccatum nullum unquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, ſolus ille peccatum nunquam habuit ex vi Conceptionis, quia fuit conceptus de Spiritu ſancto, ſed caro Virginis dici poteſt, caro peccati, quia fuit obnoxia peccato ex natura ſua, ſed non obnoxia ex gratia. Nota hunc locum intelligi de peccatis actualibus.

Secundò, Sanctus Ambroſius Serm. 6. in Pſalm. 118. Venit Dominus JESUS, & in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia militiam virtutis exercuit. Illud, in Matre, additum eſt, nec potuit ibi eſſe, quia non loquitur Sanctus Ambroſius de B. Virgine, ſed de virginibus Sanctimonialibus.

Tertiò, Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Matthæum: Quamvis Chriſtus non eſſet peccator, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit. Hic locus non invenitur, nec poteſt inveniri; quia blaſphemia eſſet dicere Beatam Virginem fuiſſe peccatricem. Peccatrix enim dicitur, quæ peccata actualia facit. Videtur locus deſumptus ex Homil. 20. ubi dicitur Chriſtum ex peccatricibus ortum habere, videlicèt, Raab, Thamas, Bethſabee, quæ habentur in Genealogia.

Quartò, S. Euſeb. Emiſſen. Serm. 20. de Nativitate Domini à peccati originalis nexu nullus immunis exiſtit, nec ipſa Genitrix Redemptoris. Non fuit ullus talis Sanctus, Euſebius Emiſſenus fuit Avianus: iſte Sermo eſt Auctoris incerti, & eſt corruptus, quia deeſt, per ſe: ſic enim legitur in Auctore: A peccati originalis nexu nullus per ſe immunis exiſtit, nec ipſa Genitrix Redemptoris fatemur non eſſe immunem per ſe, &c.

Quintò, S. Remigius in Pſal. 21. B. Virgo fuit ob omni macula peccati mundata, ut ex ea conciperetur ſine peccato homo Chriſtus JESUS. Hic non eſt Sanctus Remigius Epiſcopus Remenſis, ſed eſt Remigius Monachus S. Benedicti, & verba ejus debent intelligi de mundatione ab omni mala cogitatione pro eo tempore, quo Virgo concepit Chriſtum; deſumpta ſunt enim ex Beda.

Sextò, S. Maximus Sermone de Assumptione: B. Virgo fuit in utero Matris sanctificata ab omni contagione originalis culpæ antequam nasceretur. Hic Sermo supposititius est, nam hic Sermo non invenitur inter Sermones Maximi Romæ impressos, nec ponitur in numero Sermonum S. Maximi à Genadio, nec tempore S. Maximi celebrabatur festum Assumptionis, quòd multò posteà incepit.

Septimò, S. Beda in Homil. super *Missus est*, in illud: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Spiritus superveniens in Virginem ab omni vitiorum sorde castificavit. Loquitur Beda de conceptione Christi, & dicit in ea superveniisse Spiritum Sanctum in Virginem, ut nullâ carnali cogitatione sordidaretur: non loquitur de peccato originali, quo secundùm omnes illo tempore carebat.

Octavò, S. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 16. Virgo in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam Mater sua. Loquitur de initio Conceptionis, in quo concipitur caro sive embrio. Explicat auctor in lib. de Conceptu virginali cap. 7. dicit contrahi peccatum originale, dum incipit caro formari, quia tunc acquirit debitum contrahendi peccatum, quando infunditur anima, & si hoc non ita esset, Auctor pugnaret secum, quando dicit ibidem cap. 8. decuisse Virginem eâ puritate nitere, quâ major sub Deo nequit intelligi.

Nonò, S. Bernardus in Epist. 174. ad Lugdunenses B. Virgo post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse creditur, quæ excluso peccato sanctam fecerit Nativitatem non Conceptionem. Posset exponi de initio conceptionis carnis, ut diximus de Anselmo, nam paulò infrà dicit: An fortè inter amplexus maritales sanctitas se immiscuit, ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Sed audiamus verba Sancti Bernardi in fine hujus Epistolæ: Quæ, inquit, dixi, absque præjudicio dicta sint, sanius sapientis Romanæ præsertim Ecclesiæ, cujus auctoritati atque examini totum hoc, & vetera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio paratus judicio emendare.

Decimò, Sanctus Erardus Episcopus & Martyr, ô fœlix puella, &c. Sed istum Sanctum non habemus in Martyrologio, nec scimus quis sit. Omitto reliquos, quia non fuerunt ante ortam quæstionem, sed posteà, & Scholastici, non Patres.

Idem Cajetanus capitulo quinto adducit Decretum Concilii Florentini, in quo declaratum est contra Decretum Concilii Basileën-

sis

ſis ſolum Chriſtum fuiſſe exemptum à peccato originali. Reſpondeo in Tomis Conciliorum antiquorum non invenitur tale Decretum, ſed nuper poſitum eſt in Bullario ſub nomine Bullæ Eugenii Quarti contra Jacobitas, ſed tempora non cohærent. Nam Concilium Florentinum finitum eſt annno 1439. & hæc Bulla dicitur facta anno 1442. Præterea non dicitur in Decreto illo, quòd ſolus Chriſtus fuerit exemptus à peccato originali, ſed quòd ſolus Chriſtus ſuâ morte proſtravit hoſtem humani generis: Sic ille, die ultimâ Auguſti 1617.

SERMO

SERMO ANONYMUS DE CONCEPTIONE B. MARIÆ,

REPERTUS IN BIBLIOTHECA HUENSI PP. Cruciferorum Diœceſis Leodienſis, qui creditur eſſe Jacobi de Lauſana, Ordinis Prædicatorum. Vide Radium 132. col. 1231.

Adſit ad inceptum Sancta MARIA meum de Conceptione B. MARIÆ Virginis.

IPſa eſt mulier, *quam præparavit Dominus filio Domini mei*; ſcribitur Geneſis 24. Clariſſimi Fratres, nos videmus, quòd tempore vernali, cùm alta cœli ſol incipit aſcendere, & in terris effundere radiorum ſuorum fœcundam luminoſitatē, tunc vegetalia cuncta hyemali glacie concipiunt revireſcere, animantia quoque & volatilia in antris & ſpecubus ac diverſis quibuſque latibulis abſcondita ad tantæ lucis novitatem reſpirare incipiunt, ac vires reſumere & cordis lætitiam oſtendere cantibus vel plauſibus lætabundis, hominum quoque genus, ſenes cum

cum junioribus ejus in adventu exhilarantur, & tota ſuperficies terræ decore verſicolore induitur, & applaudit ac congratulatur. Simili modo accidit omnibus Deum purâ mente amantibus, cum ſole amicta Virgo fœcunda, cœli Regina, Reginarum Imperatrix ut ſol, fines cordis noſtri ingreditur, & memoria Sanctiſſimæ Conceptionis ejus, cujus hodie feſtivitate lætamur, mentibus noſtris rutilantibus infunditur. Continuò namque duritia omnis ad tantæ lucis immenſitatem reſolvitur, arida cuncta rore cœleſtis gratiæ irrigantur, fugantur tenebræ, lumen novum exoritur, & gaudiorum nobis materia immenſa cumulatur. Nam quæ poteſt, quæſo, major eſſe ſpiritualium gaudiorum materia, quàm noſtræ redemptionis arrham ſuſcepiſſe, quæ pravæ prævaricationis delictum ablueret, maledictionem Evæ abſtergeret, placaret iram diſtricti judicis, aperiret portam cœli, & captivis conferret libertatem. In ipſa enim omnis gratia vitæ & veritatis, in ipſa omnis ſpes vitæ & virtutis. Propter quod poſſumus dicere, quòd *venerunt nobis omnia bona pariter cum illa.* Tibi ergo, ô Ipes noſtra, gaudium & lætitia cordis noſtri, pro divina gratia nobis per te impetranda, quatenus te qualicumque Sermone laudare poſſimus, in vocem ſalutationis prorumpimus, teque ex intimo cordis, cum gemitu & lachrymis, & devotione cordis, cum genuflexione affectuoſiſſimè Matrem gratiæ ſalutamus, dicentes mente piâ, *Ave MARIA gratiâ plena Dominus tecum, &c. Ipſa eſt mulier, quam præparavit Dominus, &c.* ut ſcribitur ibi ſuprà.

Chariſſimi Fratres, ſicut videmus, hæreditas amiſſa propter ferale factum parentum, quandoque redit ad poſteros per Matrimonium; quando videlicet Dominus ad quem hæreditas devoluta eſt, tantùm compatitur & condeſcendit genere adhæredato, quòd filium ſuum legitimum bonorum ſuorum hæredem, per Matrimonium copulat alicui puellæ.

Similiter eſt nobiſcum. Nam tota poſteritas generis humani perdidit hæreditatem paradiſi, propter inobedientiam primorum parentum, quæ ad omnes poſteros ſe extendit. Ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Iſta fuit cauſa quare diabolus primos parentes, ſcilicet Adam & Evam, infecit veneno inobedientiæ, ut, ſcilicet per eos quaſi per ſtipites, ad poſteros, quaſi ad ramos venenum peccati diffunderetur. Legitur de quodam ſerpente, qui dicitur Salamandra, quòd inficit ſuo veneno totum ſtipitem ſeu truncum arboris: quo facto, venenum ad omnes ramos arboris ſe diffundit. Similiter modò per primos parentes, quaſi per truncos venenum peccati inobedientiæ, quòd ſerpens inferni ipſis

propinavit, ad nos tamquam ad ramos diffusum est. Ad Roman. 6. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Sic ergo peccatum primorum parentum factum fuit commune toti generi humano, ita debuit esse & pœna. Pœna inter cæteras fuit, scilicet ejectio de paradiso; Genes. *Emisit eum de paradiso.* Ista fuit pœna communis toti generi, scilicet amissio hæreditatis paradisi: ad quam nemo potuit reverti, quousque Deus Pater compassus humano generi exuli & exhæredato, puellam quamdam de illo genere, scilicet Beatissimam Virginem Mariam præparavit; cui Filium suum, quem constituit hæredem universorum (Hebræ. 1.) in matrimonium copularet, ut sic hæreditas perdita, ad filios puellæ rediret. itaque per ipsam gloriosam Virginem Mariam, de qua loquimur, est nobis hæreditas cœlestis restituta, ut quilibet ei dicere possit illud Psalm. *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Idcircò, Charissimi, hodiernæ diei sacratissima festivitas divinis laudibus & obsequiis nos admonet intentos existere: in qua Auctor mirabilium Deus æternæ prædestinationis arcanum promissionis suæ veritatem per Beatissimam Mariam Virginem, in Benedicta sua Conceptione mundo voluit referare; quia *Ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio Domini mei*: quæ fuerunt verba nostræ charitati à principio pronunciata. In quibus quidem verbis tria considerare possumus ad commendationem Sponsæ istius gloriosæ Virginis Mariæ ab æterno præordinatæ. Primum est: quòd ipsemet Pater æternus ipsam ornavit, & ornamenta præparavit, ut digna esset, quæ Filio suo desponsaretur; ibi, *Præparavit Dominus*, scilicet Pater æternus. Secundum est: latitudo & profunditas charitatis ipsius Virginis Mariæ, quæ utique tanta est, ut usque ad omnem creaturam à Filio productam se extendat, & accepit Maternitatis gustum, quæ capax & grata sit beneficio redemptionis; ibi, *Ipsa est mulier.* Tertium est: quòd ipsa ad hoc creata est, & desponsata Altissimi Filio; ut quoties ipse iratus fuerit nobis propter peccata nostra, convertat iram suam in mansuetudinem; ibi, *Filio Domini mei.*

Circa primum, scilicet ipsius Virginis præparationem, secundum est, quòd reliquiis pretiosis, quæ non ostenduntur nudè, sed mediante Chrystallo vel vitro, solet præparari mundus locus cum diligentia magna & reverentia, ut habetur primo Psal. 10. de Rege David. In primo ædificavit locum Arcæ, deindè congregavit universum Israël, ut adducerent Arcam Dei ad locum quem paraverat ei. Et Beata Maria fuit locus & vas, in quo positæ fuerunt pretiosiores reliquiæ paradisi, scilicet Dei Filius

lius, qui à mundo videri non poteſt in ſua Deitate. Formatum eſt ergo vas puriſſimum, Beata Virgo Maria; ut mediante velamento, quod de vaſe aſſumpſit, id eſt, carne, videretur. Unde decebat, vas illud mundè & diligenter præparari. Quia quantò aliqua res ad aliquid magis ſacrum & dignius deputatur, tantò ſublimiùs dedicatur, & ampliore benedictione & ſanctificatione dotatur. Ita videmus tam in rebus inanimatis, quàm animatis: quia cùm templum orationi & divinæ laudis confeſſioni deputatum eſt, Altare conſecratur Corporis & Sanguinis Chriſti, ideò ſpecialiter ſanctificatur & dedicatur. Idem patet de vaſis & veſtibus ſacro Altari deputatis.

Similiter in rebus animatis videmus, ſcilicet in Epiſcopis, Sacerdotibus, Regibus & Miniſtris Altaris. Sed inter omnes creaturas Beata Virgo Maria fuit ad opus digniſſimum deputata & aſſumpta, ſcilicet ad hoc ut verum Deum & Dei Filium in utero ſuo bajularet, ut in ipſa & de ejus puriſſimis ſanguinibus, virtute & operatione Spiritûs Sancti, corpus Dominicum formaretur: de quo exiret pretium totius liberationis & juſtificationis ac beatificationis humanæ; ergo fuit ſuper omnes creaturas Angelicas & humanas copioſiore benedictione ſanctificata. Pro cujus evidentia ſciendum eſt, quòd ſanctificatio Beatæ Mariæ Virginis excellentior ſanctificationibus aliorum fuit. Quod ſic patet. In ſanctificatione enim quæ fit per legem communem in Sacramentis, ſcilicet quando infans baptizatur, quando aliquis in Sacerdotem ordinatur, in Epiſcopum conſecratur, in Abbatem benedicitur, tollitur culpa, ſed manet fomes ſecundùm quod eſt inclinans ad veniale & mortale. Sed in ſanctificatis ex utero non manet fomes inclinans ad mortale peccatum, ſeu tantùm ad veniale; ut patet in Jeremia & Joanne Baptiſta. Sed in Beata Virgine Maria inclinatio fomitis omninò fuit ablata, & quantùm ad mortale, & quantùm ad veniale. Et quod plus eſt; gratia ſanctificationis non tantùm repreſſit motus illicitos in ipſa, ſed etiam in aliis efficiam habuit; ita ut quamvis eſſet pulchra corpore, tamen à nullo unquam vitiosè concupiſci potuit: quia malas inſpicientium ſe concupiſcentias ſolâ vultûs ſui gratiâ ſtatim propellebat.

Et iſta omnia jam dicta movent me cùm multis aliis diſertiſſimis viris indubitanter tenere de Reverendiſſima Matre Dei, quòd ipſa in ſua benedicta Conceptione immunis fuit à quavis originali ſorditie. Et imprimis principium hoc certum habemus, in quo & Adverſarii nobiſcum conveniant, videlicet Chriſtum ab originali Matrem præſervare potuiſſe,

quid ergo causæ extitit quo minùs idem efficeretur, ut asserunt? Alteram, credo, duarum causarum obstitisse dicturi sunt. Aut primò, quoniam Christo, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, perindè videretur æquari; quod fieri non decuit. Aut secundò, quoniam si sic, non indiguisset MARIA redemptione; cùm tamen Apostolus dicat, quòd Christus pro omnibus mortuus est. His duobus argumentis breviter sic respondet Venerabilis Doctor Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in quodam Tractatu ad Priorem Cœlestinorum in Metis.

Ad primum argumentum dicit ibidem sic: Christus præservando Matrem suam ab originali, non ob hoc dedit ei dignitatem æqualem sibi ipsi, etiam secundùm humanitatem viatorum. Ratio: quia Christus nunquam habuit necessitatem originale peccatum contrahendi, quia non descendit per naturalem propagationem. Propterea argumentum sumptum ex hac æqualitate prorsùs est invalidum.

Similiter & secundum, scilicet quòd MARIA Virgo non indiguisset redemptione. Nec valet Apostoli consequentia: Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Hoc, inquam, argumentum potiùs est ad oppositum; quia si Christus fuit omnium perfectissimus Redemptor, pro omnibus mortem sustinens, decuit quòd Matrem perfectissimè redimeret: hoc autem non potuit convenientiùs fieri, quàm præservando eam nè caderet, potiùs quàm jam lapsam relevaret. Dico ergo quòd gratia supernaturalis prævenit casum in hac originali pro culpa præcipitium. Hæc veritas est probabilis & pia, super qua mirum est, quòd nonnulli volentes Virginem MARIAM Benedictam supra limites honorare, prædicant nihilominus quòd originale contraxit. Hæc ille. Quare adhuc consule, si vis, scripta ejusdem de eodem in Sermone de Assumptione.

Secundò, hoc idem probat Beatus Alphonsus Metropolitanus Hispaniæ, in libro contra Elvidium & Jovinianum, dicens: Constat, MARIAM Virginem ab ipso peccato originali immunem fuisse; per quam non solùm Evæ matris est soluta maledictio, verùm etiam omnibus est donata benedictio. Hæc ille.

Tertiò, per hanc viam vadit Beatus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, in libro de Exordio mundanæ salutis, sic dicens: Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei & Domini mei extitit, propagantium, non propagatæ prolis fuit. Sequitur: Castaneam nucem. Si Dominus castaneæ confert, ut intra spinas à spinis remota concipiatur, alatur,

tur, foveatur; potuit etiam hoc ſuæ Matri conferre: potuit planè, & voluit; ſi ergo voluit, fecit. Hæc ille. Aliam ſimilitudinem habemus in ramo domeſtico inſito ſuper ſylveſtrem & amarum ſtipitem, qui tamen nihil in ſe amaritudinis de tali ſtipite ſylveſtri trahit.

Quartò, hanc partem determinat Cyrillus Patriarcha Alexandrinus; qui contra Neſtorium hæreticum ponentem maledictionem culpæ in Chriſto & MARIA fuiſſe, Concilio Epheſino præſidens determinat, Primitias noſtræ ſubſtantiæ, ſcilicet MARIAM, & Filium ejus, ſic fuiſſe benedictas in tempore gratiæ, ut nulla, quæ adversùs omne genus maledictio fuerit prolata, in eos deſæviret.

Quintò, hoc idem probat Venerabilis Richardus de Sancto Victore in Sermone, qui incipit: *Nondum erant abyſſi*, ſic dicens: Non decuit, ut caro Beatæ MARIÆ Virginis aliquo peccato obnoxiam ſe cognoverit. Nam Dei ſapientiæ indignum eſſe credimus, ut quam ad lumen gentium prædeſtinavit, tenebris pravitatis ſineret involvi. Ecce, Chariſſimi Fratres, quanta teſtimonia Scripturæ ſacræ, quantæ probationes, clariſſimæ ſupra modum Doctorum atteſtationes. Quantùm ego credo, quantum ego pauper intelligo, dico breviſſimè concludendo: Glorioſiſſimam Dei Genitricem Virginem MARIAM, per gratiam ſanctificationis, originalem contagionem prævenientem, fuiſſe mirabiliter præſervatam, ac pro tanto ipſam in immunitate originalis juſtitiæ conceptam.

Totus autem impetus hujus prævia ſanctificationis impellebat mentem iſtius Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ ad deſiderium Incarnationis Filii Dei, & ſalutem omnium electorum. Unde omnes virtutes mentis ſuæ in id quod poſtea factum fuit toto conatu pendebant. Propter quod omninò eſt in expreſſibile nobis illud fervidum deſiderium, & orationis virtuoſæ ſuſpirium, quo ſuſpirabat ad Deum, ut Filium ſuum mittere dignaretur ad noſtram aſſumendam naturam. Non credas autem quòd ad ipſum recipiendum in carne ſua reputaret ſe dignam; quia gratia ſanctificationis, quæ eam omni virtute repleverat, ſic à principio ipſam mentem Virginis in omnium virtutum radice, ſcilicèt ſancta humilitate profundavit & inabyſſavit, quòd ſicut nulla creatura poſt Filium ſuum tantùm aſcendit in dignitate gratiæ, ſic nulla tantùm deſcendit in humilitatis perfectiſſima cognitione: propter quod oratio ejus pœnetrabat omnes Angelorum cohortes, & continuè ſiſtebatur ante conſiſtorium Beatiſſimæ Trinitatis. Et hoc de primo puncto.

Quantùm ad ſecundum, ſcilicet de charitate & pietate Virginis MA-

RIÆ; ſciendum quòd communiter mulieres ſunt magis benignæ & compaſſivæ quam viri. Unde dicit Eccleſiaſtes: *Vbi non eſt mulier, ingemeſcit egens.* Unde optima copula, quando marito crudeli & ſevero datur ſponſa benigna & manſueta, quæ poſſit ejus crudelitatem temperare. Unde legitur de Heſter Regina, quòd *ad ejus aſpectum convertit Deus cor ejus in manſuetudine.* Heſter 3. Si quidem ante Incarnationem Filius Dei fuit ſeverus & crudelis; Exod. 31. *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* ſed Beata Virgo MARIA ejus crudelitatem temperavit & convertit in manſuetudinem. Eccl. *Mulier oblectat virum ſuum.* Exemplum habemus de Rinocerote. De natura iſtius animalis ſic dicit Beatus Gregorius exponens illud Job: *Nunquid volet Rinoceros ſervire tibi.* Rinoceros indomitæ omninò naturæ eſt, ita quòd ſi quando captus fuerit, teneri nullatenùs poſſit; impatiens quippè, ut fertur, illicò moritur. Item tantæ eſt fortitudinis, ut nullâ venantium virtute capiatur, ſed Virgo & puella præparatur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate depoſitâ caput imponit; ſicque ab eis, à quibus capi quæritur, ſoporatus velut inermis invenitur.

Iſte Rinoceros, vel alio nomine Unicornis, eò quòd ex ejus fronte media cornu profunditur in ſplendore vivifico, ad longitudinem quatuor pedum, ita acutum, ut quidquid impetierit, facili ictu perforet, ſignificat Dei Filium. Nam ipſe ante inviſibilis, abſconditus, indomabilis & auſterus, ut videbatur, amore MARIÆ Virginis attractus eſt, & in ſinu ejus dormivit, & ſicut ovis in morte manſuetus eſt effectus. De hoc Bernardus Beatam Virginem MARIAM alloquitur, ita dicens: O dulciſſima Mater miſericordiæ! quæ miro modo attraxiſti nobis Regem gloriæ, & quodammodo impoſuiſti frænum majeſtati; tantum, ut illa majeſtatis dextera, docta percutere, neſcia miſereri, jam habeat ex proprietate miſereri ſemper & parcere. Et ut quidam alius Sanctus ait: Ipſa eſt ſpecioſa Virgo illa, quæ Regem cœlorum cepit, quæ Filium Dei de ſinu Patris allexit, & in amplexus ſuos vinculis charitatis piâ violentiâ captivum traxit.

Exultemus igitur in Domino, Dilectiſſimi, quoniam diu quæſita, diu, ſub ſignis & figuris à Patriarchis & Prophetis præſignata, multorum Sanctorum votis exoptata, hodie prima inventa eſt præ aliis illa ſpecialiter digna, ſpecialiter pulchra Virgo MARIA.

Et ut curſu quodam percurram figuras; ipſa eſt illa Benedicta Virgo, de qua ſibi mutuò concinunt & conveniunt Jeremias & Iſaias. Novum,

vum, inquit Jeremias, *Faciet Dominus super terram; fœmina circumdabit virum.* Hanc quoque Jeremiæ novitatem Isaias lucidissimè aperit, cùm dicit: *Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Hæc est mulier, quæ caput contrivit venenatum serpentis, dum omnimodam Malignam suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia, duxit ad nihilum. Hæc est vera virago sumpta de viro suo Christo Jesu, quantùm ad plenitudinem gratiæ. Quem virum Jesum, ipsa pia Virgo habuit dilectum Filium generando ipsum per Spiritum Sanctum, & gratiosissimum Sponsum, ab ejus merito recipiendo redemptionis beneficium, & copiosissimæ gratiæ donum, & sublimissimum per eamdem gratiam maternæ dignitatis statum. Hæc est illa benedicta Arca Noë, de lignis levigatis & imputribilibus fabricata ab illo verò Noë Jesu, qui solus inventus est justus atque perfectus in generatione humana. Hæc est illa benedicta Sara, id est, Princeps, non solùm hominum, sed etiam Angelorum; de qua risus humanæ lætitiæ Jesus, quasi alius Isaac est ortus. Hæc est illa Sancta Rebecca, quæ filio luctatori Jacob, per grande mysteriũ, omnibus electis luctantibus contra diabolum, benedictionem procuravit Paternam. Hæc est illa benedicta scala quam vidit Jacob, cui Dominus singulariter est innixus, & ad cujus obsequium ascendunt Angeli & descendunt. Hæc est illa benedicta Rachel, cujus specie & pulchritudine immoratus noster Jesus, quasi alter Jacob, descendens in ipsam per carnis assumptionẽ, multiplici nostri laboris servitio se subjecit. Hæc est etiam illa fœlix Rachel, quæ verum Joseph peperit, qui non solùm Ægypti, sed factus est Princeps, & Dominus omnis creaturæ. Hæc est illa Rubus Moysi, flammas quidem emittens, sed non ardens. Quia Maria Filium quidem concepit & peperit, sed pudorem in Conceptu, & dolorem in partu non sensit. Hæc est illa virga Moysi, quæ mare dividit transituris ad terram promissionis æternæ suæ conversationis exemplo, & aquam gratiæ de petra Christo bibituris educit suæ orationis virtuoso suffragio; quia ipsa suis precibus, aridis cordibus frequenter obtinet rivos lachrymarum & gratiarum scilicèt ad lavandum & potandum: lachryma enim lavat, gratia potat. Item ipsa est Virga illa, per quam factæ sunt plagæ Ægypti; quia per ipsam confusa est potestas dœmonum, & exercitus peccatorum. Undè num. 24. *Consurget virga de Israël, & confringet duces Moab*, id est, dœmones, qui ducunt exercitum vitiorum. Ipsa est Virgo Aaron arida, quæ sine radice fronduit & floruit, & amigdala protulit. Virga arida, est Virginitas intemerata

rata Mariæ ; quia fronduit in Angelica ſalutatione, floruit in conceptione, fructum protulit in Filii nativitate, qui rectè dicitur amigdalus, id eſt, cibus & medicina infirmorum. Ipſa eſt Virga Aſſueri, quam extendit in ſignum propitiationis his, quibus irascebatur, ut dicitur Heſter 3. Ipſa enim verè eſt ſignum amoris inter Deum & hominem. Hanc Virgam virtutis ſuæ emiſit Dominus hodiè ex Syon, cùm hodiè glorioſam Virginem Mariam perduxit ad Conceptum ; & hoc utique de radice Jeſſe, qui pater fuit David, de cujus ſtirpe ad litteram ipſa proceſſit. Scilicèt Jeſſe myſticè interpretatur Incendium Patris; & ſignificat Patres veteris Teſtamenti : quoniam omnes ardebant deſiderio videndi in carne carnis Conditorem. Hinc illa frequentia ſuſpiria Prophetarum: Utinam dirumperes cælos, & deſcenderes! Item, *Veni Domine, noli tardare.* Vênit, & promiſſa complevit. Et ecce minùs ardemus, quibus promiſſa data ſunt, quàm illi, quibus ſolùm promiſſa facta ſunt. Non eſt de Mariæ progenie, qui non amore incenditur, tepidos evomit Chriſtus. Item hęc eſt benedicti David, & ſublimis Regis Mater & Filia ; quæ verè populum ſuum oblita, in decore ſuo ſummi Regis provocavit amorem, cujus vultum deprecantur omnes divites plebis, quam etiam innumeræ virgines imitari nituntur in virginitatis munditia ; & poſt ipſam gradu impari Regi Filio adducentur. Hæc eſt Thronus veri Salomonis, & Solium grande de ebore, quia de Immaculata Virginitate ſua pacifico noſtro Jesu ſolium præparavit. Quæ & ferculum dicitur ipſius Salomonis, quia varios guſtus reperit Dei Filius in mente hujus Virginis. Sed verè purpureum fecit in hujus Virginis mente & carne, quia ejus virginitas & innocentia cruciata & rubricata eſt ad modum purpurę, in cujus paupertate & vitæ auſteritate, & quàm maximè in Filii paſſione. Verè reclinatorium aureum fecit in ea verus Salomon; quia ſapientiæ virginalis ſplendorem & Theſaurum vix ſufficit exprimere ſublimitas Angelorum. Sed & mediâ charitate conſtravit propter filias Iſraël, ut in ejus ardentiſſimo amore omnes devotæ mentis addiſcant amare. Hæc eſt templum illud magnum & famoſum, cum ſculpturis, & mirabilibus figuris, in quo malleus & ferrum non ſunt audita cùm ædificaretur. Quia quando Chriſtum concepit, nihil eſt auditum de operatione virili, ſed totum impletum eſt ſilentio Spiritûs Sancti. Et parùm fuit mirificentia illius templi, ad præfigurandum perfectionem Sacratiſſimæ Viginis Mariæ, quæ verè templum eſt Spiritûs Sancti, & palatium Filii Dei & ſponſalis thalamus Patris æterni. Ex his omnibus confidenter aſſerendum eſt, quòd hæc Benedicta Virgo, quæ

ſic

ſic omnibus expectanda promittitur & imitanda, nullo virtutum genere vacabat; cui gratiæ plenitudinem ineſſe Dei nuntius aſſerebat. Et hoc de ſecundo principali.

Quantùm ad tertium & ultimum, ſcilicet quòd ipſa eſt mediatrix inter Deum & peccatores, ut convertat iram Dei in manſuetudinem, quoties nobis iratus fuerit propter peccata noſtra; eſt ſciendum quòd ad placandum Patrem ſervo, non poteſt accipi ita bonum medium, ſicut eſt filius, qui ſit medius inter Patrem iratum & ſervum reum. Et ad placandum filium ſervo, non poteſt accipi ita bonum medium, ſicut eſt mater; filius enim ſtatim quantumcumque iratus, amore matris dilectæ pareit ſervo reo. De hoc ſic dicit Bernardus in Sermone de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis: Securum habes, ô homo! acceſſum ad Deum, ubi habes Filium ante Patrem, Matrem ante Filium. Filius oſtendit Patri latus & vulnera, Mater oſtendit Filio pectus & ubera. Nulla ergo ibi poteſt eſſe repulſa, ubi tot concurrunt charitatis inſignia. Et ideò, Chariſſimi, cùm propter peccata noſtra ſentimus nobis Jesum iratum, ad Mariam recurramus, orantes cum illo Patre Sancto, Auctore divotiſſimi Libelli illius, qui dicitur Horologium æternæ ſapientiæ, hoc modo: O æterna Patris ſapientia! Ecce nunc in patrocinium meum adduco coram te illam tuam Matrem dulciſſimam, tibi eam præſentans, & me poſt tergum ſuum abſcondens, oculos non audens levare ad cœlum, & ante faciem gloriæ tuæ per ipſam cupiens exaudiri. Ipſam, quæſo, honora, ipſam venerare. Qualiter cum convenientia talem Matrem poteris repellere? Quòd ſi etiam millies in die acceſſiſſet repulſam non habebit. Exaudi, exaudi me Domine, propter tuam bonitatem, & Matris tuæ dilectæ ſingularem honorem. Nam ſicut Te cœleſti Patri & Genitori tuo Advocatum exhibeo, ſic tibi dilectam Matrem ut meam exhibeo Auxiliatricem; ut imperfectum meum ejus ſuppleat gratæ & acceptabilis præſentiæ magnitudo. Nunc igitur, ô præclara Sapientia! attende Matrem gloriosam. Reſpice oculos hujus dulciſſimæ Matris coram te pro nobis interpellantis, quibus te Materno in gremio geſtans tam placidè intuebatur, genas ejus roſeo colore perfuſas, quibus faciem tuam delicatam Materno affectu ſibi ſociavit. Ach quàm fœlicia labia ejus, quibus os tuum benedictum, oculos tuos præfulgidos, ac ſingulos quoſque nobiliſſimos artus creberrimè peroſculata fuit, blanda miſcens interdum oſcula verbis! Cerne manus has, quæ tibi miniſtraverunt, ubera dulciſſima ac fœliciſſima, quæ te lactaverunt. O piiſſime Jesu! Ecce, fas non eſt, ut hæc inſpiciens

ſpiciens & rememorans, tantæ Matri à te quidquam negetur: quæ te Dominum cœli genuit, lactavit, fovit, & ad incrementa uſque perduxit. Reminiſcere, quæſo, omnium ſervitiorum & exhibitionum, quæ Tu in infantilibus annis ab ea recepiſti, cùm te in gremio infantem delicatum tenens, oculos ridentes, & blandientem tibi Matrem retorſiſti, & brachiis delicatiſſimis tibi ardentem amplexatus fuiſti. Iſta, Fratres, dicimus; dulce habentes, & nos dulce habere cupientes, ſæpè revolvere ac revolvere in memoria amorem & gaudium hujus Dominæ, quibus jugi exundantiâ in Deum atque de Deo jucundabatur tota illius ſubſtantia. Nihil certè utilius poſt Deum, memoriâ Matris Dei. Sæpè quippè vidimus & audivimus plurimos hominum in ſuis periculis recordari Nominis ipſius Beatæ Mariæ Virginis, & illicò omnis periculi malum evaſiſſe. Velocior enim nonnunquam ſalus memorato nomine ipſius, quàm invocato nomine Domini Jesu unici Filii ejus. Et id quidem non ideò fit, quòd ipſa major eo ſit aut potentior; nec enim magnus & potens eſt per illam, ſed illa per ipſum. Quare ergo ſalus promptior in recordatione ejus, quàm Filii ſui perſpiciatur, dicam quod ſentio. Filius quidem ejus Judex eſt, & dominus omnium eſt, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe à quovis ſuo nomine invocatus non ſtatim exaudit, profectò id juſto judicio fit; invocato autem nomine Matris ſuæ, & ſi merita invocantis non merentur, merita Matris intercedunt, ut exaudiatur. Hæc denique humanus uſus quotidie probat; cùm quis propoſito amici nomine, efficaciter ab alio impetrat, quod ſimpliciter ſuâ prece nequaquam impetrare valebat.

Hoc etiam patet in illo Venerabili Abbate, qui hoc feſtum primò celebravit, & celebrandum publicavit. Legitur namque quòd tempore illo, quo divino placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis corrigere, glorioſiſſimo Normannorum Duci Wilhelmo eamdem patriam debellando ſubjecit. Quod audientes Daci, Angliam ſcilicet ſubjectam Normannis, graviter indignati ſe, ſuo quaſi hæreditario jure privati, arma præparant, claſſem aptant, ut eos adeuntes, à data ſibi divinitùs patria, id eſt, Angliâ expellant. Cumque talia Rex prudentiſſimus Wilhelmus intellexiſſet, Helſinum quemdam religioſum Abbatem Ramienſis Cœnobii accerſitum in Daciam deſtinavit, ut hujus rei veritatem inquirat. At ille vir ſagacis admodum ingenii, ſtrenuè negotium exequitur. Quo fideliter peracto ad Angliam reverti cupiens, mare ingreditur. Cùmque maris partem proſpero curſu, & cum quiete navigaſſent, ecce ſubitò

tempeſtas

tempestas valida in mari exorta, & fatigatis graviter nautis, nec ultrà valentibus obniti, fractis remis, funibus ruptis, cunctis cadentibus velis, amittitur spes salutis. Cùmque, dum de salute corporum desperati, animarum curam cum magnis clamoribus Creatori suo commendarent, & Beatissimam Dei Genetricem Virginem MARIAM, miserorum scilicet refugium, & desperatorum spem devotè reclamarent; ecce subitò aspiciunt quemdam reverendæ habitudinis virum, Pontificali infulâ decoratum, quasi inter medias undas navi proximum. Qui advocans ad se Helsinum Abbatem, his eum verbis affatur: Vis, inquit, periculum maris evadere? Vis in patriam sanus redire? Cùmque ille cum fletu se id toto corde desiderare responderet; ait ille: Scias, inquit, me ad te à Domina nostra Dei Genitrice MARIA, quam dulciter reclamasti, directum; & si dictis meis obtemperare volueris, salvus & incolumis evades cum comitibus imminens periculum maris. Spondet se illicò ille ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet periculum. Promitte mihi, inquit ille, & Deo, quòd diem Conceptionis Matris CHRISTI solemniter celebrandum prædicabis. Ait ille vir prudentissimus: Et quis erit dies pro hoc festo celebrando? Sextò, inquit, idus Decembris. Et quo, ait Abbas, utetur Officio Ecclesia in hoc festo? Cui ille: Omne Officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione; excepto quòd nomen Nativitatis, mutetur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit, & citiùs dictu sedatâ tempestate, cum suis incolumis concito flatu applicuit Anglicis littoribus. Mox cuncta, quæ viderat, & audierat; quibuscumque potuit, innotuit; statuitque in Ramiensi Ecclesia, cui præerat, ut omni anno sexto idus Decembris hoc festum solemniter celebretur. Ipse verò quamdiu vixit, devotis obsequiis celebravit.

Et nos ergo, Fratres charissimi, si securi procellas mundi hujus transire cupimus, si portam cœlestis patriæ apprehendere; ipsam, de qua loquimur, gloriosam Virginem MARIAM (quod interpretatur, Stella maris) toto corde diligamus: ipsamque sæpè devotissimè salutemus, salutatione scilicet illâ, quam ei Angelus primùm de cœlo attulit, dicens: *Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum.* Est siquidem sibi quasi osculum, hunc audire versiculum, *Ave MARIA, &c.* Toties enim osculatur, quoties per *Ave* devotè salutatur. Ergo, Dilectissimi, ad imaginem ejus accedite, genua flectite, oscula imprimite, *Ave MARIA*, devotè dicite. De virtute hujus benedictæ Salutationis sic dicit quidam devotus: Cœlum gaudet, stupet omnis terra, cùm dico, *Ave MARIA*; sathan fugit, infer-

nus contremeſcit, cùm dico, *Ave MARIA*: abſcedit triſtitia, venit nova lætitia, cùm dico, *Ave MARIA*; torpor evaneſcit, cor ex amore liqueſcit, cùm dico, *Ave MARIA*: creſcit devotio, oritur compunctio, Spes proficit, augetur conſolatio, cùm dico, *Ave MARIA*: recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cùm dico, *Ave MARIA*. Denique tanta eſt virtus & ſuavitas hujus Angelicæ Salutationis, ut humanis non poſſit explicari verbis; ſed ſemper manet altior & profundior, quàm omnis creatura indagare ſufficiat. Nimirum quia hæc ſalutatio à Deo Patre dictata eſt, à Filio ſcripta, à Spiritu Sancto nuntiata, ab Angelo Virgini portata.

Sit nunc in fine Sermonis laus & gratiarum actio ei, qui eſt *Principium & finis*; à quo cùm initium ſumant omnia, ad finem quòque conſummationis ſingularia & ordine ſuo, ipſius perducuntur gratiâ, qui vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

LIcet hæc *Monumenta Antiqua Conceptionis, &c.* aliqua contineant, quæ modernis temporibus minimè probari poſſunt, utpotè tam contra Conſtitutiones Sixtinas, & Sacrum Concilium Tridentinum, quàm Bullas aliorum Summorum Pontificum: conſiderantes tamen, quòd ante tempora Sixti IV. & dictum Sacr. Concilium Tridentinum, ac Bullas Summorum Pontificum poſteà emanatas omnes iſti Tractatus ſcripſerint, & maximè in Gallia, ac Germania, ubi tunc temporis Concilium Baſileënſe uſque ad ſeſſ. 36. quæ continet Decretum de Immaculata Conceptione, pro œcumenico habitum fuerit, ut conſtat ex ſcriptis plurimorum authenticorum Doctorum. Cùm illa & alia ſine totali deformitate iſtorum Tractatuum caſtigari, aut expungi non poterant, quòdque pro tempore quo ſcripſerunt, ea erant omninò currentia, ac ſic inopinabilia: & ſi modò ſuos Tractatus ipſi ederent, indubiè tamquam boni Catholici, ac obedientes filii S. R. E. ſe aliquibus verbis iſtis retractarent, & corrigerent: ne tamen Reſpublica litteraria, & devoti Virginis clientes tantâ eruditione, raris exemplis, & armis validiſſimis careant, quibus de cætero catholicè abundant pro Immaculata Deiparæ Conceptione defenſanda;

per-

permittimus, præmiſsâ hâc cautelâ, lucem communem aſpiciant, ſaniora ſeligant, cautiſſime legant,, ac deformia omninò rejiciant. Dabam Lovanii die 8. menſis Decembris 1663.

Antonius D'AVE, S. T. D. & Profeſſor Primarius, necnon librorum Cenſor Apoſtolicus, & Archiepiſc. Mechlinienſis.

APPROBATIO ORDINIS.

LVcem videre poſſunt Monumenta Antiqua Immaculatæ Conceptionis *Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, ſub duobus Tomis noviſſimis, ex variis Sermonibus & Auctoribus, tam manuſcriptis, quàm olim impreſſis, ſed qui propter raritatem vix reperiuntur, in unum collecta à R. A. P. Fr. Petro de Alva & Aſtorga, &c. accedente licentiâ Ordinarii, & quorum intereſt ſecundùm Apoſtolicas ſanctiones & Sac. Concil. Trid. Datum Romæ die* 10. *menſis Maii, anno* 1664.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Michaël Angelus de Sambuca,
Miniſter Generalis.

Fr. Chriſtophorus de Chaves,
Secret. Gener. Ordinis.